Liber Precum Publicarum

et Administrationis Sacramentorum
Aliorumque Rituum
Caerimoniarumque Ecclesiae

Cum Psalterio Davidico

Secundum usum
Ecclesiae Episcopalis

Latine redditus
a Roderico Iacobo Marcello Thompson
Presbytero Dioecesis Californiensis

Introduction

It was a central principle of the sixteenth century Reformation in England that the Church's liturgy should be in a language "understanded of the people" (Article XXIV of the Articles of Religion: Book of Common Prayer 1979, page 872.) When, upon the accession of Queen Elizabeth I, the Church of England separated for a second time from the jurisdiction of the see of Rome, a prayer book was promptly issued containing the rites for the Church's worship in the English tongue.

In the sixteenth century, however, the language of scholarship was Latin, and the English prayer book of 1559 was quickly followed by a Latin prayer book, which appeared with the Queen's warrant in 1560, for the use of the Universities of Oxford and Cambridge. This was only one of several Latin versions of the Book of Common Prayer to appear over the years, and to be used by those learned in that ancient and beautiful language in which, over the centuries, countless members of the Western Church have offered their prayers and praises to God.

It is in the hope that such a history of devotion may inspire us in our own day, that I have prepared this Latin version of the 1979 Book of Common Prayer of the Episcopal Church in the United States of America.

I have drawn freely from ancient sources, including the 1560 Elizabethan Book of Common Prayer in Latin, the Leonine, Gelasian and Gregorian sacramentaries, the Roman Missal and Breviary (traditional and revised), the Apostolic Tradition of Hippolytus of Rome, and two Latin versions of the 1662 Prayer Book published in England in the nineteenth century.

Keenly aware as I am of my limited knowledge of Latin usage, I am immensely grateful to my dear friend, William Bonnell of the Church of the Advent of Christ the King, San Francisco, for sharing his learning and experience with me by patiently reviewing my work, offering gentle corrections, and making helpful suggestions for improvement. Without his assistance, it would not have been possible for me to complete this translation. Any remaining errors of grammar or usage are, however, entirely my responsibility.

May these prayers draw our hearts and minds to God our Father, through Jesus Christ our Lord, in whom all our intercessions are acceptable through the Spirit.

Ad maiorem Dei gloriam, et ad profectum sacrosanctae matris Ecclesiae.

Roderick Thompson
Saint Cyprian's Episcopal Church
San Francisco
A.D. 2001

Tabula Argumentorum

Sanctio Libri Precum Publicarum
Praefatio
De Liturgia Ecclesiae
Kalendarium Anni Ecclesiastici

Divinum Officium
Ordo ad Matutinas Preces Quotidianas
Ordo ad Meridiem
Ordo ad Vesperam
Ordo ad Vespertinas Preces Quotidianas
Ordo ad Completorium
Devotiones Quotidianae pro Singulis et Familiis

Litania Magna

Collectae
Tempora Anni
Dies Sancti
Commune Sanctorum
Occasiones Diversae

Liturgiae Propriae ad Dies quosdam
Feria Quarta Cinerum
Dominica in Palmis
Feria Quinta in Cena Domini
Feria Sexta in Parasceve
Sabbato Sancto
Vigilia Paschalis

Sanctum Baptisma

Sancta Eucharistia
Exhortatio
Ordinis Paenitentialis: Ritus Primus
Sanctae Eucharistiae: Ritus Primus
Ordinis Paenitentialis: Ritus Secundus
Sanctae Eucharistiae: Ritus Secundus
Orationes Populi
Communio in Temporibus Singularibus

Ordo ad Celebrandum Sanctam Eucharistiam

Officia Pastoralia
Confirmatio
Forma pro Dedicatione ad Ministerium Christianum
Celebratio et Benedictio Nuptiarum
Benedictio Matrimonii Civilis
Ordo Nuptiarum
Gratiarum Actio Pro Partu vel Adoptione Parvuli
Reconciliatio Paenitentis
Ministratio Infirmis
In Articulo Mortis
Ad Sepulturam Mortuorum
Ordo Sepulturae

Liturgiae Episcopales
Ordinatio Episcopi
Ordinatio Presbyteri
Ordinatio Diaconi
Litania pro Ordinationibus
Celebratio Ministerii Novi
Dedicatio et Consecratio Ecclesiae

Psalterium Davidicum

Orationes et Gratiarum Actiones

Catechismus

Documenta Historica Ecclesiae

Tabula de Die Paschae Inveniendo et aliorum Festorum Mobilium

Lectionarium
Annus A
Annus B
Annus C
Commune Sanctorum
Occasiones Diversae

Lectionarium Divini Officii
Tempora Anni
Dies Sancti
Occasiones Speciales

Sanctio
Libri Precum Publicarum (A.D. 1789)

Ab Episcopis, Clero, Laicisque Ecclesiae Protestantis Episcopalis in Civitatibus Foederatis Americae in Conventu hoc die 16 Octobris anno Domini MDCCLXXXIX.

Librum Precum Publicarum, et Administrationis Sacramentorum, et Aliorum Rituum Caerimoniarumque Ecclesiae hic Conventus nunc sedens promulgaverunt et sic constituunt: Quem autem declarant huius Ecclesiae Liturgiam esse: Et iubent omnia eiusdem membra illum sic accipere: Et hoc Libro ab die 1 Octobris, et postea, anno Domini MDCCXC utendum erit.

Praefatio

Pars inaestimabilissima est illius libertatis beatae "qua nos Christus liberavit," ut in cultu eius liceat formas diversas consuetudinesque sine opprobrio adhibere, dummodo substantia fidei integra conservetur; et in omni Ecclesia res, quae ut doctrina non clare statui possunt, disciplinae remitti debent; et licet igitur omnium consensu et auctoritate mutari, curtari, extendi, emendari, vel aliter disponi, quod convenit ad plebem aedificandam "si temporum necessitas opportunitasque ita requirat."

Ecclesia Anglicana, cui sub Deo Ecclesia Protestans Episcopalis in his Civitatibus debet suum fundamentum primum et curam tutelamque diuturnam, in Praefatione Libri sui Precum Publicarum regulum statuit, scilicet "cum formas speciales Officii Divini, ritusque et caerimonias in eo celebrando adhibendas, utpote sua natura minoris momenti, mutabiles esse in confesso sit; aequum videtur, si temporum necessitas opportunitasque ita requirat, graves ob causas, nonnulla ex iis aliam in formam interdum mutari, prout iis qui auctoritatem habeant vel commodum vel necessarium identidem visum fuerit."

Ecclesia eadem, nec solum in Praefatione sua, sed similiter in Articulis Homiliisque, declaravit necessitatem utileque interdum mutandarum et emendandarum Formarum Cultus Publici; itaque constat illam, medium cursum constanter servantem, ne aliquam mutationem aut pertinacius aversaretur, aut facilius admitteret, in rebus consulto institutis, per regna Principum nonnullorum, post Liturgiam suam primo in tempore Edwardi Sexti compositam, iustis quibusdam seriisque causis concitam, non abnuisse quin nonnulla ita immutaret, prout tunc temporis aequum habuerit: ita tamen ut summa rei in omnibus essentialibus, (quoad et materiam et formam ordinemque rerum), hunc usque in diem eadem semper permansent, atque iam adhuc firma atque immota maneat.

In his recensionibus diversis et mutationibus, hoc in omnibus proposuit, sicut in Praefatione dicta amplius declarat, se id facere quo ei summo consilio aestimanti pax et unitas intra Ecclesiam praecipue servetur: et quod in Dei cultu publico animos hominum ad pietatem reverentiamque excitet, et ab istis sic petentibus amputet occasionem cavillandi et contra suam Liturgiam querendi. Et quamquam hoc persuasum habet, illi nihil Dei Verbo, nec sanae doctrinae, contrarium inesse, vel quod vir pius sine iniuria conscientiae exsequi et amplecti nequeat, vel quod contra omnes adversantes bene defendere non possit: si modo in eo interpretando adhibeatur aequitas qualis omnibus humanis scriptis communi iure debetur; tamen, iuxta principia iam constituta, putandum est plures mutationes commodas denique haberi. Itaque, mandatum ad scrutationem anno Domini MDCLXXXIX promulgatum est: sed hoc magnum bonumque opus illo tempore abortum est; et postea Auctoritati Civili non visum est mandato novo id continuare.

Sed cum in cursu Divinae Providentiae, hae Civitates Americanae in rebus civilibus liberatae sint, libertas eorum ecclesiastica ipso facto inclusa est; et sectae religiosae diversae Christianorum in his Civitatibus plenam aequamque libertatem habuerunt ad Ecclesias suas formandum ordinandumque et formas cultus disciplinaeque, qualiter aestiment commodissimum prosperitati suae futurae; si convenienter cum rei publicae statu et legibus patriae suae.

Haec Ecclesia illas mutationes Liturgiae primo animadvertit quae propter Defectionem necessariae erant in orationibus pro magistratibus. In hoc, cura principalis erat eas conformare ad proprium finem omnium talium orationum, scilicet ut "Rectores gratiam, sapientiam, scientiamque habeant ad iustitiam exsequendum et veritatem servandum;" et plebs "quietam et tranquillam vitam agat in omni pietate et castitate."

Sed dum hae mutationes in Conventu investigabantur, non recuserunt accipere, gratias Deo agentes, occasionem beatam sibi oblatam (sine moderatione nec impedimento cuiuscumque auctoritatis terrenae) ad Cultum Publicum amplius investigandum, et alias tales mutationes emendationesque constituendum ut conveniat.

Inutile videtur omnes mutationes diversas emendationesque enumerare. Illae patebunt cum rationibus (vel sic speratur) hoc Libro comparando ad Librum Precum Publicarum Ecclesiae Anglicanae. Quo patebit etiam ut haec Ecclesia nullo modo velit digredi ab Ecclesia Anglicana de ulla re necessaria doctrinae, disciplinae, vel cultus; saltem non ultra quam res indigenae requirunt.

Et nunc hoc opere gravi concluso speratur ut totum ab omni vero socio Ecclesiae nostrae accipiatur et investigetur, et ab omni Christiano sincero, cum animo miti, aperto, benignoque; sine praeiudicio nec favore; graviter contemplanti naturam religionis Christianae et veritates Evangelii; et Deum imploranti ut omnem conatum benedicat ad illas promulgandas omnibus hominibus in modo clarissimo, sincerissimo, gravissimo, augustissimoque, pro Iesu Christo, Domino nostro beato Salvatoreque.

Apud Philadelphiam, mense Octobre, A.D. MDCCLXXXIX

De Liturgia Ecclesiae

Sancta Eucharistia, actio principalis cultus Christiani in Dominica et aliis Festis maioribus, et Ordo ad Matutinas et Vespertinas Preces Quotidianas, sicut in hoc Libro expositus, officii certi sunt ad cultum publicum in hac Ecclesia designati.

Praeter haec officia in hoc Libro data, et alii ritus, aliae formae ab auctoritate in hac Ecclesia promulgatae adhibeantur. Et, sub moderatione episcopi, devotiones speciales ex hoc Libro vel e Sacris Scripturis extractae pro necessitatibus congregationis adhibeantur.

Ad ieiunii vel gratiarum actionis dies ab auctoritate civili vel Ecclesiatica designatos, vel ad alias occasiones speciales quibus nec officium nec oratio in hoc Libro praebetur, episcopus tales formas ad occasionem aptas promulget.

Ad omnia officia, cuncta congregatio Christiana particeps est in tali modo ut membra omnis ordinis in Ecclesia, scilicet laici, episcopi, presbyteri, et diaconi, munera propria sui ordinis implent, secundum cuiusque officii rubricas.

In cultu congregationis Christianae episcopus plerumque vel presbyter praesidet. Diaconi secundum ordinem non praesident; sed, similes laicis, ad Liturgiam Verbi officiant, vel iuxta formam Divini Officii vel (si episcopus non adest nec presbyter) iuxta formam Eucharistiae. Ad occasiones egregias, si ministerium sacerdotis obtineri non potest, episcopus ad libitum diacono potestatem det ut in aliis ritibus praesidet sub limitatione in praeceptis omnis officii exposita.

Intellegatur quod hymni indicati in rubricis huius Libri illi sint ab hac Ecclesia approbati oporteat. Omnia verba antiphonarum e Sacris Scripturis extrahi oportet, vel ex hoc Libro, vel e textibus quae eisdem congruentia sunt.

Interdum, si aptum est, melos pro hymno vel antiphona supponatur.

In rubricis de qualibet parte officii, pro verbo “dicitur”, verbum “canitur” legatur, et vice versa.

Verba liturgica quondam approbata, si canere optatur cum musica composita ad talia verba, adhibeantur pro verbis congruentibus in hoc Libro.

Citationes biblicae in hoc Libro, nisi Psalmi, iuxta enumerationem Bibliae Sacrae Vulgatae dantur.

Kalendarium
Anni Ecclesiastici

Annus Ecclestiasticus duobus cursibus festorum et dierum sanctorum constituitur: unus ex tempore mobili Dominicae Resurrectionis, i.e. Diei Paschae, pendet; alter pendet ex tempore fixo diei 25 Decembris, i.e. Festi Nativitatis Domini nostri.

Dies Paschae semper Dominica prima est post plenilunium accidens in die 21 Martis vel postea. Non potest accidere ante diem 22 Martis vel post diem 25 Aprilis.

Ordo omnium Dominicarum Anni Ecclesiastici ex die Paschae pendet. Sed Dominicae Adventus sunt semper quattuor Dominicae ante Festum Nativitatis, sive in Dominica sive in feria accidit. Dies Paschae definit inceptionem quoque Quadragesimae, Feriam Quartam Cinerum, et festum Ascensionis in Feria Quinta quae est quadragesimus dies post Diem Paschae.

1. Festa Principalia

Festa Principalia in hac Ecclesia observata sequentia sunt:

Dies Paschae	Dies Omnium Sanctorum, *die 1 Novembris*
Dies Ascensionis	Dies Nativitatis Domini nostri, *die 25 Decembris*
Dies Pentecostes	Epiphania, *die 6 Ianuarii*
Dominica Trinitatis	

Haec festa omni diei alio vel ritui antecedunt. Licet Diem Omnium Sanctorum in Dominica post diem 1 Novembris observare, praeter observantiam in die fixo.

2. Dominicae

Omnes Dominicae anni festa sunt Domini nostri Iesu Christi. Praeter dies fixos super datos, festa sequentia sola, ad dies fixos assignata, Dominicae antecedunt:

Festum Sancti Nominis
Festum Praesentationis
Festum Transfigurationis

Festum dedicationis Ecclesiae, et festum patroni eius vel tituli, in Dominica observetur vel in Dominicam transferatur, nisi in tempore Adventus, vel Quadragesimae, vel Paschae.

Omne Festum aliud Domini nostri, vel omne Festum Maius ad diem fixum Kalendarii assignatum, cum in Dominica accidat, consuete ad primum opportunum diem vacuum in hebdomade transferatur. Quaelibet Collecta, Praefatio, et una e Lectionibus ad festum

assignata pro Proprio Dominicae supponatur, vel plures, nisi a Dominica Ultima post Pentecosten usque ad Dominicam Primum post Epiphaniam, vel a Dominica Ultima post Epiphaniam usque ad Dominicam Trinitatis.

Cum permissione episcopi expressa, et pro causa grave necessariaque, alia occasio specialis in Dominica observetur.

3. Dies Sancti

Dies Sancti sequentes ordine per annum observantur. Nisi aliter supra ordinati sunt in praeceptis de Dominicis, omnibus diebus commemorationis vel observantiae specialis antecedunt.

Festa Alia Domini nostri

Festum Sancti Nominis
Festum Praesentationis
Festum Annunciationis
Festum Visitationis
Dies Sancti Ioannis Baptistae
Festum Transfigurationis
Festum Exaltationis Sanctae Crucis

Festa Alia Maiora

Omnia festa Apostolorum
Omnia festa Evangelistarum
Dies Sancti Stephani
Dies Sanctorum Innocentium
Dies Sancti Iosephi
Dies Sanctae Mariae Magdalenae
Dies Sanctae Mariae Virginis
Dies Sancti Michaeli et Omnium Angelorum
Dies Sancti Iacobi Hierosolymitani
Dies Libertatis in Civitatibus Foederatis Americae
Dies Gratiarum Actionis

Dies Ieiunii

Feria Quarta Cinerum
Feria Sexta in Parasceve

Festa ad dies fixos Kalendarii assignata diebus Maioris Hebdomadae vel Hebdomadae Paschatis non observantur. Festa Maiora in his Hebdomadis accidentia ad hebdomadam post Dominicam Secundam Paschae transferuntur, in ordine.

Festa ad dies fixos Kalendarii assignata Feriae Quartae Cinerum non antecedunt.

Festa Domini nostri Iesu Christi et Alia Festa Maiora ad dies fixos assignata, feria accidentia vel ad feriam translata, observetur quolibet die vacuo in hebdomada. Haec condicio ad diem Nativitatis, ad Epiphaniam, et ad Diem Omnium Sanctorum non pertinet.

4. Dies Devotionis Specialis

Dies sequentes operibus specialibus disciplinae et sui abnegationis observantur:

Feria Quarta Cinerum et aliae feriae Quadragesimae et Hebdomadae Maioris, nisi festum Annunciationis.

Feria Sexta in Parasceve et omnes Feriae Sextae per annum, in commemoratione crucifixionis Domini, nisi Feriae Sextae in tempore Nativitatis vel Paschae, et omnia Festa Domini nostri in Feria Sexta accidentia.

5. Dies Votivi

Sub praeceptis ordinis de Festis Principalibus, Dominicis, et Diebus sanctis, sequentia cum Collectis, Psalmis, et Lectionibus ab hac Ecclesia rite approbatis observentur:

Commemorationes in Kalendario notae
Aliae Commemorationes, Commune Sanctorum adhibentes
Dies Quattuor Temporum, consuete Feria Quarta, Feria Sexta, et Sabbato post Dominicam Primam Quadragesimae, Dominicam Pentecostes, Diem Sanctae Crucis, et diem 13 Decembris observati
Dies Rogationis, consuete Feria Secunda, Tertia, et Quarta ante Diem Ascensionis observati
Occasiones Diversae

Sed non licet Eucharistiam pro tale causa celebrare in Feria Quarta Cinerum, Feria Quinta in Cena Domini, Feria Sexta in Parasceve, nec Sancto Sabbato; et insuper non licet supponere ullum Proprium ad Occasiones Diversas assignatum pro Proprio ad Festum Principalem assignato, nec praeter Proprium Festi Principalis tale Proprium adhibere.

Ianuarius

1 A **Sanctum Nomen Domini Nostri Iesu Christi**
2 b
3 c
4 d
5 e
6 f **Epiphania Domini Nostri Iesu Christi**
7 g
8 A
9 b Iuliae Castrensis Emery Missionariae, A.D. 1922
10 c Gulielmi Laudi Archiepiscopi Cantuariensis, A.D. 1645
11 d
12 e Aelredi Abbatis Rievallensis, A.D. 1167
13 f Hilarii Episcopi Pictaviensis, A.D. 367
14 g
15 A
16 b
17 c Antonii Abbatis in Aegypto, A.D. 356
18 d **Confessio Sancti Petri Apostoli**
19 e Wulfstan Episcopi Wigorniensis, A.D. 1095
20 f Fabiani Episcopi Romani et Martyris, A.D. 250
21 g Agnetis Martyris Romae, A.D. 304
22 A Vincentii Diaconi Caesaraugustae et Martyris, A.D. 304
23 b Phillipi Brooks Episcopi Massachusettensis, A.D. 1893
24 c
25 d **Conversio Sancti Pauli Apostoli**
26 e Timothei et Titi Sodalium Sancti Pauli
27 f Ioannis Chrysostomi Episcopi Constantinopolis, A.D. 407
28 g Thomae de Aquino Presbyteri et Fratris Ordinis Praedicatorum, A.D. 1274
29 A
30 b
31 c

Februarius

1 d Brigidae, A.D. 523
2 e **Praesentatio Domini Nostri Iesu Christi in Templo**
3 f Anscarii Archiepiscopi Hamburgensis, Missionarii ad Danos et Suedicos, A.D. 865
4 g Cornelii Centurionis
5 A Martyrum Nipponensium, A.D. 1597
6 b
7 c
8 d
9 e
10 f
11 g
12 A
13 b Absalom Jones Presbyteri, A.D. 1818
14 c Cyrilli Monachi et Methodii Episcopi, Missionariorum ad Sclavos, A.D. 869, 885
15 d Thomae Bray Presbyteri et Missionarii, A.D. 1730
16 e
17 f
18 g Martini Luther Reformatoris, A.D. 1546
19 A
20 b
21 c
22 d
23 e Polycarpi Episcopi Smyrnaei et Martyris, A.D. 156
24 f **Sancti Matthiae Apostoli**
25 g
26 A
27 b Georgii Herbert Presbyteri, A.D. 1633
28 c
29

Martius

	1	d	David Episcopi Meneviensis in Cambria, circa A.D. 544
	2	e	Chad Episcopi Lichfildiensis, A.D. 672
	3	f	Ioannis et Caroli Wesley Presbyterorum, A.D. 1791, 1788
	4	g	
	5	A	
	6	b	
	7	c	Perpetuae et Sodalium, Martyrum Carthaginiensium, A.D. 202
	8	d	
	9	e	Gregorii Episcopi Nyssaei, circa A.D. 394
	10	f	
	11	g	
	12	A	Gregorii Magni Episcopi Romani, A.D. 604
	13	b	
	14	c	
	15	d	
	16	e	
	17	f	Patricii Episcopi et Missionarii ad Hibernos, A.D. 462
	18	g	Cyrilli Episcopi Hierosolymitani, A.D. 386
	19	A	**Sancti Ioseph**
	20	b	Cuthberti Episcopi Lindisfarnensis, A.D. 687
	21	c	Thomae Ken Episcopi Bathensis, A.D. 1711
14	22	d	Iacobi De Koven Presbyteri, A.D. 1879
3	23	e	Gregorii Illuminatorii Episcopi et Missionarii ad Armenios
	24	f	
11	25	g	**Annuntiatio Domini Nostri Iesu Christi Beatae Mariae Virgini**
	26	A	
19	27	b	Caroli Henrici Brent Episcopi Philippinarum et Episcopi Neo-Eboracensis Occidentalis
8	28	c	
	29	d	Ioannis Keble Presbyteri, A.D. 1866
16	30	e	
5	31	f	Ioannis Donne Presbyteri, A.D. 1631

Aprilis

	1	g	Frederici Denison Maurice Presbyteri, A.D. 1872
13	2	A	Iacobi Ludovici Breck Presbyteri, A.D. 1876
2	3	b	Ricardi Episcopi Cicestriensis, A.D. 1253
	4	c	Martini Luther King Iunioris, Ductoris in Iuribus Civilibus, A.D. 1968
10	5	d	
	6	e	
18	7	f	
7	8	g	Gulielmi Augusti Muhlenberg Presbyteri, A.D. 1877
	9	A	Dietrichi Bonhoeffer Pastoris et Theologi, A.D. 1945
15	10	b	Gulielmi Law Presbyteri, A.D. 1761
4	11	c	Georgii Augusti Selwyn Episcopi Neo-Selandiensis et Episcopi Lichfildiensis, A.D. 1878
	12	d	
12	13	e	
1	14	f	
	15	g	
9	16	A	
17	17	b	
6	18	c	
	19	d	Alphegi Archiepiscopi Cantuariensis et Martyris, A.D. 1012
	20	e	
	21	f	Anselmi Archiepiscopi Cantuariensis, A.D. 1109
	22	g	
	23	A	
	24	b	
	25	c	**Sancti Marci Evangelistae**
	26	d	
	27	e	
	28	f	
	29	g	Catharinae Senensis, A.D. 1380
	30	A	

Maius

1 b **Sanctorum Phillipi et Iacobi Apostolorum**
2 c Athanasii Episcopi Alexandriensis, A.D. 373
3 d
4 e Monnicae Matris Augustini Hipponensis, A.D. 387
5 f
6 g
7 A
8 b Dominae Iulianae Norvicensis, circa A.D. 1417
9 c Gregorii Nazianzi Episcopi Constantinopolitani, A.D. 389
10 d
11 e
12 f
13 g
14 A
15 b
16 c
17 d
18 e
19 f Dunstan Archiepiscopi Cantuariensis, A.D. 988
20 g Alcuin Diaconi et Abbatis Turonensis, A.D. 804
21 A
22 b
23 c
24 d Jackson Kemper Primi Episcopi Missionarii in Civitatibus Foederatis Americae, A.D. 1879
25 e Bedae Venerabilis Presbyteri et Monachi Girvi, A.D. 735
26 f Augustini Primi Archiepiscopi Cantuariensis, A.D. 605
27 g
28 A
29 b
30 c
31 d **Visitatio Beatae Mariae Virginis**

Decet commemorationem Primi Libris Precum Publicarum, A.D. 1549, celebrare in feria post Dominicam Pentecostes.

Iunius

1 e Iustini Martyris Romae, circa A.D. 167
2 f Martyrum Lugdunensium, A.D. 177
3 g Martyrum Ugandensium, A.D. 1886
4 A
5 b Bonifatii Archiepiscopi Moguntinensis
Missionarii ad Germanos et Martyris, A.D. 754
6 c
7 d
8 e
9 f Columbae Abbatis Ionae, A.D. 597
10 g Ephrem Syri Diaconi, 373
11 A **Sancti Barnabi Apostoli**
12 b
13 c
14 d Basilii Magni Episcopi Caesariensis, A.D. 379
15 e
16 f Ioseph Butler Episcopi Dunelmensis, A.D. 1752
17 g
18 A Bernardi Mizeki Catechisti et Martyris Rhodesiensis, A.D. 1896
19 b
20 c
21 d
22 e Albani Protomartyris Britannici, circa A.D. 304
23 f
24 g **Nativitas Sancti Ioannis Baptistae**
25 A
26 b
27 c
28 d Irenaei Episcopi Lugdunensis, circa A.D. 202
29 e **Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum**
30 f

Iulius

1 g
2 A
3 b
4 c **Dies Libertatis in Civitatibus Foederatis Americae**
5 d
6 e
7 f
8 g
9 A
10 b
11 c Benedicti Nursiensis Abbatis Montis Cassini, circa A.D. 540
12 d
13 e
14 f
15 g
16 A
17 b Gulielmi White Episcopi Pennsylvaniensis, A.D. 1836
18 c
19 d Macrinae Monachae et Doctoris, A.D. 379
20 e Elizabethae Cady Stanton, Ameliae Bloomer, Sojourner Truth, et Harriettae Ross Tubman, Liberatorum et Prophetarum
21 f
22 g **Sanctae Mariae Magdalenae**
23 A
24 b Thomae a Kempis Presbyteri, A.D. 1471
25 c **Sancti Iacobi Apostoli**
26 d Parentium Beatae Mariae Virginis
27 e Gulielmi Reed Huntington Presbyteri, A.D. 1909
28 f
29 g Mariae et Marthae Bethaniae
30 A Gulielmi Wilberforce, A.D. 1833
31 b Ignatii Loyolae Presbyteri, Monachi et Fundatoris Societatis Iesu, A.D. 1556

Augustus

1 c Ioseph Arimathaeae
2 d
3 e
4 f
5 g
6 A **Transfiguratio Domini Nostri Iesu Christi**
7 b Ioannis Mason Neale Presbyteri, A.D. 1866
8 c Dominici Presbyteri et Fratris, A.D. 1221
9 d
10 e Laurentii Diaconi et Martyris Romae, A.D. 258
11 f Clarae Abbatis Assisiensis, A.D. 1253
12 g
13 A Ieremiae Taylor Episcopi Dunensis, Conorensis et Drumorensis, A.D. 1667
14 b Ionathan Myrici Daniels Discipuli ad Seminarium
et Martyris pro Iuribus Civilibus
15 c **Sanctae Mariae Virginis Matris Domini Nostri**
Iesu Christi
16 d
17 e
18 f Gulielmi Porcher DuBose Presbyteri, A.D. 1918
19 g
20 A Bernardi Abbatis Claraevallensis, A.D. 1153
21 b
22 c
23 d
24 e **Sancti Bartholomaei Apostoli**
25 f Ludovici Regis Francorum, A.D. 1270
26 g
27 A Thomae Gallaudet, A.D. 1902 et Henrici Winter Style, A.D. 1890
28 b Augustini Episcopi Hipponensis, A.D. 430
29 c
30 d
31 e Aidan Episcopi Lindisfarnensis, A.D. 651

September

1 f David Pendleton Oakerhater Diaconi et Missionarii, A.D. 1931
2 g Martyrum Neo-Guiniensium, A.D. 1942
3 A
4 b Pauli Jones Episcopi et Advocati pro Pace, A.D. 1941
5 c
6 d
7 e
8 f
9 g Constantiae Monachae et Sodalium, A.D. 1878
10 A Alexandri Crummell Presbyteri, Missionarii et Doctoris, A.D. 1898
11 b
12 c Ioannis Henrici Hobart Episcopi Neo-Eboracensis, A.D. 1830
13 d Cypriani Episcopi et Martyris Carthaginiensis, A.D. 258
14 e **Exaltatio Sanctae Crucis**
15 f
16 g Niniani Episcopi Novantum Chersonesi, circa A.D. 430
17 A Hildegardis Abbatis Bingensis et Mysticae, A.D. 1179
18 b Edwardi Bouverie Pusey Presbyteri, A.D. 1882
19 c Theodori Tarsi Archiepiscopi Cantuariensis, A.D. 690
20 d Ioannis Coleridge Patteson Episcopi Melanesiensis et Sodalium, Martyrum, A.D. 1871
21 e **Sancti Matthaei Apostoli et Evangelistae**
22 f
23 g
24 A
25 b Sergii Abbatis Monasterii Sanctissimae Trinitatis Moscoviae, A.D. 1392
26 c Lancelot Andrews Episcopi Wintoniensis, A.D. 1626
27 d
28 e
29 f **Sancti Michaeli et Omnium Angelorum**
30 g Hieronymi Presbyteri et Monachi apud Bethlehem, A.D. 420

October

1 A Remigii Episcopi Remensis, circa A.D. 530
2 b
3 c
4 d Francisci Assisiensis Fratris Minoris, A.D. 1226
5 e
6 f Gulielmi Tyndale Presbyteri, A.D. 1536
7 g
8 A
9 b Roberti Grosseteste Episcopi Lincolniensis, A.D. 1253
10 c
11 d
12 e
13 f
14 g Samuhelis Isaac Ioseph Schereschewsky Episcopi apud Shanghai, A.D. 1906
15 A Teresae Avilae Monachae, A.D. 1582
16 b Hugonis Latimer et Nicolai Ridley Episcoporum, A.D. 1555, et Thomae Cranmer Archiepiscopi Cantuariensis, A.D. 1556
17 c Ignatii Episcopi Antiochensis et Martyris, circa A.D. 115
18 d **Sancti Lucae Evangelistae**
19 e Henrici Martyn Presbyteri et Missionarii ad Indos et Persas, A.D. 1812
20 f
21 g
22 A
23 b **Sancti Iacobi Hierosolymitani Fratris Domini Nostri Iesu Christi et Martyris, circa A.D. 62**
24 c
25 d
26 e Alfredi Magni Regis Saxonorum Occidentalium, A.D. 899
27 f
28 g **Sanctorum Simonis et Iudae Apostolorum**
29 A Iacobi Hannington Episcopi Africae Equatorialis Occidentalis et Sodalium, Martyrum, A.D. 1885
30 b
31 c

November

1 d **Omnium Sanctorum**
2 e Commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum
3 f Ricardi Hooker Presbyteri, A.D. 1600
4 g
5 A
6 b
7 c Willibrord Archiepiscopi Traiectensis Missionarii ad Frisios, A.D. 739
8 d
9 e
10 f Leonis Magni Episcopi Romani, A.D. 461
11 g Martini Episcopi Turonensis, A.D. 397
12 A Caroli Simeonis Presbyteri, A.D. 1836
13 b
14 c Consecratio Samuhelis Seaburiensis Protoepiscopi Americani, A.D. 1784
15 d
16 e Margaritae Reginae Scotorum, A.D. 1093
17 f Hugonis Episcopi Lincolniensis, A.D. 1200
18 g Hildae Abbatis apud Streanaeshalch, A.D. 680
19 A Elizabethae Principis Pannoniae, A.D. 1231
20 b Eadmundi Regis Angliae Orientalis, A.D. 870
21 c
22 d
23 e Clementis Episcopi Romani, circa A.D. 100
24 f
25 g Iacobi Otis Sargeant Huntington Presbyteri et Monachi, A.D. 1935
26 A
27 b
28 c Kamehamehae et Emmae Regis et Reginae apud Hawaii, A.D. 1864, 1885
29 d
30 e **Sancti Andreae Apostoli**

December

1 f Nicolai Ferrar Diaconi, A.D. 1637
2 g Channing Moore Williams Episcopi Missionarii ad Sericos et Nipponenses, A.D. 1910
3 A
4 b Ioannis Damasceni Presbyteri, circa A.D. 760
5 c Clementis Alexandrini Presbyteri, circa A.D. 210
6 d Nicolai Episcopi Myrensis, circa A.D. 397
7 e Ambrosii Episcopi Mediolanensis, A.D. 397
8 f
9 g
10 A
11 b
12 c
13 d
14 e
15 f
16 g
17 A
18 b
19 c
20 d
21 e **Sancti Thomae Apostoli**
22 f
23 g
24 A
25 b **Nativitas Domini Nostri Iesu Christi**
26 c **Sancti Stephani Diaconi et Protomartyris**
27 d **Sancti Ioannis Apostoli et Evangelistae**
28 e **Sanctorum Innocentium**
29 f Thomae Archiepiscopi Cantuariensis, A.D. 1170
30 g
31 A

Tituli Temporum
in hac Ecclesia per annum observatorum
et Dominicarum et Dierum Sanctorum Maiorum

Tempore Adventus

Dominica prima Adventus
Dominica secunda Adventus
Dominica tertia Adventus
Dominica quarta Adventus

Tempore Nativitatis

Nativitas Domini, *die 25 Decembris*
Dominica post festum Nativitatis
Festum Sancti Nominis, *die 1 Ianuarii*
Dominica secunda post festum Nativitatis

Tempore Epiphaniae

Epiphania, vel Manifestatio Christi ad Gentes, *die 6 Ianuarii*
Dominica prima post Epiphaniam: Baptisma Domini Nostri
  Iesu Christi
A Dominica secunda post Epiphaniam
  usque ad Dominicam octavam post Epiphaniam
Dominica ultima post Epiphaniam

Tempore Quadragesimae

Feria Quarta Cinerum
Dominica prima in Quadragesima
Dominica secunda in Quadragesima
Dominica tertia in Quadragesima
Dominica quarta in Quadragesima
Dominica quinta in Quadragesima

Tempore Passionis

Dominica de Passione: Dominica in Palmis
Feria secunda Maioris Hebdomadae
Feria tertia Maioris Hebdomadae
Feria quarta Maioris Hebdomadae
Feria quinta in Cena Domini
Feria sexta in Parasceve
Sabbatum Sanctum

Tempore Paschali

Dominica Resurrectionis vel Dies Paschae
Feria secunda post Pascha
Feria tertia post Pascha
Feria quarta post Pascha
Feria quinta post Pascha
Feria sexta post Pascha
Sabbatum post Pascha
Dominica secunda Paschae
Dominica tertia Paschae
Dominica quarta Paschae
Dominica quinta Paschae
Dominica sexta Paschae
Dies Ascensionis
Dominica septima post Pascha: Dominica post Ascensionem
Dominca Pentecostes

Tempore Post Pentecosten

Dominica prima post Pentecosten: Dominica Sanctissimae Trinitatis
A Dominca secunda post Pentecosten usque ad Dominicam
vicesimam septimam post Pentecosten
Dominica Ultima post Pentecosten

Dies Sancti

Dies Sancti Andreae, *30 Novembris*
Dies Sancti Thomae, *21 Decembris*
Dies Sancti Stephani, *26 Decembris*
Dies Sancti Ioannis, *27 Decembris*
Dies Sanctorum Innocentium, *28 Decembris*
Confessio Sancti Petri, *Die 18 Ianuarii*
Conversio Sancti Pauli, *Die 25 Ianuarii*
Praesentatio Domini Nostri Iesu Christi in Templo:
Purificatio Beatae Mariae Virginis, *Die 2 Februarii*
Dies Sancti Matthiae, *24 Februarii*
Dies Sancti Iosephi, *19 Martii*
Annunciatio Beatae Mariae Virginis, *Die 25 Martii*
Dies Sancti Marci, *25 Aprilis*
Dies Sanctorum Philippi et Iacobi, *1 Maii*
Visitatio Beatae Mariae Virginis, *31 Maii*
Dies Sancti Barnabae, *11 Iunii*
Nativitas Sancti Ioannis Baptistae, *Die 24 Iunii*
Dies Sanctorum Petri et Pauli, *29 Iunii*
Dies Sanctae Mariae Magdelanae, *22 Iulii*
Dies Sancti Iacobi, *25 Iulii*
Transfiguratio Domini Nostri Iesu Christi, *Die 6 Augusti*
Dies Sanctae Mariae Virginis Matris Domini Nostri Iesu Christi, *15 Augusti*
Dies Sancti Bartholomaei, *24 Augusti*
Exaltatio Sanctae Crucis, *Die 14 Septembris*

Dies Sancti Matthaei, *21 Septembris*
Dies Sancti Michaelis et Omnium Angelorum, *29 Septembris*
Dies Sancti Lucae, *18 Octobris*
Dies Sancti Iacobi Hierosolymitani Fratris Domini Nostri Iesu Christi, *23 Octobris*
Dies Sanctorum Simonis et Iudae, *28 Octobris*
Dies Omnium Sanctorum, *1 Novembris*

Dies Civiles

Dies Libertatis in Civitatibus Foederatis Americae, *4 Iulii*
Dies Gratiarum Actionis

Divinum Officium

De Officio

In divino Officio, verbum "Officians" significat hominem, sive clericum sive laicum, qui Officium dirigit.

Decet ut alii ad Lectiones legendas assignentur, et ad dirigendas officii partes alias non officianti assignatas. Decet ut episcopus, si adsit, Officium cum benedictione concludat.

In celebrationibus Sanctae Eucharistiae, licet ut Ordo ad Matutinas vel Vespertinas Preces pro omnibus Offertorium antecedentibus adhibeatur.

Ordo ad Matutinas Preces Quotidianas

Officians officium incipit ab una vel pluribus ex his sententiis Scripturae, vel ab versiculo "Domine, labia nostra aperies".

Tempore Adventus

Vigilate, ergo nescitis enim quando dominus domus veniat sero, an media nocte, an galli cantu, an mane, ne cum venerit repente inveniat vos dormientes. *Marc. 13:35, 36*

Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. *Is. 40:3*

Revelabitur gloria Domini, et videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum est. *Is. 40:5*

Tempore Nativitatis

Ecce, enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo. Quia natus est vobis hodie salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David. *Luc. 2:10, 11*

Ecce, tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis, et ipsi populus eius erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus. *Apoc. 21:3*

Tempore Epiphaniae

Et ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui. *Is. 60:3*

Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terrae. *Is. 49:6b*

Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est Nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur Nomini meo oblatio munda, quia magnum Nomen meum in gentibus dicit Dominus exercituum. *Mal. 1:11*

Tempore Quadragesimae

Si dixerimus quoniam peccatum non habemus ipsi nos seducimus et veritas in nobis non est; si confiteamur peccata nostra fidelis est et iustus ut remittat nobis peccata et emundet nos ab omni iniquitate. *I Io. 1:8, 9*

Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra, et convertimini ad Dominum Deum vestrum; quia benignus et misericors est, patiens et multae misericordiae, et praestabilis super malitia. *Ioel 2:13*

Surgam et ibo ad patrem meum et dicam illi, "Pater, peccavi in caelum, et coram te, et iam non sum dignus vocari filius tuus." *Luc. 15:18, 19*

Tibi autem Domino Deo nostro misericordia et propitiatio, quia recessimus a te, et non audivimus vocem Domini Dei nostri, ut ambularemus in lege eius quam posuit nobis. *Dan. 9:9, 10*

Iesus dixit, "Si quis vult post me sequi, deneget se ipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. *Marc. 8:34*

Tempore Passionis

Omnes nos quasi oves erravimus; unusquisque in viam suam declinavit; et Dominus posuit in eo iniquitatem omnium nostrum. *Is. 53:6*

O vos omnes qui transitis per viam, adtendite et videte si est dolor sicut dolor meus, quoniam vindemiavit me ut locutus est Dominus in die irae furoris sui. *Lam. 1:12*

Tempore Paschali

Alleluia! Christus surrexit.
Surrexit Dominus vere. Alleluia!

Haec est dies quam fecit Dominus; exultemus et laetemur in ea. *Ps. 118: 24 [Vulgata 117: 24]*

Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum. *I Cor. 15:57*

Igitur si conresurrexistis Christo, quae sursum sunt quaerite ubi Christus est in dextera Dei sedens. *Col. 3:1*

Non enim in manufactis sanctis Iesus introiit, exemplaria verorum, sed in ipsum caelum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis. *Heb. 9:24*

Accipietis virtutem, supervenientis Spiritus Sancti in vos; et eritis mihi testes in Hierusalem, et in omni Iudaea, et Samaria, et usque ad ultimum terrae. *Act. 1:8*

In festo Sanctissimae Trinitatis

Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, et qui est, et qui venturus est. *Apoc. 4:8*

In festo Omnium Sanctorum et in aliis Diebus Sanctorum Maioribus

Gratias agimus Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine. *Col. 1:12*

Iam non estis hospites et advenae, sed estis cives sanctorum et domestici Dei. *Eph. 2:19*

In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum. *Ps. 19:5 [Vulgata 18: 4]*

In Occasionibus Gratiarum Actionis

Confitemini Domino et invocate Nomen eius; adnuntiate inter gentes opera eius. *Ps. 105:1 [Vulgata 104: 1]*

Ad Tempus Quodlibet

Gratia vobis, et pax, a Deo Patre nostro et Domino nostro Iesu Christo. *Phil. 1:2*

Laetatus sum in his quae dicta sunt mihi, "In domum Domini ibimus." *Ps. 122:1 [Vulgata 121: 1]*

Conplaceant eloquia oris mei, et meditatio cordis mei, in conspectu tuo semper, Domine, adiutor meus et redemptor meus. *Ps. 19:15 [Vulgata 18: 14]*

Emitte lucem tuam et veritatem tuam ipsa me deduxerunt, et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua. *Ps. 43:3 [Vulgata 42: 3]*

Dominus autem in templo sancto suo; sileat a facie eius omnis terra. *Hab. 2:20*

Venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate; nam et Pater tales quaerit qui adorent eum. *Io. 4:23*

Haec dicit Excelsus et Sublimis habitans aeternitatem, et sanctum Nomen eius, in excelso et in sancto habitans, et cum contrito et humili spiritu, ut vivificet spiritum humilium, et vivificet cor contritorum. *Is. 57:15*

Confessio Peccati sequens dicatur; vel Officium statim pergatur cum "Domine, labia nostra aperies."

Confessio Peccati

Officians populo dicit

Carissimi fratres et sorores, nos coram Deo Omnipotenti, Patri caelesti nostro, convenimus, ut gratias agamus propter uberrimam Divini numinis munificentiam, quae nos omni genere beneficiorum cumulavit; ut Dei bonitatem excellentem praedicemus; ut Verbum sanctum eius attendamus; et pro nobis et pro aliis a Deo petamus illa vitae nostrae salutique necessaria. Itaque ut in corde et mente ad Deum venerandum nos ipsos paremus, in silentio genuflectamus, et cum cordibus paenitentibus obsequentibusque confiteamur peccata nostra, ut culparum nostrarum veniam ex summa Dei clementia consequamur.

vel

Secundum Ritum I

Confiteamur humiliter
peccata nostra Deo Omnipotenti.

Silentium sequatur.

Minister et Populus dicunt

Omnipotens et clementissime Pater,
tanquam oves perditae peregrinati sumus,
et a viis tuis aberravimus.
Inventis et concupiscentiis
cordis nostri nimium indulsimus,
sacrosanctas leges tuas violavimus,
quae a nobis facienda fuerant omisimus,
et quae facienda non fuerant admisimus.
Quapropter, Domine, propitius esto nobis,
parce, Deus, peccata sua confitentibus,
misericordiam concede resipiscentibus,
iuxta promissiones tuas humano generi
in Christo Iesu Domino nostro
benignissime revelatas:
amplius etiam concede nobis,
clementissime Pater, propter Filium
tuum et Salvatorem nostrum
Iesum Christum,
ut posthac pie, iuste, sobrieque
vitam nostram instituamus,
ad sanctissimi tui Nominis gloriam. Amen.

Sacerdos solum stat et pronuntiat

Absolutionem, et remissionem omnium
peccatorum vestrorum, spatium verae

Secundum Ritum II

Confiteamur peccata nostra
in Deum et in proximum nostrum.

Silentium sequatur.

Minister et Populus dicunt

Clementissime Deus,
confitemur quia peccavimus in te
cogitatione, verbo, et facto,
opere et omissione.
Te non ex animo dileximus;
Neque proximos nostros sicut nos ipsos.
Vere nos paenitet
et humiliter paenitentiam agimus.
Propter Filium tuum Iesum Christum,
miserere nobis et dimitte peccata nostra;
ut in voluntate tua gaudeamus,
et in viis tuis ambulemus,
ad gloriam Nominis tui. Amen.

Sacerdos solum stat et pronuntiat

Misereatur vestri omnipotens Deus,
dimittat vobis omnia peccata vestra

paenitentiae, emendationem vitae, gratiam ac consolationem Sancti Spiritus, tribuat vobis omnipotens et misericors Dominus. *Amen.*

per Christum Dominum nostrum, confirmet in omni bono, et virtute Spiritus Sancti ad vitam perducat aeternam. *Amen.*

Diaconus aut laicus, hac forma utens, supponit "nostrorum" pro "vestrorum" et "nobis" pro "vobis."

Invitatorium et Psalterium

Omnes stant

Officians Domine, labia nostra aperies.
Populus Et os nostrum annuntiabit laudem tuam.

Officians et Populus dicunt

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto: sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Nisi in Quadragesima, additur Alleluia.

Sequitur unus ex Psalmis Invitatoriis, id est Venite aut Iubilate

Una ex Antiphonis sequentibus cum Psalmo Invitatorio canatur vel dicatur

Tempore Adventus

Regem venturum Dominum: Venite adoremus.

Duodecim diebus festi Nativitatis

Alleluia. Puer nobis natus est: Venite adoremus. Alleluia

A festo Epiphaniae usque ad Dominicam sequentem

Ostendit Dominus gloriam suam: Venite adoremus.

Tempore Quadragesimae

Misericordem et miseratorem Dominum: Venite adoremus.

A die Paschae usque ad diem Ascensionis

Alleluia. Surrexit Dominus vere: Venite adoremus. Alleluia.

A die Ascensionis usque ad diem Pentecostes

Alleluia. Christum Dominum qui in caelum ascendit: Venite adoremus. Alleluia.

Die Pentecostes

Alleluia. Spiritus Domini universum mundum complet: Venite adoremus. Alleluia.

Festo Sanctissimae Trinitatis

Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum, Deum: Venite adoremus.

Dominicis et feriis

Dominum, qui fecit nos: Venite adoremus.

vel

Adorate Dominum in decore sancto: Venite adoremus.

vel

In sempiternum misericordia Domini: Venite adoremus.

"Alleluia" in sequentibus dicitur solum in tempore Paschali

Festis Incarnationis

[Alleluia.] Verbum caro factum est et habitavit in nobis: Venite adoremus. [Alleluia.]

Festo Omnium Sanctorum et aliis Diebus Maioribus Sanctorum

[Alleluia.] Dominum, qui illustris est in sanctis suis: Venite adoremus. [Alleluia.]

Venite *Ps. 95:1-7 (et, in Ritu I, 96:9, 13) [Vulgata 94:1-7 (et, in Ritu I, 95:9, 13)]*

Venite exultemus Domino; *
  iubilemus Deo salutari nostro.
Praeoccupemus faciem eius in confessione, *
  et in psalmis iubilemus ei.

Quoniam Deus magnus Dominus, *
  et rex magnus super omnes deos.
Quia in manu eius fines terrae, *
  et altitudines montium ipsius sunt.
Quoniam ipsius est mare et ipse fecit illud, *
  et siccam manus eius formaverunt.

Secundum Ritum I

Venite adoremus et procidamus, *
  et ploremus ante Dominum qui fecit nos.

Secundum Ritum II

Venite adoremus et procidamus, *
  et ploremus ante Dominum qui fecit nos.

Quia ipse est Deus noster, *
  et nos populus pascuae eius
  et oves manus eius.

Quia ipse est Deus noster,
et nos populus pascuae eius et oves manus eius. *
  Utinam hodie vocem eius audiatis!

Adorate Dominum in atrio sancto eius; *
  commoveatur a facie eius universa terra.
Quia venit, quoniam venit, iudicare terram, *
  iudicabit orbem terrae in aequitate
  et populos in veritate sua.

vel Ps. 95 [Vulgata 94] in pagina 146 vel 724 [Libri Precum Publicarum].

Iubilate *Ps. 100 [Vulgata 99]*

Iubilate Domino omnis terra; *
  servite Domino in laetitia,
  introite in conspectu eius in exultatione.

Scitote quoniam Dominus ipse est Deus;
ipse fecit nos et non ipsi nos; *
  populus eius et oves pascuae eius.

Introite portas eius in confessione,
atria eius in hymnis; *
  confitemini illi; laudate Nomen eius.

Quoniam suavis Dominus;
in aeternum misericordia eius; *
  et usque in generationem et generationem veritas eius.

In Hebdomada Paschatis, pro Psalmo Invitatorio, sequens canitur aut dicitur; et adhibeatur usque ad Dominicam Pentecostes.

Pascha nostrum

I Cor. 5:7-8; Rom. 6:9-11; I Cor. 15:20-22

Alleluia.
Pascha nostrum immolatus est Christus, *
  itaque epulemur,
Non in fermento veteri,
neque in fermento malitiae et nequitiae, *
  sed in azymis sinceritatis et veritatis. Alleluia.

Christus resurgens a morte, iam non amplius moritur; *
  mors illi ultra non dominabitur.

Quod enim mortuus est, semel mortuus propter abolitionem peccati, *
quod autem vivit, vivit Deo.
Ita existimate vos ipsos mortuos quidem esse peccato, *
viventes autem Deo, per Iesum Christum Dominum nostrum.
Alleluia.

Nunc autem Christus resurrexit a mortuis *
primitiae eorum qui dormierunt.
Postquam enim per hominem mors, *
etiam per hominem resurrectio mortuorum.
Quemadmodum enim omnes per Adam moriuntur, *
ita per Christum omnes vivificabuntur. Alleluia.

Sequitur

Psalmus Assignatus vel Psalmi

Post psalmos, canitur aut dicitur

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto: *
sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Lectiones

Una Lectio recitetur vel duae, sicut assignatur, Lectore incipiente

Lectio (de libro N. *vel* de epistola ad N. *vel* de evangelio secundum N.)

Post quamque lectionem, Lector dicat

Verbum Domini.
Populus Deo Gratias.

aut Lector dicat Hic finitur Lectio.

Silentium sequatur.

Unum ex Canticis sequentibus canitur vel dicitur post quamque Lectionem.

8 Canticum Moysis
Ex. 15:1-6, 11-13, 17-18

Aptum praecipue ad Tempus Paschale

Cantemus Domino gloriose enim magnificatus est; *
  equum et ascensorem deiecit in mare.
Fortitudo mea et laus mea Dominus; *
  et factus est mihi in salutem.
Iste Deus meus et glorificabo eum, *
  Deus patris mei et exaltabo eum.
Dominus quasi vir pugnator; *
  Omnipotens nomen eius.
Currus Pharaonis et exercitum eius proiecit in mare; *
  electi principes eius submersi sunt in Mari Rubro.
Abyssi operuerunt eos; *
  descenderunt in profundum quasi lapis.
Dextera tua, Domine, magnifice in fortitudine; *
  dextera tua, Domine, percussit inimicum.
Quis similis tui in fortibus, Domine? *
  quis similis tui, magnificus in sanctitate,
  terribilis atque laudabilis, et faciens mirabilia?
Extendisti manum tuam *
  et devoravit eos terra.
Dux fuisti in misericordia tua populo quem redemisti; *
  et portasti eum in fortitudine tua
    ad habitaculum sanctum tuum.
Introduces eos et plantabis *
  in monte hereditatis tuae,
Firmissimo habitaculo tuo quod operatus es, Domine, *
  sanctuarium, Domine, quod firmaverunt manus tuae.
Dominus regnabit *
  in aeternum et ultra.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto: *
  sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

9 Canticum Primum Isaiae

Is. 12:2-6

Ecce, Deus salvator meus *
  fiducialiter agam et non timebo.
Quia fortitudo mea et laus mea Dominus Deus, *
  et factus est mihi in salutem.
Haurietis aquas in gaudio *
  de fontibus salvatoris.
Et dicetis in illa die, *
  Confitemini Domino et invocate
    Nomen eius;
Notas facite in populis adinventiones eius; *

mementote quoniam excelsum est
Nomen eius.
Cantate Domino, quoniam magnifice fecit, *
adnuntiate hoc in universa terra.
Exulta et lauda habitatio Sion, *
quia magnus in medio tui Sanctus Israel.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto: *
sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

10 Canticum Secundum Isaiae

Is. 55:6-11

Quaerite Dominum dum inveniri potest *
invocate eum dum prope est.
Derelinquat impius viam suam *
et vir iniquus cogitationes suas;
Et revertatur ad Dominum, et miserebitur eius, *
et ad Deum nostrum, quoniam multus
est ad ignoscendum.
Non enim cogitationes meae cogitationes vestrae, *
neque viae vestrae viae meae, dicit Dominus.
Quia sicut exaltantur caeli a terra, *
sic exaltatae sunt viae meae a viis vestris,
et cogitationes meae a cogitationibus vestris.
Et quomodo descendit imber et nix de caelo *
et illuc ultra non revertitur
sed inebriat terram et infundit eam,
Et germinare eam facit, *
et dat semen serenti et panem comedenti,
Sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo; *
non revertetur ad me vacuum;
Sed faciet quaecumque volui, *
et prosperabitur in his ad quae misi illud.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto: *
sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

11 Canticum Tertium Isaiae

Is. 60:1-3, 11a, 14c, 18-19

Surge, illuminare, quia venit lumen tuum, *
et gloria Domini super te orta est.
Quia ecce, tenebrae operient terram; *
et caligo populos.

Super te autem orietur Dominus, *
  et gloria eius in te videbitur.
Et ambulabunt gentes in lumine tuo, *
  et reges in splendore ortus tui.
Et aperientur portae tuae iugiter; *
  die et nocte non claudentur.
Et vocabunt te, Civitatem Domini, *
  Sion Sancti Israel.
Non audietur ultra iniquitas in terra, *
  tua vastitas et contritio in terminis tuis.
Et occupabit salus muros tuos, *
  et portas tuas, laudatio.
Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem; *
  nec splendor lunae illuminabit te.
Sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, *
  et Deus tuus in gloriam tuam.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto: *
  sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

12 Canticum Creationis[1]

Dn. 3:57-87

Hoc Canticum brevietur, sectionem omittendo II vel III

I Invocatio

Benedicite omnia opera Domini Domino; *
  laudate et superexaltate eum in saecula.
Benedicite angeli Domini Domino; *
  laudate et superexaltate eum in saecula.

II De Ordine Universali

Benedicite caeli Domino; *
  Benedicite aquae omnes quae super caelos sunt Domino;
Benedicite omnes virtutes Domini Domino; *
  laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedicite sol et luna Domino; *
  Benedicite stellae caeli Domino;
Benedicite omnis imber et ros Domino; *
  laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedicite omnis spiritus Dei Domino; *
  Benedicite ignis et aestus Domino;

[1] Canticum 1 in Ritu I

Benedicite frigus et aestas Domino; *
laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedicite rores et pruina Domino; *
Benedicite gelu et frigus Domino;
Benedicite glacies et nives Domino; *
laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedicite noctes et dies Domino; *
Benedicite lux et tenebrae Domino;
Benedicite fulgura et nubes Domino; *
laudate et superexaltate eum in saecula.

III De Terra et Creaturis eiusdem

Benedicat terra Dominum; *
Benedicite montes et colles Domino;
Benedicite universa germinantia in terra Domino; *
laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedicite fontes Domino; *
Benedicite maria et flumina Domino;
Benedicite cete et omnia quae moventur in aquis Domino; *
laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedicite omnes volucres caeli Domino; *
Benedicite omnes bestiae et pecora Domino;
Benedicite filii hominum Domino; *
laudate et superexaltate eum in saecula.

IV De Plebe Dei

Benedicat Israel Dominum; *
Benedicite sacerdotes Domini Domino;
Benedicite servi Domini Domino; *
laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedicite spiritus et animae iustorum Domino; *
Benedicite sancti et humiles corde Domino;
Benedicamus Patrem, et Filium, cum Sancto Spiritu; *
laudemus et superexaltemus eum in saecula.

13 Canticum Laudis[2]

Dn. 3:52-56

Benedictus es, Domine Deus patrum nostrorum; *

[2] Canticum 2 in Ritu I

et laudabilis et superexaltatus in saecula.
Et benedictum Nomen gloriae tuae sanctum; *
et laudabile et superexaltatum in omnibus saeculis.
Benedictus es in templo sancto gloriae tuae; *
et superlaudabilis et supergloriosus in saecula.
Benedictus es in throno regni tui; *
et superlaudabilis et superexaltatus in saecula.
Benedictus es qui intueris abyssos et sedes super Cherubin; *
et laudabilis et superexaltatus in saecula.
Benedictus es in firmamento caeli; *
et laudabilis et gloriosus in saecula.
Benedictus es, O Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus; *
et laudabilis et superexaltatus in saecula.

14 **Canticum Paenitentiale** *Kyrie Pantokrator*

Oratio Manasse 1-2, 4, 6-7, 11-15

Aptum praecipue in Quadragesima, et aliis occasionibus paenitentialibus

Domine Deus omnipotens patrum nostrorum, *
Abraham, Isaac, et Iacob, et semini eorum iusto:
Qui fecisti caelum et terram, *
cum omni ornatu eorum;
Quod omnes pavent et tremunt *
a vultu virtutis tuae.
Immensa vero et investigabilis *
misericordia promissionis tuae;
Quoniam tu es Dominus altissimus super omnem terram, *
longanimis et multum misericors,
et paenitens super malitias hominum.
Tu autem Domine, secundum bonitatem tuam, *
promisisti remissionis peccatorum.
Et nunc flecto genua cordis mei, *
precans ad te bonitatem, Domine.
Peccavi, Domine, peccavi, *
et iniquitatem meam agnosco.
Peto rogans te, Domine, *
remitte mihi, remitte mihi,
Ne simul perdas me cum iniquitatibus meis, *
neque in aeternum reserves mala mihi;
Quia indignum salvabis me,
secundum magnam misericordiam tuam. *
et laudabo te semper omnibus diebus viae meae.
Quoniam te laudat omnis virtus caelorum, *
et tibi est gloria in saecula saeculorum. Amen.

15 Canticum Mariae[3]

Luc. 1:46-55

Magnificat *
anima mea Dominum,
et exsultavit spiritus meus *
in Deo salutari meo;
quia respexit humilitatem ancillae suae. *
Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes:
quia fecit mihi magna qui potens est, *
et sanctum Nomen eius.
Et misericordia eius in progenies et progenies *
timentibus eum.
Fecit potentiam in brachio suo, *
dispersit superbos mente cordis sui.
Deposuit potentes de sede, *
et exaltavit humiles.
Esurientes implevit bonis, *
et divites dimisit inanes.
Suscepit Israel puerum suum, *
recordatus misericordiae,
Sicut locutus est ad patres nostros, *
Abraham et semini eius in saecula.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto: *
sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

16 Canticum Zachariae[4]

Luc. 1:68-79

Benedictus Dominus Deus Israel; *
quia visitavit et fecit redemptionem plebi suae.
Et erexit cornu salutis nobis; *
in domo David pueri sui.
Sicut locutus est per os sanctorum; *
qui a saeculo sunt prophetarum eius.
Salutem ex inimicis nostris; *
et de manu omnium qui oderunt nos.
Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris; *
et memorari testamenti sui sancti.
Iusiurandum quod iuravit ad Abraham patrem nostrum; *

---

[3] Canticum 3 in Ritu I
[4] Canticum 4 in Ritu I

daturum se nobis.
Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati; *
serviamus illi,
In sanctitate et iustitia coram ipso; *
omnibus diebus nostris.
Et tu puer Propheta Altissimi vocaberis; *
praeibis enim ante faciem Domini, parare vias eius.
Ad dandam scientiam salutis plebi eius; *
in remissionem peccatorum eorum.
Per viscera misericordiae Dei nostri; *
in quibus visitavit nos oriens ex alto.
Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent; *
ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto: *
sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

17 Canticum Simeonis[5]

Luc. 2:29-32

Nunc dimittis servum tuum, Domine, *
secundum verbum tuum in pace;
Quia viderunt oculi mei *
salutare tuum,
quod parasti *
ante faciem omnium populorum,
Lumen ad revelationem Gentium, *
et gloriam plebis tuae Israel.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto: *
sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

18 Canticum in Agni Laude

Apoc. 4:11; 5:9-10, 13

Dignus es, Domine et Deus noster, *
accipere gloriam et honorem et virtutem,
Quia tu creasti omnia, *
et propter voluntatem tuam erant et creata sunt;

Dignus es, Agnus qui occisus es, *
quoniam redemisti nos Deo, in sanguine tuo,
Ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione, *
et fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes,

[5] Canticum 5 in Ritu I

et regnabimus super terram.

Sedenti in throno, *
et Christo Agno,
Benedictio et honor, et gloria et potestas, *
in saecula saeculorum.

19 Canticum Redemptorum

Apoc. 15:3-4

Magna et mirabilia opera tua, *
Domine Deus omnipotens.
Iustae et verae viae tuae, *
Rex saeculorum.

Quis non timebit, Domine,
et magnificabit Nomen tuum? *
quia solus pius;
Quoniam omnes gentes venient,
et adorabunt in conspectu tuo, *
quoniam iudicia tua manifestata sunt.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto: *
sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

20 Gloria in Excelsis[6]

Gloria in excelsis Deo,
et in terra pax hominibus bonae voluntatis.

Laudamus te, benedicimus te,
adoramus te,
glorificamus te.
Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam,
Domine Deus, Rex caelestis, Deus Pater Omnipotens.

Domine Fili Unigenite, Iesu Christe;
Domine Deus, Agnus Dei, Filius Patris,
qui tollis peccata mundi,
miserere nobis.
Qui tollis peccata mundi,
suscipe deprecationem nostram.
Qui sedes ad dexteram Patris,
miserere nobis.

---

[6] Canticum 6 in Ritu I

Quoniam tu solus sanctus;
tu solus Dominus;
tu solus altissimus, Iesu Christe,
  cum Sancto Spiritu,
  in gloria Dei Patris. Amen.

21 Te Deum Laudamus[7]

Te Deum laudamus: te Dominum confitemur.
Te aeternum Patrem: omnis terra veneratur.
Tibi omnes Angeli, tibi caeli et universae potestates.
Tibi Cherubin et Seraphin, incessabili voce proclamant,
  Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus sabaoth.
  Pleni sunt caeli et terra maiestatis gloriae tuae.
Te gloriosus Apostolorum chorus.
Te Prophetarum laudabilis numerus.
Te Martyrum candidatus laudat exercitus.
Te per orbem terrarum, sancta confitetur Ecclesia.
  Patrem immensae maiestatis.
  Venerandum tuum, verum, et unicum Filium.
  Sanctum quoque paraclitum Spiritum.

Tu rex gloriae, Christe.
Tu Patris sempiternus es Filius.
Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti Virginis uterum.
Tu devicto mortis aculeo, aperuisti credentibus regna caelorum.
Tu ad dexteram Dei sedes, in gloria Patris.
Iudex crederis esse venturus.
  Te ergo quaesumus, famulis subveni,
  quos pretioso sanguine redemisti.
  Aeterna fac cum Sanctis tuis in gloria numerari.

Symbolum Apostolorum

Omnibus stantibus, Officians et Populus una dicunt

Credo in Deum, Patrem omnipotentem,
  creatorem caeli et terrae;
Et in Iesum Christum Filium eius unicum Dominum nostrum;
  Qui conceptus est de Spiritu Sancto,
  natus ex Maria Virgine,
  passus sub Pontio Pilato,

---

[7] Canticum 7 in Ritu I

crucifixus, mortuus, et sepultus.
Descendit ad inferos.
Tertia die resurrexit a mortuis.
Ascendit ad caelos,
sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.
Inde venturus est iudicare vivos et mortuos.
Credo in Spiritum Sanctum,
sanctam Ecclesiam catholicam,
sanctorum communionem,
remissionem peccatorum,
carnis resurrectionem,
et vitam aeternam. Amen.

Preces

Populus stet vel genuflectat

Officians Dominus vobiscum.
Populus Et cum spiritu tuo.
Officians Oremus.

Officians et Populus dicunt

Pater noster, qui es in caelis,
sanctificetur nomen tuum,
adveniat regnum tuum,
fiat voluntas tua,
sicut in caelo et in terra.
Panem nostrum quotidianum da nobis hodie,
Et dimitte nobis debita nostra,
sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.
Et ne nos inducas in tentationem,
sed libera nos a malo.
Quia tuum est regnum, et potestas, et gloria
in saecula. Amen.

Sequitur una ex his congeriebus Suffragiorum

A

V. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam;
R. Et salutare tuum da nobis.
V. Sacerdotes tui induantur iustitia;
R. Et sancti tui exultent.
V. Da pacem, Domine, per totum mundum;

R. Quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti nos.
V. Hanc nationem, Domine, sub tuo praesidio conserva;
R. Dirige nos in viam iustitiae et veritatis.
V. Cognoscamus in terra viam tuam;
R. In omnibus gentibus salutare tuum.
V. Non in finem oblivio fiat pauperis;
R. Patientia pauperum non pereat in finem.
V. Cor mundum crea in nobis, Deus;
R. Et Spiritu Sancto tuo confirma nos.

B

V. Salvum fac populum tuum, Domine, et benedic hereditati tuae;
R. Et rege eos, et extolle illos usque in aeternum.
V. Per singulos dies benedicimus te;
R. Et laudamus Nomen tuum in saeculum, et in saeculum saeculi.
V. Dignare, Domine, die isto, sine peccato nos custodire;
R. Miserere nostri, Domine, miserere nostri.
V. Fiat misericordia tua, Domine, super nos;
R. Quemadmodum speravimus in te.
V. In te, Domine, speravi;
R. Non confundar in aeternum.

Officians unam vel plures ex Collectis sequentibus dicit

Collecta Diei

Collecta pro Dominicis

Deus, qui nos commemoratione hebdomadali resurrectionis gloriosae Filii tui Domini nostri laetificas: Da nobis hodie per nostram tui venerationem tantam benedictionem, ut hebdomadem venturam in gratia tua agamus; per eundem Dominum nostrum Iesum Christum. *Amen.*

Collecta pro Feriis Sextis

Omnipotens Deus, cuius dilectissimus Filius in gaudium non ascendit sed primum passus est, et in gloriam ante non introiit quam primum crucifixus est: Concede propitius ut nos, ambulantes in via crucis, eam vere inveniamus viam vitae et pacis; per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. *Amen.*

Collecta pro Sabbatis

Omnipotens Deus, qui mundo creato ab universo opere tuo requievisti et diem requiei pro omnibus creaturis sanctificasti: Concede nobis ut, ab omnibus curis terrestribus nos

seponentes, ad sanctuarii tui ministerium parati simus, et requies hac in terra nos paret ad aeternam requiem plebi tuo promissam in caelo; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen*.

Collecta pro Vitae Renovatione

Deus, Rex aeterne, cuius lux diem ab nocte dividit et umbram mortis in mane mutat: Depelle a nobis omnes pravas cupiditates, dirige corda nostra ad servandas tuas leges, et dirige pedes nostros in viam pacis; ut, postquam voluntatem tuam libenter per diem fecerimus, nocte adveniente in tibi gratias agendo gaudeamus; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen*.

Collecta pro Pace

Deus auctor pacis et amator, quem nosse, vivere; cui servire, regnare est: protege ab omni oppugnatione supplices tuos, ut qui in tua protectione confidimus, nullius hostilitatis arma timeamus. Per Christum Dominum nostrum. *Amen*.

Collecta pro Gratia

Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, qui nos ad principium huius diei pervenire fecisti, tua nos hodie salva virtute, ut in hac die ad nullum declinemus peccatum, nec ullum incurramus periculum, sed semper ad tuam iustitiam faciendam omnis nostra actio tuo moderamine dirigatur. Per Christum Dominum nostrum. *Amen*.

Collecta pro Moderatione

Pater caelestis, in quo vivimus et movemur et sumus: Nos dirige, quaesumus, Sancto Spiritu tuo, ne tui in cunctis curis et occupationibus vitae nostrae obliviscamur, sed recordemur nos in conspectu tuo semper ambulare; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen*.

Deinde, nisi Eucharistia vel forma intercessionis universalis sequitur, oratio pro missione additur

Omnipotens sempiterne Deus, cuius Spiritu totum corpus Ecclesiae sanctificatur et regitur: Exaudi nos pro universis ordinibus supplicantes, ut gratiae tuae munere, ab omnibus tibi gradibus fideliter serviatur. Per Dominum nostrum Iesum Christum. *Amen*.

vel

Deus, qui ex uno sanguine omne genus hominum fecisti, et beatum Filium misisti ad evangelizandum pacem eis qui longe sunt et eis qui prope: Concede ut omnes ubique te quaerant et inveniant; confer gentes in ovile tuum; effunde Spiritum tuum super omnem carnem; et accelera regnum tuum adveniens; per Christum Dominum nostrum. *Amen*.

vel

Domine Iesu Christe, qui manus caritatis extendisti in ligno duro crucis ut omnes in tuum amplexum salvantem adveniant: Sic indue nos Spiritu tuo ut, manus nostras extendentes in caritate, ducamus eos qui te non cognoscunt ad tui cognitionem dilectionemque; ad honorem tui Nominis. *Amen*.

Hic canatur hymnus vel antiphona.

Intercessiones licitae et gratiarum actiones sequantur.

Ante finem Officii, una ex orationibus sequentibus dicatur vel ambae

Gratiarum Actio Generalis

Officians et Populus dicant

Omnipotens Deus, miserationum omnium Pater,
nos indigni famuli tui
tibi ex animo et cum summa demissione gratias agimus
ob universam illam beneficentiam, benignitatem, et favorem
erga nos et omnes homines.
Tibi benedicimus ob creationem nostram, conservationem
et omnes huius vitae benedictiones;
ante omnia vero ob inaestimabilem amorem tuum,
in redemptione mundi per Iesum Christum Dominum nostrum, patefactum;
ob gratiae media, et spem gloriae.
Te autem rogamus supplices,
ut cunctis a te acceptis beneficiis ita afficiamur,
ut animi nostri vere erga te grati efficiantur,
et laudem tuam praedicemus,
non labiis dumtaxat, sed etiam moribus ac vivendi ratione
nos totos tuo cultui impendentes;
atque in sanctitate et iustitia
per omnem aetatem nostram in conspectu tuo ambulantes;
per Iesum Christum Dominum nostrum,
cui tecum, et cum Spiritu Sancto,
sit omnis honor et gloria, in saecula saeculorum. Amen.

Precatio S. Chrysostomi

Omnipotens sempiterne Deus, qui nobis gratiam dedisti ut hoc tempore unanimiter congregati, preces nostras ad te offeramus, quique polliceris, ut ubi duo vel tres congregati fuerint in tuo nomine, ibi te esse in medio eorum, petimus, ut vota et preces tuorum famulorum, prout tibi videbitur eorum saluti maxime expedire, perficias, et praesta nobis in hac vita tuae veritatis cognitionem, et in futura, vitam aeternam. *Amen.*

Deinde dicatur

Benedicamus Domino.
Deo Gratias.

A Vigilia Paschali usque ad Dominicam Pentecostes "Alleluia, alleluia" coniungatur ad antecedentem versiculum et responsionem.

Deinde, Officians cum una ex sententiis sequentibus Officium concludat.

Gratia Domini nostri Iesu Christi, caritas Dei, et communicatio Sancti Spiritus, sit semper cum omnibus nobis. *Amen.*
II Cor. 13:14

Deus spei repleat nos omni gaudio et pace in credendo, ut abundemus in spe in virtute Spiritus Sancti. *Amen.*
Rom. 15:13

Dei qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus aut intelligimus, secundum virtutem quae operatur in nobis, ipsi gloria in Ecclesia, et in Christo Iesu, in omnes generationes saeculi saeculorum. *Amen.*
Eph. 3:20, 21

Ordo ad Meridiem

Officians Deus, in adiutorium nostrum intende.
Populus Domine, ad adiuvandum nos festina.

Officians et Populus dicunt

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto: sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Nisi in Quadragesima, additur Alleluia.

Hymnus aptus canatur.

Unus ex Psalmis sequentibus canitur aut dicitur, vel plures. Alii apti sunt Psalmi 19, 67, 119, 120-133 [Vulgata 18, 66, 118, et 119-132]

Psalmus 119: 105-112 [*Vulgata 118: 105-112*]

Lucerna pedibus meis verbum tuum *
  et lumen semitis meis.

Iuravi et statui *
  custodire iudicia iustitiae tuae.

Humiliatus sum usquequaque, Domine, *
  vivifica me secundum verbum tuum.

Voluntaria oris mei beneplacita fac, Domine, *
  et iudicia tua doce me.

Anima mea in manibus meis semper, *
  et legem tuam non sum oblitus.

Posuerunt peccatores laqueum mihi, *
  et de mandatis tuis non erravi.

Hereditate adquisivi testimonia tua in aeternum *
  quia exultatio cordis mei sunt.

Inclinavi cor meum ad faciendas iustificationes tuas
in aeternam *
  propter retributionem.

Psalmus 121 [*Vulgata 120*]

Levavi oculos meos in montes; *
  unde veniet auxilium mihi?

Auxilium meum a Domino, *
  qui fecit caelum et terram.

Non det in commotionem pedem tuum *
  neque dormitet qui custodit te.

Ecce, non dormitabit neque dormiet *
  qui custodit Israel.

Dominus custodit te;
Dominus protectio tua *
  super manum dexteram tuam.

Per diem sol non uret te, *
  neque luna per noctem.

Dominus custodit te ab omni malo; *
  custodiat animam tuam Dominus.

Dominus custodiat introitum tuum et exitum tuum, *
  ex hoc nunc et usque in saeculum.

Psalmus 126 [*Vulgata 125*]

In convertendo Dominum captivitatem Sion, *
  facti sumus sicut consolati.

Tunc repletum est gaudio os nostrum, *
  et lingua nostra exultatione.

Tunc dicent inter gentes, *
  magnificavit Dominus facere cum eis.

Magnificavit Dominus facere nobiscum, *
  facti sumus laetantes.

Converte, Domine, captivitatem nostram *
  sicut torrens in austro.

Qui seminant in lacrimis *
  in exultatione metent.

Euntes ibant et flebant *
  portantes semina sua;

Venientes autem venient in exultatione *

portantes manipulos suos.

Post psalmos, canitur aut dicitur

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto: *
sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Unum ex sequentibus, aut aliud capitulum aptum Scripturae, legitur

Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis.
Rom. 5:5

Populus Deo gratias.

vel sequens

Si qua ergo in Christo nova creatura; vetera transierunt, ecce facta sunt nova. Omnia autem ex Deo, qui reconciliavit nos sibi per Christum et dedit nobis ministerium reconciliationis.
II Cor. 5:17-18

Populus Deo gratias.

vel sequens

Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est Nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur Nomini meo oblatio munda, quia magnum Nomen meum in gentibus dicit Dominus exercituum. *Mal. 1:11*

Populus Deo gratias.

Meditatio sequatur.

Deinde Officians Preces incipit

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.

Officians et Populus dicunt

Pater noster, qui es in caelis,
sanctificetur nomen tuum,
adveniat regnum tuum,
fiat voluntas tua,
sicut in caelo et in terra.
Panem nostrum quotidianum da nobis hodie,
Et dimitte nobis debita nostra,

sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.
Et ne nos inducas in tentationem,
sed libera nos a malo.

Officians Domine, exaudi orationem nostram;
Populus Et clamor noster ad te veniat.
Officians Oremus.

Officians dicit unam ex Collectis sequentibus

Pater caelestis, Spiritum Sanctum tuum in corda nostra effunde, ad nos dirigendum secundum voluntatem tuam, ad nos confirmandum in omnibus afflictionibus nostris, ad nos conservandum ab omnibus erroribus, et ad nos ducendum in omnem veritatem; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Beate Salvator, qui hac hora in cruce pependisti, bracchia tua porrigens: Concede propitius ut omnes gentes te aspiciant et salvi fiant; propter misericordiam tuam. *Amen.*

Salvator omnipotens, qui meridie Sanctum Paulum famulum tuum vocasti ut apostolus sit ad gentes: Illumina, quaesumus, fulgore gloriae tuae hunc mundum, ut omnes nationes veniant ad te venerandum; quia vivis et regnas per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Domine Iesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis: pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: ne respicias peccata nostra, sed fidem Ecclesiae tuae; eamque secundum voluntatem tuam pacificare et coadunare digneris; qui vivis et regnas, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Intercessiones ad libitum sequantur.

Officium sic concluditur

Officians Benedicamus Domino.
Populus Deo gratias.

De Officio

In hoc Ordine forma invenitur officii vespertini quae adhibeatur in occasionibus aptis post meridiem vel ad vesperam. Licet ut adhibeatur sicut totus ritus pro Vespertinis Precibus, vel ut introitus ad Vespertinas Preces vel ad aliud officium, vel ut prooemium cenae vespertinae vel alius actionis. Et decet adhibere in domibus privatis.

Licet ut omnes partes huius officii a laicis recitentur. Presbyter vel diaconus, si praesidet, debet recitare Orationem pro Luce, et Benedictionem vel Dimissionem ad finem officii. Oportet episcopum, si adest, benedicere.

Non decet ut hoc officium adhibeatur in Feria Secunda vel Tertia vel Quarta Hebdomadis Maioris, nec in Feria Sexta in Parasceve. Vigilia Paschalis formam propriam habet ad Accendendum Cereum Paschalem.

Pro Capitulo ad initium officii, quaelibet lectio ex sequentibus adhibeatur, praesertim in temporibus indicatis:

Is. 60:19-20 (Tempore Adventus)
Luc. 12:35-37 (Tempore Adventus)
Io. 1:1-3 (Tempore Nativitatis)
Is. 60:1-3 (Tempore Epiphaniae)
I Io. 1:5-7 (Tempore Quadragesimae)
Io. 12:35-36a (Tempore Quadragesimae)
Apoc. 21:10, 22-24 (Tempore Paschali)
Ps. 36:5-9 [*Vulgata 35:6-10*] (In Die Ascensionis)
Iohel 2:28-30 (In Die Pentecostes)
Col. 1:9, 11-14 (In Diebus Sanctorum)
I Pet. 2:9 (In Diebus Sanctorum)
Apoc. 22:1, 4-5 (In Diebus Sanctorum)

Praecepta Adiuncta in pagina 141 [Libri Precum Publicarum] dantur.

Ordo ad Vesperam

Ecclesia in tenebris est, omnino vel partim, cum officium incepturum sit.

Omnibus stantibus, Officians his verbis populum salutat

	In Domino nostro Iesu Christo, lumen cum pace.
Populus	Deo gratias.

Pro verbis supra, a Pascha usque ad Dominicam Pentecostes

Officians	Alleluia. Christus surrexit.
Populus	Surrexit Dominus vere. Alleluia.

In Quadragesima, et aliis occasionibus paenitentialibus

Officians	Benedictus Dominus qui dimittit omnia peccata nostra.
Populus	In saeculum misericordia eius.

Deinde unum ex sequentibus, vel aliud capitulum Scripturae, aptum ad occasionem vel tempus, recitetur

Iesus dixit, "Vos estis lux mundi. Non potest civitas abscondi supra montem posita. Neque accendunt lucernam et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum ut luceat omnibus qui in domo sunt. Sic luceat lux vestra coram hominibus ut videant vestra bona opera et glorificent Patrem vestrum qui in caelis est." *Matt. 5:14-16*

Non enim nosmet ipsos praedicamus; sed Iesum Christum Dominum, nos autem servos vestros per Iesum. Quoniam Deus qui dixit, "De tenebris lucem splendescere," qui inluxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiae claritatis Dei in facie Christi Iesu. *II Cor 4:5-6*

Dixi forsitan tenebrae conculcabunt me, et nox illuminatio in deliciis meis; quia tenebrae non obscurabuntur a te, et nox sicut dies illuminabitur, sicut tenebrae eius ita et lumen eius. *Ps.139: 11, 12 [Vulgata 138: 10, 11]*

Officians dicit Orationem pro Luce, utens una ex sequentibus orationibus, vel alia apta, dicens

Oremus.

Omnipotens Deus, tibi gratias agimus quoniam, sole occidente, luce vespertina nos circumdas; et te imploramus ut, in tua misericordia, sicut nos involvis fulgore huius lucis, ita

in corda nostra splendorem Spiritus Sancti tui infundas; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen*.

Concede nobis, Domine, lucernam caritatis indefectibilem, ut in nobis ardeat et proximos nostros illuminet, et per fulgorem eius illam Urbem sanctam videamus, ubi habitat vera et indefectibilis Lux, Iesus Christus Dominus noster. *Amen*.

Domine Deus omnipotens, qui vespere, et mane, et meridie unum diem vocari iussisti; et, ut sol agnosceret occasum suum, imperasti: Aperi, quaesumus, tenebras cordium nostrorum, ut, te radiante, cognoscamus te Deum verum et lumen aeternam, qui vivis et regnas in saecula saeculorum. *Amen*.

Illumina, quaesumus, Domine Deus, tenebras nostras, et totius noctis insidias tu a nobis repelle propitius; per Dominum nostrum Iesum Christum. *Amen.*

Adventu

Collecta pro Dominica Prima Adventus

Nativitate, Epiphania, et aliiis Festis Incarnationis

Collecta pro Dominica Prima post Festum Nativitatis

Tempore Quadragesimae et aliis temporibus paenitentialibus

Omnipotens misericordissime Deus, accende in nobis ignem caritatis, ut per flammam mundantem eius purgemur ab omnibus peccatis nostris, et mereamur te adorare in spiritu et veritate; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen*.

Tempore Paschali

Deus, qui plebem tuam antiquam, columna nubis per diem et columna ignis per noctem, in libertatem deduxisti: Concede nobis qui in luce praesentiae tuae ambulamus, ut in libertate filiorum Dei laetemur; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen*.

Festis Sanctorum

Domine Christe, cuius sancti fuerunt in omni generatione luces mundi: Concede nobis qui vestigiis eorum sequimur ut digne mereamur ad introiendum illam patriam caelestem ubi vivis et regnas per omnia saecula saeculorum. *Amen*.

Deinde candelae ad Altare accenduntur et, si decet, aliae candelae et lucernae.

In accendo candelas, antiphona apta vel psalmus canatur, vel silentium observatur.

Deinde hymnus sequens, vel recensio metricalis eiusdem, vel alius hymnus, canitur

O Lux Hilaris *Phos Hilaron*

O lux hilaris, gloria sancta
Patris immortalis caelorum,
sancte, beate,
Iesu Christe!

Advenientes ad occasum solis,
conspicientes lucem vespertinam,
laudamus Patrem, Filium,
et Spiritum Sanctum, Deum.

Dignus es omnibus temporibus
laudari vocibus laetis,
Fili Dei, O vitae Donator;
Te igitur totus mundus glorificat.

Licet ut officium pergatur in unum modum ex sequentibus:

Cum Ordine ad Vespertinas Preces, qui Psalmis incipitur; aut cum alio Officio vel Devotione;

Cum celebratione Sanctae Eucharistiae, quae a Salutatione et Collecta Diei incipitur;

Vel cena sequatur, vel alius actus, tunc Oratio Dominica et gratia vel benedictio hymnum, Phos hilaron, sequatur;

Vel, sicut Officium integrum vespertinum, pergatur cum elementis sequentibus:

Electa ex Psalterio. Silentium, vel Collecta apta, vel ambo, Psalmos sequatur.

Lectio ex Biblia. Sermo vel homilia, vel capitulum ex litteris Christianis, vel silentium breve, Lectionem sequatur.

Canticum. *Magnificat* vel aliud canticum, vel alius hymnus laudis.

Orationes. Litania, vel aliae devotiones aptae, Precatione Dominica inclusa.

Benedictio vel Dimissio, vel ambae. *Pax Domini* offeratur.

Festis, vel aliis diebus specialibus, Collecta diei, vel alia ad tempus propria, Benedictionem vel Missionem antecedat. Aliis diebus, quaelibet ex sequentibus, vel una ex Collectis Ordinis ad Vespertinas Preces, vel Completorii, sic adhibeatur.

Benedictus es, Domine Deus Patrum, factor mutationum diei et noctis, requiem lassis donans, virtutem fatigatorum renovans, vespere occasiones canendi nobis concedens. Sicut per proximum diem nos protexisti, ita per noctem venturam nobis cum maneas; ab omni peccato, omni malo, et omni timore nos retineas; quoniam tu lux nostra es et salus, et virtus vitae nostrae. Tibi gloria in saecula saeculorum. *Amen.*

Omnipotens aeterne Deus, dirigatur oratio nostra sicut incensum in conspectu tuo, elevatio manuum nostrarum sacrificium vespertinum. Concede nobis gratiam ut te conspiciamus, praesentem in Verbo tuo et Sacramentis, et agnoscamus in vitis proximorum nostrorum. Excita in nobis illam flammam caritatis, quae in corde Filii tui patientis arsit, et in nobis ardeat ad vitam aeternam et in saecula saeculorum. *Amen*.

Episcopus vel presbyter sequentem dicat, vel aliam benedictionem vel gratiam

Benedicat vobis Dominus et custodiat vos. *Amen*.
Ostendat Dominus faciem suam vobis et misereatur vestri. *Amen*.
Convertat Dominus vultum suum ad vos et det vobis pacem. *Amen*.

Diaconus vel laicus, benedictione antecedente utens, dicit "nobis" pro "vobis", "nos" pro "vos", et "nostri" pro "vestri."

Missio addatur (Tempore Paschali, cum "Alleluia, alleluia")

Populus respondet

Deo gratias.

Tempore Paschali, Populus respondet

Deo gratias. Alleluia, alleluia.

Ordo ad Vespertinas Preces Quotidianas

Officians officium incipit ab una vel pluribus ex sententiis sequentibus Scripturae, vel ex illis in paginis 75-78 [Libri Precum Publicarum];

vel ab Officio Lucis in paginis 109-112 , pergens cum Psalmis designatis;

vel ab versiculo "Deus, in adiutorium nostrum intende" in pagina 117 [Libri Precum Publicarum];

Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum. *Ps. 141: 2 [Vulgata 140: 2]*

Gratia vobis, et pax, a Deo Patre nostro, et Domino Iesu Christo. *Phil. 1: 2*

Adorate Dominum in atrio sancto eius; commoveatur a facie eius universa terra. *Ps. 96: 9 [Vulgata 95: 9]*

Tuus est dies et tua est nox; tu fabricatus es auroram et solem. Tu fecisti omnes terminos terrae; aestatem et ver tu plasmasti ea. *Ps. 74 : 16, 17 [Vulgata 73: 15, 16]*

Benedicam Domino qui tribuit mihi intellectum insuper et usque ad noctem increpaverunt me renes mei. Providebam Dominum in conspectu meo semper; quoniam a dextris est mihi ne commovear. *Ps. 16: 7, 8 [Vulgata 15: 7, 8]*

Quaerite Dominum, facientem Arcturum et Orionem, et convertentem in mane tenebras, et diem nocte mutantem; qui vocat aquas maris, et effundit eas super faciem terrae: Dominus nomen eius. *Am. 5: 8*

Dixi forsitan tenebrae conculcabunt me, et nox illuminatio in deliciis meis; quia tenebrae non obscurabuntur a te, et nox sicut dies illuminabitur, sicut tenebrae eius ita et lumen eius. *Ps.139: 11, 12 [Vulgata 138: 10, 11]*

Dixit Iesus, "Ego sum lux mundi; qui sequitur me non ambulabit in tenebris, sed habebit lucem vitae." *Io. 8: 12*

Confessio Peccati sequens dicatur; vel Officium statim pergatur cum "Deus, in adiutorium nostrum intende."

Confessio Peccati

Officians populo dicit

Carissimi in Christo, hic coram Deo Omnipotenti, in silentio genuflectamus, et cum cordibus paenitentibus obsequentibusque confiteamur peccata nostra, ut culparum nostrarum veniam ex summa Dei clementia consequamur.

vel

Secundum Ritum I

Confiteamur humiliter
peccata nostra Deo Omnipotenti.

Silentium sequatur.

Minister et Populus dicunt

Omnipotens et clementissime Pater,
tanquam oves perditae peregrinati sumus,
et a viis tuis aberravimus.
Inventis et concupiscentiis
cordis nostri nimium indulsimus,
sacrosanctas leges tuas violavimus,
quae a nobis facienda fuerant omisimus,
et quae facienda non fuerant admisimus.
Quapropter, Domine, propitius esto nobis,
parce, Deus, peccata sua confitentibus,
misericordiam concede resipiscentibus,
iuxta promissiones tuas humano generi
in Christo Iesu Domino nostro
benignissime revelatas:
amplius etiam concede nobis,
clementissime Pater, propter Filium
tuum et Salvatorem nostrum
Iesum Christum,
ut posthac pie, iuste, sobrieque
vitam nostram instituamus,
ad sanctissimi tui Nominis gloriam. Amen.

Sacerdos solum stat et pronuntiat

Absolutionem, et remissionem omnium
peccatorum vestrorum, spatium verae
paenitentiae, emendationem vitae,
gratiam ac consolationem Sancti Spiritus,
tribuat vobis omnipotens et misericors
Dominus. *Amen.*

Secundum Ritum II

Confiteamur peccata nostra
in Deum et in proximum nostrum.

Silentium sequatur.

Minister et Populus dicunt

Clementissime Deus,
confitemur quia peccavimus in te
cogitatione, verbo, et facto,
opere et omissione.
Te non ex animo dileximus;
Neque proximos nostros sicut nos ipsos.
Vere nos paenitet
et humiliter paenitentiam agimus.
Propter Filium tuum Iesum Christum,
miserere nobis et dimitte peccata nostra;
ut in voluntate tua gaudeamus,
et in viis tuis ambulemus,
ad gloriam Nominis tui. Amen.

Sacerdos solum stat et pronuntiat

Misereatur vestri omnipotens Deus,
dimittat vobis omnia peccata vestra
per Christum Dominum nostrum,
confirmet in omni bono, et virtute
Spiritus Sancti ad vitam perducat
Aeternam. *Amen.*

Diaconus aut laicus, hac forma utens, supponit "nostrorum" pro "vestrorum" et "nobis" pro "vobis."

Invitatorium et Psalterium

Omnes stent

Officians Deus, in adiutorium nostrum intende.
Populus Domine, ad adiuvandum nos festina.

Officians et Populus dicunt

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto: sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Nisi in Quadragesima, additur Alleluia.

Hymnus sequens, vel alius aptus, canatur aut dicatur, vel Psalmus Invitatorius.

O Lux Hilaris *Phos Hilaron*

O lux hilaris, gloria sancta
Patris immortalis caelorum,
sancte, beate,
Iesu Christe!

Advenientes ad occasum solis,
conspicientes lucem vespertinam,
laudamus Patrem, Filium,
et Spiritum Sanctum, Deum.

Dignus es omnibus temporibus
laudari vocibus laetis,
Fili Dei, O vitae Donator;
Te igitur totus mundus glorificat.

Sequitur

Psalmus vel Psalmi Assignati

Post psalmos, canitur aut dicitur

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto: *
sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Lectiones

Una Lectio recitetur vel duae, sicut assignatur, Lectore incipiente

Lectio (de libro N. *vel* de epistola ad N. *vel* de evangelio secundum N.)

Post quamque lectionem, Lector dicat

Verbum Domini.
Populus Deo Gratias.

aut Lector dicat Hic finitur Lectio.

Silentium sequatur.

Unum ex Canticis sequentibus canitur vel dicitur post quamque Lectionem.

Canticum Mariae
Luc. 1: 46-55

Magnificat *
anima mea Dominum,
et exsultavit spiritus meus *
in Deo salutari meo;
quia respexit humilitatem ancillae suae. *
Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes:
quia fecit mihi magna qui potens est, *
et sanctum Nomen eius.
Et misericordia eius in progenies et progenies *
timentibus eum.
Fecit potentiam in brachio suo, *
dispersit superbos mente cordis sui.
Deposuit potentes de sede, *
et exaltavit humiles.
Esurientes implevit bonis, *
et divites dimisit inanes.
Suscepit Israel puerum suum, *
recordatus misericordiae,
Sicut locutus est ad patres nostros, *
Abraham et semini eius in saecula.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto: *
sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Canticum Simeonis

Luc. 2: 29-32

Nunc dimittis servum tuum, Domine, *
  secundum verbum tuum in pace;
Quia viderunt oculi mei *
  salutare tuum,
quod parasti *
  ante faciem omnium populorum,
Lumen ad revelationem Gentium, *
  et gloriam plebis tuae Israel.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto: *
  sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Symbolum Apostolorum

Omnibus stantibus, Officians et Populus una dicunt

Credo in Deum, Patrem omnipotentem,
  creatorem caeli et terrae;
Et in Iesum Christum Filium eius unicum Dominum nostrum;
  Qui conceptus est de Spiritu Sancto,
  natus ex Maria Virgine,
  passus sub Pontio Pilato,
  crucifixus, mortuus, et sepultus.
  Descendit ad inferos.
  Tertia die resurrexit a mortuis.
  Ascendit ad caelos,
  sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.
  Inde venturus est iudicare vivos et mortuos.
Credo in Spiritum Sanctum,
  sanctam Ecclesiam catholicam,
  sanctorum communionem,
  remissionem peccatorum,
  carnis resurrectionem,
  et vitam aeternam. Amen.

Preces

Populus stet vel genuflectat

Officians Dominus vobiscum.
Populus Et cum spiritu tuo.
Officians Oremus.

Officians et Populus dicunt

Pater noster, qui es in caelis,
  sanctificetur nomen tuum,
  adveniat regnum tuum,
  fiat voluntas tua,
    sicut in caelo et in terra.
Panem nostrum quotidianum da nobis hodie,
Et dimitte nobis debita nostra,
  sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.
Et ne nos inducas in tentationem,
  sed libera nos a malo.
Quia tuum est regnum, et potestas, et gloria
  in saecula. Amen.

Sequitur una ex his congeriebus Suffragiorum

A

V. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam;
R. Et salutare tuum da nobis.
V. Sacerdotes tui induantur iustitia;
R. Et sancti tui exultent.
V. Da pacem, Domine, per totum mundum;
R. Quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti nos.
V. Hanc nationem, Domine, sub tuo praesidio conserva;
R. Dirige nos in viam iustitiae et veritatis.
V. Cognoscamus in terra viam tuam;
R. In omnibus gentibus salutare tuum.
V. Non in finem oblivio fiat pauperis;
R. Patientia pauperum non pereat in finem.
V. Cor mundum crea in nobis, Deus;
R. Et Spiritu Sancto tuo confirma nos.

B

Ut hic vesper sanctus, bonus, et tranquillus sit,
Te rogamus, Domine.
Ut nos tui angeli sancti in pacis ac bonae voluntatis vias perducant,
Te rogamus, Domine.
Ut absolutio remissioque peccatorum nostrorum et culparum nobis tribuantur,
Te rogamus, Domine.
Ut Ecclesiae tuae et toti mundo pax donetur,

Te rogamus, Domine.
Ut discedamus ex hac vita in fide et timore tui, et coram tribunali Christi non condemnemur,
Te rogamus, Domine.
Ut in communione [semper beatae Mariae Virginis, beati (*vel* beatae) _____ et] omnium sanctorum tuorum, nosmetipsos et totam vitam nostram Christo committentes, Sancto Spiritu coniungamur,
Te rogamus, Domine.

Officians unam vel plures ex Collectis sequentibus dicit

Collecta Diei

Collecta pro Dominicis

Domine Deus, cuius Filius Salvator noster Iesus Christus potestates mortis vicit et nobis locum in Hierusalem nova praeparavit: Concede propitius ut nos, qui hodie gratias propter resurrectionem eius egimus, te laudemus in illa Civitate cuius is est lux, et ubi vivit et regnat per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Collecta pro Feriis Sextis

Domine Iesu Christe, qui morte tua mortis stimulum delevisti: Concede nobis famulis tuis tantam gratiam ad sequendum in fide quo anteisti, ut denique in te tranquille dormiamus, et in similitudine tua excitemur; propter misericordiam tuam. *Amen.*

Collecta pro Sabbatis

Deus, fons lucis aeternae: Diem tuam perpetuam effunde in nos qui te exspectamus, ut labiis nostris te laudemus, vitis nostris te benedicamus, et crastina liturgia nostra te glorificaturi simus; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Collecta pro Pace

Deus, a quo sancta desideria, recta consilia, et iusta sunt opera, da servis tuis illam quam mundus dare non potest Pacem, ut corda nostra mandatis tuis dedita, et hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Collecta pro Dei adiutorio adversus omnia pericula

Illumina, quaesumus, Domine Deus, tenebras nostras, et totius noctis insidias tu a nobis repelle propitius; per Dominum nostrum Iesum Christum. *Amen.*

Collecta pro Praesidio Dei

Deus, vita omnium viventium, lux fidelium, virtus laborantium, et requies defunctorum: Tibi gratias agimus propter bona diei praeteritae, et humiliter petimus tuum praesidium in nocte ventura. Fer nos tuto ad horam matutinam; per eum qui pro nobis mortuus est et resurrexit, Iesum Christum, Filium tuum, Salvatorem nostrum. *Amen*.

Collecta pro Praesentia Christi

Mane nobiscum, Domine Iesu, quoniam advesperascit et inclinata est iam dies; Nos comitans in via, refove corda et spem excita miseratus, ut te in Scripturis et in fractione panis cum nostris fratribus agnoscamus: Concede hoc propter caritatem tuam. *Amen*.

Deinde, nisi Eucharistia vel forma intercessionis universalis sequitur, oratio pro missione additur

Deus Pater omnium, qui toto caelo adoraris; Et universus orbis terrarum te veneretur, omnes nationes te audiant, omnes linguae tibi confiteantur et te benedicant, atque homines ubique te ament et tibi in pace serviant; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen*.

vel

Hac nocte, Domine, custodi laborantes, invigilantes et flentes, atque delega angelis sanctis tuis custodiam super dormientibus. Cura aegros, Domine Christe; lassis dona requiem, morientes benedic, dolentibus succurre, afflictis miserere, et laetos protege; pro caritate tua. *Amen*.

vel

Deus, qui nobis in famulis tuis praesentiae tuae signa manifestas; Mitte super nos spiritum caritatis, ut in societate fratrum conservorumque nostrorum gratia tua in nobis abundans augeatur; per Dominum nostrum Iesum Christum. *Amen*.

Hic canatur hymnus vel antiphona.

Intercessiones licitae et gratiarum actiones sequantur.

Ante finem Officii, una ex orationibus sequentibus dicatur vel ambae

Gratiarum Actio Generalis

Officians et Populus dicant

Omnipotens Deus, miserationum omnium Pater,
nos indigni famuli tui
tibi ex animo et cum summa demissione gratias agimus
ob universam illam beneficentiam, benignitatem, et favorem

erga nos et omnes homines.
Tibi benedicimus ob creationem nostram, conservationem
et omnes huius vitae benedictiones;
ante omnia vero ob inaestimabilem amorem tuum,
in redemptione mundi per Iesum Christum Dominum nostrum, patefactum;
ob gratiae media, et spem gloriae.
Te autem rogamus supplices,
ut cunctis a te acceptis beneficiis ita afficiamur,
ut animi nostri vere erga te grati efficiantur,
et laudem tuam praedicemus,
non labiis dumtaxat, sed etiam moribus ac vivendi ratione
nos totos tuo cultui impendentes;
atque in sanctitate et iustitia
per omnem aetatem nostram in conspectu tuo ambulantes;
per Iesum Christum Dominum nostrum,
cui tecum, et cum Spiritu Sancto,
sit omnis honor et gloria, in saecula saeculorum. Amen.

Precatio S. Chrysostomi

Omnipotens sempiterne Deus, qui nobis gratiam dedisti ut hoc tempore unanimiter congregati, preces nostras ad te offeramus, quique polliceris, ut ubi duo vel tres congregati fuerint in tuo nomine, ibi te esse in medio eorum, petimus, ut vota et preces tuorum famulorum, prout tibi videbitur eorum saluti maxime expedire, perficias, et praesta nobis in hac vita tuae veritatis cognitionem, et in futura, vitam aeternam. *Amen.*

Deinde dicatur

Benedicamus Domino.
Deo Gratias.

A Vigilia Paschali usque ad Dominicam Pentecostes "Alleluia, alleluia" coniungatur ad antecedentem versiculum et responsionem.

Deinde, Officians cum una ex sententiis sequentibus Officium concludat.

Gratia Domini nostri Iesu Christi, caritas Dei, et communicatio Sancti Spiritus, sit semper cum omnibus nobis. *Amen.*
II Cor. 13:14

Deus spei repleat nos omni gaudio et pace in credendo, ut abundemus in spe in virtute Spiritus Sancti. *Amen.*
Rom. 15:13

Dei qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus aut intelligimus, secundum virtutem quae operatur in nobis, ipsi gloria in Ecclesia, et in Christo Iesu, in omnes generationes saeculi saeculorum. *Amen.*
Eph. 3:20, 21

Ordo ad Completorium

Officians incipit, dicens

Noctem quietam et finem perfectum concedat nobis Dominus omnipotens. *Amen.*

Officians Adiutorium nostrum in Nomine Domini;
Populus Qui fecit caelum et terram.

Officians dicat

Confiteamur Deo peccata nostra.

Silentium sequatur.

Officians et Populus dicunt

Omnipotens Deus, Pater caelestis,
confiteor tibi quia peccavi in te,
cogitatione, verbo, et opere,
atque omissione: mea culpa.
Propter Filium tuum, Dominum nostrum Iesum Christum,
dimitte peccata mea,
et concede mihi renovationem vitae,
ut tibi serviam ad gloriam Nominis tui. Amen.

Officians dicit

Misereatur nostri omnipotens Deus, et, dimissis peccatis nostris, perducat nos ad vitam aeternam. *Amen.*

Deinde dicitur

Deus, in adiutorium nostrum intende.
Populus Domine, ad adiuvandum nos festina.

Officians et Populus dicunt

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto: sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Nisi in Quadragesima additur Alleluia.

Unus ex Psalmis sequentibus canitur vel dicitur, vel plures. Alii psalmi apti supponantur.

Psalmus 4

Cum invocarem exaudivit me Deus iustitiae meae; *
in tribulatione dilatasti mihi;
miserere mei et exaudi orationem meam.

Filii hominum usquequo gravi corde? *
ut quid diligitis vanitatem
et quaeritis mendacium?

Et scitote quoniam mirificavit Dominus sanctum suum *
Dominus exaudiet me cum clamavero ad eum.

Irascimini et nolite peccare; *
quae dicitis in cordibus vestris
in cubilibus vestris conpungimini.

Sacrificate sacrificium iustitiae *
et sperate in Domino.

Multi dicunt,
Quis ostendit nobis bona? *
Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.

Dedisti laetitiam in corde meo, *
a fructu frumenti et vini et olei sui
multiplicati sunt.

In pace in id ipsum dormiam et requiescam; *
quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me.

Psalmus 31 [*Vulgata 30*]

In te, Domine, speravi;
non confundar in aeternum: *
in iustitia tua libera me.

Inclina ad me aurem tuam; *
adcelera ut eruas me.

Esto mihi in Deum protectorem,
et in domum refugii ut salvum me facias; *
quoniam fortitudo mea et refugium meum es tu,
et propter Nomen tuum deduces me et enutries me.

Educes me de laqueo hoc quem absconderunt mihi, *
quoniam tu es protector meus.

In manus tuas commendabo spiritum meum, *
redemisti me, Domine Deus veritatis.

Psalmus 91 [*Vulgata 90*]

Qui habitat in adiutorio Altissimi *
  in protectione Dei caeli commorabitur.

Dicet Domino,
"Susceptor meus es tu et refugium meum, *
  Deus meus sperabo in eum."

Quoniam ipse liberabit me de laqueo venantium *
  et a verbo aspero.

In scapulis suis obumbrabit te,
et sub pinnis eius sperabis; *
  scuto circumdabit te veritas eius.

Non timebis a timore nocturno, *
  a sagitta volante in die;

A negotio perambulante in tenebris, *
  ab incursu et daemonio meridiano.

Cadent a latere tuo mille
et decem milia a dextris tuis, *
  ad te autem non adpropinquabit.

Verumtamen oculis tuis considerabis *
  et retributionem peccatorum videbis.

Quoniam tu Domine spes mea, *
  Altissimum posuisti refugium tuum,

Non accedent ad te mala, *
  et flagellum non adpropinquabit
  tabernaculo tuo.

Quoniam angelis suis mandabit de te, *
  ut custodiant te in omnibus viis tuis.

In manibus portabunt te, *
  ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

Super aspidem et basiliscum ambulabis; *
  et: conculcabis leonem et draconem.

Quoniam in me speravit,
et liberabo eum; *
  protegam eum, quia cognovit Nomen meum.

Clamabit ad me, et exaudiam eum; *
  cum ipso sum in tribulatione;
  eripiam eum et clarificabo eum.

Longitudine dierum replebo eum, *
et ostendam illi salutare meum.

Psalmus 134 [*Vulgata 133*]

Ecce nunc, benedicite Dominum, omnes servi Domini, *
qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri.

In noctibus extollite manus vestras in sancta
et benedicite Domino; *
benedicat te Dominus ex Sion, qui fecit caelum et terram.

Post Psalmos canitur aut dicitur

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto: *
sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Unum ex sequentibus, aut aliud capitulum Scripturae, legitur

Tu autem in nobis es, Domine, et Nomen sanctum tuum invocatum est super nos: Ne derelinquas nos, Domine Deus noster.
Ier. 14:9, 22

Populus Deo gratias.

vel

Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, et discite a me; quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suave est, et onus meum leve est.
Matt. 11:28-30

Populus Deo gratias.

vel

Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis pastorem magnum ovium, in sanguine testamenti aeterni, Dominum nostrum Iesum, aptet vos in omni bono ut faciatis voluntatem eius, faciens in vobis quod placeat coram se; per Iesum Christum, cui gloria in saecula saeculorum.
Heb. 13:20-21

Populus Deo gratias.

vel

Sobrii estote, et vigilate: quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quaerens quem devoret: cui resistite fortes in fide.
I Pet. 5:8-9a

Populus Deo gratias.

Hymnus aptus canatur

Deinde sequitur

V. In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.
R. Redemisti nos, Domine, Deus veritatis.
V. Custodi nos, Domine, ut pupillam oculi.
R. Sub umbra alarum tuarum protege nos.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.

Officians et Populus dicunt

Pater noster, qui es in caelis,
  sanctificetur nomen tuum,
  adveniat regnum tuum,
  fiat voluntas tua,
    sicut in caelo et in terra.
Panem nostrum quotidianum da nobis hodie,
Et dimitte nobis debita nostra,
  sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.
Et ne nos inducas in tentationem,
  sed libera nos a malo.

Officians Domine, exaudi orationem nostram;
Populus Et clamor noster ad te veniat.
Officians Oremus.

Officians dicit unum ex Collectis sequentibus

Illumina, quaesumus, Domine Deus, tenebras nostras, et totius noctis insidias tu a nobis repelle propitius. Per Dominum nostrum Iesum Christum. *Amen.*

Adesto, Domine, praecibus nostris et die nocteque protege, ut quibuslibet alternationibus temporum tua semper incommutabilitate firmemur; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Despecta, Domine, de throno in caelo, et illumina hanc noctem splendore caelesti tuo; ut per noctem sicut per diem populus tuus sanctum Nomen tuum glorificet; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Visita, quaesumus, Domine, habitationem istam, et omnes insidias inimici ab ea longe repelle: Angeli tui sancti habitent in ea, qui nos in pace custodiant; et benedictio tua sit super nos semper; per Dominum nostrum Iesum Christum. *Amen.*

Collecta pro Sabbatis

Tibi gratias agimus, Deus, quoniam Filium tuum Iesum Christum per lucem resurrectionis eius nobis revelasti: Concede propitius ut, sicut fine diei hymnum gloriae tuae cantamus, ita hora matutina gaudium nostrum per celebrationem mysterii Paschalis abundet; per Dominum nostrum Iesum Christum. *Amen.*

Oratio sequens addatur

Hac nocte, Domine, custodi laborantes, invigilantes et flentes, atque delega angelis sanctis tuis custodiam super dormientibus. Cura aegros, Domine Christe; lassis dona requiem, morientes benedic, dolentibus succurre, afflictis miserere, et laetos protege; pro caritate tua. *Amen.*

vel

Deus, cuius providentia immarcescibilis mundum quem inhabitamus, et vitam quam agimus, sustentat: nocte dieque invigila eis qui laborant dum alii dormiunt, et fac nos memores ut vita communis nostra ex cuiusque nostrum labore pendeat; per Dominum nostrum Iesum Christum. *Amen.*

Silentium sequatur, et intercessiones ad libitum et gratiarum actiones offerantur.

Officium Cantico Simeonis concluditur, cum hac Antiphona

Salva nos, Domine, vigilantes, custodi nos dormientes; ut vigilemus cum Christo, et requiescamus in pace.

Tempore Paschali, additur Alleluia, alleluia, alleluia.

Nunc dimittis servum tuum, Domine, *
secundum verbum tuum in pace;

Quia viderunt oculi mei *
salutare tuum,

quod parasti *
ante faciem omnium populorum,

Lumen ad revelationem Gentium, *
et gloriam plebis tuae Israel.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto: *
sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum.
Amen.

Salva nos, Domine, vigilantes, custodi nos dormientes; ut vigilemus cum Christo, et requiescamus in pace.

Tempore Paschali, additur Alleluia, alleluia, alleluia.

Officians Benedicamus Domino.
Populus Deo gratias.

Officians officium concludit, dicens

Benedicat et custodiat nos omnipotens et misericors Dominus, Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus. *Amen.*

Devotiones Quotidianae pro Singulis et Familiis

Hae devotiones secundum structuram principalem Divini Officii Ecclesiae ordinantur.

Cum homines plures adsunt, unum oportet Lectionem et Collectam recitare, et aliae partes officii dicuntur una voce, vel in alio modo opportuno. (Vide suggestiones de recitatione Psalmorum in pagina 582 Libri Precum Publicarum.)

Pro commodo, in quoque officio Psalmi apti, Lectiones, et Collectae praebentur. Ad libitum adhibeatur autem Collecta Diei vel Collecta ex assignatis in Divinis Officiis.

Pro Psalmis et Lectionibus insuper vide assignata in

a) Lectionario pro Dominicis, Diebus Sanctis, Commune Sanctorum, et Occasionibus Diversis in pagina 888 [Libri Precum Publicarum].

b) Lectionario Divini Officii in pagina 934 [Libri Precum Publicarum].

c) alio manuale devotionis quod lectiones quotidianas pro Anno Ecclesiastico praebet.

Matutino Tempore

Ex Psalmo 51 [Vulgata 50]

Domine, labia mea aperies *
  et os meum annuntiabit laudem tuam.
Cor mundum crea in me, Deus, *
  et spiritum rectum innova in visceribus meis.
Ne proicias me a facie tua *
  et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.
Redde mihi laetitiam salutaris tui *
  et Spiritu principali confirma me.
Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto: *
  sicut erat in principio, et nunc, et in saecula saeculorum. Amen.

Lectio

Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi qui secundum magnam misericordiam suam regeneravit nos in spem vivam per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis.
I Pet 1:3

Silentium sequatur.

Hymnus vel canticum adhibeatur; Symbolum Apostolorum dicatur.

Orationes offerantur pro nobismetipsis et aliis.

Oratio Dominica

Collecta

Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, qui nos ad principium huius diei pervenire fecisti, tua nos hodie salva virtute, ut in hac die ad nullum declinemus peccatum, nec ullum incurramus periculum, sed semper ad tuam iustitiam faciendam omnis nostra actio tuo moderamine dirigatur. Per Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Meridie

Ex Psalmo 113 [Vulgata 112]

Laudate pueri Dominum; *
  laudate Nomen Domini.
Sit Nomen Domini benedictum, *
  ex hoc nunc et usque in saeculum
A solis ortu usque ad occasum *
  laudabile Nomen Domini.
Excelsus super omnes gentes Dominus, *

super caelos gloria eius.

Lectio

Vetus error abiit servabis pacem pacem quia in te speravimus; quia haec dicit Dominus Deus Sanctus Israel si revertamini et quiescatis salvi eritis in silentio et in spe erit fortitudo vestra. *Is 26:3; 30:15a*

Orationes offerantur pro nobismetipsis et aliis.

Oratio Dominica

Collecta

Beate Salvator, qui hac hora in cruce pependisti, bracchia tua porrigens: Concede propitius ut omnes gentes te aspiciant et salvi fiant; propter misericordiam tuam. *Amen.*

vel

Domine Iesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis: pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: ne respicias peccata nostra, sed fidem Ecclesiae tuae; eamque secundum voluntatem tuam pacificare et coadunare digneris; qui vivis et regnas, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Vespertino Tempore

Haec devotio adhibeatur ante cenam vespertinam vel postea.

Pro hoc officio, Ordo ad Vesperam adhibeatur.

O lux hilaris, gloria sancta
Patris immortalis caelorum,
sancte, beate,
Iesu Christe!

Advenientes ad occasum solis,
conspicientes lucem vespertinam,
laudamus Patrem, Filium,
et Spiritum Sanctum, Deum.

Dignus es omnibus temporibus
laudari vocibus laetis,
Fili Dei, O vitae Donator;
Te igitur totus mundus glorificat.

Lectio

Non enim nosmetipsos praedicamus; sed Iesum Christum Dominum, nos autem servos vestros per Iesum. Quoniam Deus qui dixit, "De tenebris lucem splendescere," qui inluxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiae claritatis Dei in facie Christi Iesu. *II Cor 4:5-6*

Orationes offerantur pro nobismetipsis et aliis.

Oratio Dominica

Collecta

Mane nobiscum, Domine Iesu, quoniam advesperascit et inclinata est iam dies; Nos comitans in via, refove corda et spem excita miseratus, ut te in Scripturis et in fractione panis cum nostris fratribus agnoscamus: Concede hoc propter caritatem tuam. *Amen*.

Ad Finem Diei

Psalmus 134 [Vulgata 133]

Ecce nunc, benedicite Dominum, omnes servi Domini, *
  qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri.
In noctibus extollite manus vestras in sancta
et benedicite Domino; *
  benedicat te Dominus ex Sion, qui fecit caelum et terram.

Lectio

Tu autem in nobis es, Domine, et Nomen sanctum tuum invocatum est super nos: Ne derelinquas nos, Domine Deus noster. *Ier. 14:9, 22*

Sequens adhibeatur

Nunc dimittis servum tuum, Domine, *
  secundum verbum tuum in pace;
Quia viderunt oculi mei *
  salutare tuum,
Quod parasti *
  ante faciem omnium populorum,
Lumen ad revelationem Gentium, *
  et gloriam plebis tuae Israel.

Orationes offerantur pro nobismetipsis et aliis. Decet ut gratiarum actiones pro bonis diei includantur, et paenitentia pro peccatis nostris.

Oratio Dominica

Collecta

Visita, quaesumus, Domine, habitationem istam, et omnes insidias inimici ab ea longe repelle: Angeli tui sancti habitent in ea, qui nos in pace custodiant; et benedictio tua sit super nos semper; per Dominum nostrum Iesum Christum. *Amen.*

Benedicat et custodiat nos omnipotens et misericors Dominus, Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus. *Amen.*

Praecepta Adiuncta

Ad Ordinem ad Matutinas vel Vespertinas Preces

Quaelibet sententia ad introitum, illarum etiam pro temporibus vel diebus specialibus, ad tempus quodlibet adhibeatur ad libitum Officiantis.

Antiphonae propriae in paginis 43-44 et 80-82 [Libri Precum Publicarum] adhibeantur ut versus intercalares cum alterutro Psalmo Invitatorio.

Antiphonae e Psalmis ipsis extractae, vel e sententiis ad introitum datis in Officiis, vel ex aliis capitulis Scripturae cum Psalmis et Canticis biblicis adhibeantur.

Gloria Patri canendum est vel dicendum semper ad finem cunctae portionis Psalterii, et licet canere post Psalmum Invitatorium vel Canticum *Pascha nostrum*, post quemque Psalmum, et post quamque partem Psalmi 119 [*Vulgata 118*].

Gloria Patri quod ad finem quorundam Canticorum impressum est ad libitum omittatur.

Partitio sequens de *Gloria Patri* adhibeatur

Gloria Patri, et Filio, *
  et Spiritui Sancto:
Sicut erat in principio, et nunc, et semper *
  et in saecula saeculorum. Amen.

Versiones metricae Psalmorum Invitatoriorum, et Canticorum post Lectiones, adhibeantur.

Ad occasionem, pro Cantico hymnus canatur.

Symbolum Apostolorum in Officio omittitur, si Eucharistia cum Symbolo suo statim sequitur. Et licet in uno ex Officiis omittere quotidie per hebdomadem.

Oratio Dominica in Officio omittatur, si Litania vel Eucharistia statim sequitur.

In Intercessionibus et Gratiarum Actionibus, congregatis licet preces proprias vel gratias eloqui, vel ad iussum vel in media precatione; et spatium donetur ad tacite orandum.

Licet sermonem post Officium praedicare; vel in Officio post Lectiones, vel ad tempus hymni vel antiphonae post Collectas.

Interdum ad libitum Ministri, lectio e litteris Christianis nonbiblicis post Lectiones biblicas recitetur.

Licet in Officio accipere et praebere oblationes.

Si Communio celebratur

Si Ordo ad Matutinas vel Vespertinas Preces pro Liturgia Verbi adhibetur, Symbolum Nicaenum pro Symbolo Apostolorum adhibeatur, et Officians transeat e salutatione "Dominus vobiscum" responsioneque statim ad Collectam Diei. Lectio Evangelii semper includitur.

Tunc Intercessiones praeceptis in pagina 383 [Libri Precum Publicarum] accommodandae sunt.

Deinde officium cum [*Pax vobiscum* et] Offertorio pergitur.

Ordo ad Vesperam

Ante hoc officium, oportet ut in ecclesia sit tam paulum lux artificiosa quam possit. Nec prooemium musicum nec introitum oportet habere.

Ad introiendos Ministros, unus cereus ante eos feratur, vel duo, qui praebeat lucem ad recitandum Capitulum ad initium officii et ad Orationem pro Luce. A Die Paschae usque ad Diem Pentecostes, Cereus Paschalis, si adhibetur, loco consueto accenditur antequam populus se congregat; deinde officians ad Cereum Paschalem it ut officium in luce eius incipiat.

Capitulum recitetur ex qualibet versione Scripturae ad liturgiam publicam in hac Ecclesia approbata, et oportet ut sine citatione neque conclusione recitetur. Si una Lectio Scripturae postea in officio recitanda est, vel plures, Capitulum omittatur.

Tempore Paschali, ad cereos incendendos in Altare et alibi, flamma e Cereo Paschali accipiatur. Aliis temporibus, cereus vel cerei qui ad initium officii inferuntur in Altare ponantur, et alii cerei ex eis accendentur. Adventu, cerei in Serta accendantur post Orationem pro Luce. Ad occasionem, cerei accensi membris congregationis distribuantur.

Si hoc officium domi adhibetur, cerei accendantur ad mensam cenationis, vel ad alium locum consuetum.

Si tus adhibetur, decet adhibere postquam cerei accensi sunt dum hymnus *Phos Hilaron* canitur.

Cum hic ordo pro toto Officio pergitur, Psalmi Lectionesque e Lectionario de Officio, vel e Proprio Diei, vel alia apta ad tempus vel ad occasionem adhibeantur. Psalmi apti ad vesperam includunt: 8, 23, 27, 36, 84, 93, 113, 114, 117, 121, 134, 139, 141, 143 [*Vulgata 8, 22, 26, 35, 83, 92, 112, 113, 116, 120, 133, 138, 140, 142*]. Si placet, plures Lectiones adhibeantur, silentio vel cantu intercalato.

Si hymnus additus desideratur, canetur statim ante Benedictionem vel Dimissionem.

Si cena sequitur, benedictio super cibum adhibeatur pro fine huius formae Officii.

Ordo Canticorum ad Matutinas Commendatus

	Post Lectionem ex Testamento Veteri	*Post Lectionem ex Testamento Novo*
Dominica	16. Benedictus Dominus *Adventu:* 11. Surge, illuminare *Quadragesima:* 14. Kyrie Pantocrator *Tempore Paschali:* 8. Cantemus Domino	21. Te Deum laudamus *Adventu et Quadragesima:* 16. Benedictus Dominus
Feria II	9. Ecce, Deus	19. Magna et mirabilia
Feria III	13. Benedictus es	18. Dignus es
Feria IV	11. Surge, illuminare *Quadragesima:* 14. Kyrie Pantocrator	16. Benedictus Dominus
Feria V	8. Cantemus Domino	20. Gloria in excelsis *Adventu et Quadragesima:* 19. Magna et mirabilia
Feria VI	10. Quarite Dominum *Quadragesima:* 14. Kyrie Pantocrator	18. Dignus es
Sabbato	12. Benedicite	19. Magna et mirabilia

Festis Domini nostri et aliis Festis Maioribus

16. Benedictus Dominus	21. Te Deum laudamus

Ordo Canticorum ad Vesperas Commendatus

	Post Lectionem ex Testamento Veteri	*Post Lectionem ex Testamento Novo*
Dominica	Magnificat	Nunc dimittis*
Feria II	8. Cantemus Domino *Quadragesima:* 14. Kyrie Pantocrator	Nunc dimittis
Feria III	10. Quaerite Dominum	Magnificat
Feria IV	12. Benedicite	Nunc dimittis
Feria V	13. Surge, illuminare	Magnificat
Feria VI	13. Benedictus es	Nunc dimittis
Sabbato	9. Ecce, Deus	Magnificat

Festis Domini nostri et aliis Festis Maioribus

Magnificat	Nunc dimittis*

** Si una Lectio sola recitatur, Canticum* Magnificat *commendatur.*

Psalmus 95 [*Vulgata 94*]

Venite exultemus Domino; *
  iubilemus Deo salutari nostro.
Praeoccupemus faciem eius in confessione, *
  et in psalmis iubilemus ei.

Quoniam Deus magnus Dominus, *
  et rex magnus super omnes deos.
Quis in manu eius fines terrae, *
  et altitudines montium ipsius sunt.
Quoniam ipsius est mare et ipse fecit illud, *
  et siccam manus eius formaverunt.

Venite adoremus et procidamus, *
  et ploremus ante Dominus qui fecit nos.
Quia ipse est Deus noster, *
  et nos populus pascuae eius
  et oves manus eius.

Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra *
  sicut in inritatione,
  secundum diem temptationis in deserto;
Ubi temptaverunt me patres vestri, *
  probaverunt me: et viderunt opera mea.

Quadraginta annis offensus fui generationi illi, *
  et dixi semper errant corde,
  et isti non cognoverunt vias meas,
Et iuravi in ira mea *
  si intrabunt in requiem meam.

Litania Magna

Litania Magna

Dicenda vel cantanda, cum populo genuflexo, vel stante, vel procedente; ante Eucharistiam vel post Collectas Ordinis ad Matutinas vel Vespertinas Preces; vel seperatim; praesertim in Quadragesima vel diebus Rogationibus.

Pater de caelis Deus,
Miserere nobis.

Fili Redemptor mundi Deus,
Miserere nobis.

Spiritus Sancte fidelium Sanctificator Deus,
Miserere nobis.

Sancta, beata, et gloriosa Trinitas, unus Deus,
Miserere nobis.

Ne memineris, Domine Christe, iniquitatum nostrarum, vel parentum nostrorum; neque vindictam sumas de peccatis nostris. Parce, Domine, parce populo tuo, quem redemisti pretioso sanguine tuo, et misericordia tua in saecula conserva nos.
Parce nobis, Domine.

Ab omni peccato, malo, et infortunio; ab insidiis diaboli; et ab aeterna damnatione,
Libera nos, Domine.

A coecitate cordis; superbia, ambitione, hypocrisi; ira, odio, malitia et discordia,
Libera nos, Domine.

A fornicatione et aliis omnibus peccatis mortalibus; et a tentationibus carnis, mundi, et diaboli,
Libera nos, Domine.

A falsis et hereticis dogmatibus; a duritia cordis, et contemptu Verbi et mandati tui,
Libera nos, Domine.

A fulgure et tempestate; a terrae motu, igne, et diluvie; a plaga, pestilentia, et fame,
Libera nos, Domine.

Ab omni oppressione, seditione et conspiratione; a bello, latrocinio, et morte subitanea,
Libera nos, Domine.

Per mysterium sanctae Incarnationis, Nativitatis, Circumcisionis, Baptismi, Ieiunii, et Tentationis tuae,
Libera nos, Domine.

Per Agonem et Sanguineum Sudorem; per Crucem et Passionem; per pretiosam Mortem et Sepulturam; per gloriosam Resurrectionem et Ascensionem tuam in caelos; et Adventum Spiritus Sancti,
Libera nos, Domine.

In tempore tribulationis et prosperitatis nostrae; in hora mortis et in die iudicii,
Libera nos, Domine.

Te rogamus, O Deus, nos peccatores exaudias, ut Ecclesiam tuam sanctam Catholicam regere et gubernare digneris,
Te rogamus audi nos.

Ut episcopos, presbyteros, et diaconos, vera cognitione et recto intellectu Verbi tui illuminare digneris, et ut tam doctrina quam vita illud promoveant,
Te rogamus audi nos.

Ut populo tuo universo benedicere, eumque servare digneris,
Te rogamus audi nos.

Ut operarios in messem tuam, ad trahendum omnes homines in regnum tuum, mittere digneris,
Te rogamus audi nos.

Ut populo incrementum gratiae, ut Verbum tuum humiliter audiat, et puro corde amplectatur, et fructus Spiritus proferat, donare digneris,
Te rogamus audi nos.

Ut errantes et deceptos in viam veritatis revocare digneris,
Te rogamus audi nos.

Ut mentes nostras ad verum amorem et timorem tui inflammare, et ad mandatorum tuorum observantiam inclinare velis,
Te rogamus audi nos.

Ut corda Presidentis nostri et omnium magistratuum gubernes, eisque gratiam ut exsequantur iustitiam, diligant misericordiam, et custodiant veritatem, conferre digneris
Te rogamus audi nos.

Ut in toto mundo bella auferre; omnibus gentibus unitatem, pacem, et concordiam donare; libertatemque largiri digneris,
Te rogamus audi nos.

Ut captivis et incarceratis, esurientibus et tecto carentibus, desolatis et oppressis, succurrere velis,
Te rogamus audi nos.

Ut fructus terrae dare et conservare digneris, ut suo tempore pie eis utamur,
Te rogamus audi nos.

Ut nos, in diversis vocationibus, ad faciendum opera quae nobis famulis tuis dedisti ut ea faciamus toto corde pro bono omnium, inspirare digneris,

Te rogamus audi nos.

Ut omnes in periculo propter laborem vel peregrinationem servare velis,
Te rogamus audi nos.

Ut parturientibus, infantibus, pupillis et orphanis, viduis, et omnibus quorum domus discordia discissae sunt prospicere digneris,
Te rogamus audi nos.

Ut solitarios visitare; corpore, mente, vel animo aegrotantes roborare; infirmos et debiles praesentia tua confirmare digneris,
Te rogamus audi nos.

Ut defendas, iuves, consoleris omnes in periculis, necessitatibus, et molestiis constitutos,
Te rogamus audi nos.

Ut omnibus hominibus miserearis,
Te rogamus audi nos.

Ut veram paenitentiam et remissionem peccatorum nobis largiri; negligentias et ignorantias nobis condonare; gratiam Sancti Spiritus, et emendationem vitae nobis donare digneris,
Te rogamus audi nos.

Ut inimicis et persecutoribus nostris ignoscas, et eorum corda ad paenitentiam convertere velis,
Te rogamus audi nos.

Ut stantes confirmare, imbeciles sustentare, et cadentes erigere, ac Satanam sub pedibus nostris conculcare velis,
Te rogamus audi nos.

Ut omnibus fidelibus defunctis vitam aeternam et pacem donare digneris,
Te rogamus audi nos.

Ut nobis concedere digneris ut, in communione [_____ et] omnium sanctorum, ad regnum caeleste tuum perveniamus,
Te rogamus audi nos.

Fili Dei, te rogamus audi nos.
Fili Dei, te rogamus audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
Miserere nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
Miserere nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
Dona nobis pacem.

Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.

Cum, statim ante Eucharistiam, Litania canatur vel dicatur, hic Litania concluditur, et Eucharistia cum Salutatione et Collecta incipitur.

Omnibus in aliis occasionibus, Officians et Populus una voce dicunt

Pater noster, qui es in caelis,
sanctificetur nomen tuum,
adveniat regnum tuum,
fiat voluntas tua,
sicut in caelo et in terra.
Panem nostrum quotidianum da nobis hodie,
Et dimitte nobis debita nostra,
sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.
Et ne nos inducas in tentationem,
sed libera nos a malo.

V. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam;
R. Sicut speramus in te.

Litania cum Collecta sequenti vel alia concluditur

Oremus.

Omnipotens Deus, qui promisisti te auditurum preces eorum, qui in nomine Filii tui postulant: aures tuas clementer precibus nostris accommoda, et praesta, ut quae fideliter a te petimus, efficiter consequamur. Per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Officians Orationes alias addat, et Litaniam concludat, dicens

Gratia Domini nostri Iesu Christi, caritas Dei, et communicatio Sancti Spiritus, sit semper cum omnibus nobis. *Amen.*

Supplicatio

Ad usum pro Versiculo et Collecta Orationem Dominicam sequentibus in Litania; vel ad finem Ordinis ad Matutinas vel Vespertinas Preces; vel pro devotione disiuncta; praesertim in tempore belli, vel anxietatis publicae, vel calamitatis.

Exsurge, Domine, adiuva nos;
Et libera nos propter Nomen tuum.

Deus auribus nostris audivimus, patres nostri annunciaverunt nobis opera admiranda, quae operatus es in diebus eorum, et in diebus antiquis.

Exsurge, Domine, adiuva nos;
Et libera nos propter Nomen tuum.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto; sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Exsurge, Domine, adiuva nos;
Et libera nos propter Nomen tuum.

V. Ab inimicis nostris libera nos, Christe;
R. Respice clementer afflictiones nostras.
V. Aspice dolorem cordis nostri;
R. Propitius esto peccatis populi tui.
V. Benigne audi orationes nostras;
R. O Filii David, miserere nobis.
V. Et nunc et semper dignare exaudire nos, O Christe;
R. Christe, exaudi nos; exaudi nos clementer, Domine Iesu Christe.

Officium concludit, dicens

Oremus.

Infirmitates nostras, quaesumus, Domine, benigne respice, et propter gloriam Nominis tui mala omnia, quae iuste pro peccatis nostris meremur, a nobis clementer averte: et praesta, ut in cunctis adversitatibus omnem nostram fiduciam collocemus in misericordia tua, et tibi semper in puritate vitae serviamus, ad gloriam tui Nominis: Per unicum mediatorem nostrum et advocatum, Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Collectae

De Proprio Anni Ecclesiastici

Proprium Anni Ecclesiastici Collectas designatas includit; et Praefationes Proprias de quibus praecepta in paginis sequentibus dantur; et Psalmos designatos Lectionesque quae inveniuntur in tabulis in pagina 889 [Libri Precum Publicarum] sequentibusque.

Propria designata pro Dominica etiam adhibeantur in celebrationibus Eucharistiae per hebdomadem sequentem, nisi aliter pro Diebus Sanctis et Occasionibus Diversis ordinatur.

Proprium pro quaque Dominica post Pentecosten (nisi Dominica Sanctissimae Trinitatis) definitur a numero diei in Kalendario illius Dominicae. Itaque, in omni anno, Proprium pro Dominica post Dominicam Trinitatis (i.e. Dominica Secunda post Pentecosten) enumeratum Proprium est (a numero 3 usque ad numerum 8) cuius dies Kalendarii in illa Dominica cadit, vel eidem proxime, sive antea sive postea. Deinde Propria in ordine procedunt. E.g., si Dominica post Dominicam Trinitatis dies 26 Maii est, series a Proprio 3 incipitur (Propriis 1 & 2 adhibitis in diebus Hebdomadum Pentecostes Trinitatisque). Si Dominica post Dominicam Trinitatis dies 13 Iunii est, series a Proprio 6 incipitur (Propriis 1,2, & 3 omissis, et Propriis 4 & 5 adhibitis in diebus Hebdomadum Pentecostes Trinitatisque). Vide Tabulam in paginis 884-885 [Libri Precum Publicarum].

Collecta pro Dominica vel alio Festo adhibeatur pridie ad vesperas.

Praecepta de Commune Sanctorum et officiis pro Occasionibus Diversis in paginis 195, 199, 246 et 251 [Libri Precum Publicarum] dantur.

Collectae

Dominica prima Adventus

Da nobis, quaesumus, Omnipotens Deus, ut abiectis operibus tenebrarum, induamur arma lucis in hac mortali vita, in qua Iesus Christus Filius tuus cum magna humilitate ad nos visitandos advenit, ut in extremo die, quo rediturus est cum gloria Maiestatis suae ad iudicandos vivos et mortuos, resurgamus ad vitam immortalem; per Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Adventu

Dominica secunda Adventus

Misericors Deus, qui nuntios tuos prophetas legavisti ad praedicandam paenitentiam, et ad parandum viam nostrae saluti: Da nobis gratiam ut monitiones eorum audiamus, et peccata nostra relinquamus, ut adventum Iesu Christi Redemptoris nostri cum gaudio salutemus; qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Adventu

Dominica tertia Adventus

Excita, quaesumus, Domine, potentiam tuam et veni, et magna nobis virtute succurre, ut per auxilium gratiae tuae, quod nostra peccata praepediunt, indulgentia tuae miserationis acceleret; per Dominum nostrum Iesum Christum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Adventu

Feria quarta ac sexta et Sabbato huius hebdomadae dies Quattuor Temporum Adventus sunt.

Dominica quarta Adventus

Conscientias nostras, quaesumus Domine, visitando purifica, ut veniens Iesus Christus Filius tuus Dominus noster, paratum sibi in nobis inveniat mansionem, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Adventu

In Nativitate Domini *Die 25 Decembris*

Deus, qui nos redemptionis nostrae annua exspectatione laetificas: praesta; ut Unigenitum tuum, quem Redemptorem laeti suscipimus, venientem quoque Iudicem securi videamus, Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

vel

Deus, qui hanc sacratissimam noctem veri Luminis fecisti illustratione clarescere: da, quaesumus; ut, cuius Lucis mysteria in terra cognovimus, eius quoque gaudiis in caelo perfruamur; qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

vel

Omnipotens Deus, qui unigenitum Filium tuum nobis dedisti, ut nostram naturam assumeret, hodiernaque die de pura virgine nasceretur, praesta quaesumus, ut nos regenerati, filiique tui per adoptionem et gratiam facti, tuo Sancto Spiritu quotidie renovemur; per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Incarnatione

Prior collecta, cum qualibet congerie Lectionum Propriarum in Festo Nativitatis, adhibetur ad aliquas ferias inter diem Sanctorum Innocentium et Dominicam post festum Nativitatis.

Dominica post festum Nativitatis

Haec Dominica antecedit tres Dies Sanctos post festum Nativitatis. Si requiritur, celebratio unius, duorum, vel trium eorundem prorogatur unum diem.

Da nobis, quaesumus, omnipotens Deus: ut, qui nova incarnati Verbi tui luce perfundimur; hoc in nostro resplendeat opere, quod per fidem fulget in mente; per eundem Dominum nostrum Iesum Christum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Incarnatione

In festo Sancti Nominis *Die 1 Ianuarii*

Aeterne Pater, qui Filio tuo incarnato sanctum nomen Iesum dedisti signum esse salutis nostrae: Infunde, quaesumus, in omne cor caritatem illius qui mundi Salvator est, Domini nostri Iesu Christi; qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Incarnatione

Dominica secunda post festum Nativitatis

Deus, qui humanae substantiae dignitatem mirabiliter condidisti, et mirabilius reformasti: Da nobis eius divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostrae fieri dignatus est particeps, Iesus Christus, Filius tuus, Dominus noster; qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Incarnatione

In Epiphania Domini *Die 6 Ianuarii*

Deus, qui unigenitum tuum gentibus stella duce revelasti, concede propitius, ut qui te iam ex fide cognovimus, tua gloriosa Deitate post hanc vitam perfruamur; per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Epiphania

Prior Collecta, cum Psalmo et Lectionibus de Epiphania, vel cum eis Dominicae secundae post festum Nativitatis assignatis, adhibetur ad ferias inter Epiphaniam et Dominicam sequentem. Prefatio de Epiphania.

Dominica prima post Epiphaniam

Pater caelestis, qui Iesum, in Iordane flumine baptizatum, Spiritu Sancto super eum descendente, dilectum Filium tuum sollemniter declarasti: Concede ut omnes in Nomine eius baptizati observent pactionem quam eidem fecerunt et fortiter confiteantur eum Dominum ac Salvatorem; qui tecum vivit et regnat, in unitate eiusdem Spiritus Sancti, Deus, in gloria sempiterna. *Amen.*

Praefatio de Epiphania

Dominica secunda post Epiphaniam

Omnipotens Deus, cuius Filius Salvator noster Iesus Christus lux mundi est: Concede ut plebs tua illuminata per Verbum tuum et Sacramenta cum splendore gloriae Christi eluceat, ut ille ad fines terrarum cognoscatur, adoretur et audiatur; per eundem Dominum nostrum Iesum Christum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Epiphania, vel Praefatio Dominicae

Dominica tertia post Epiphaniam

Da nobis gratiam, Domine, ad libenter sequendam vocationem Salvatoris nostri Iesu Christi, et omnibus hominibus Evangelium salutis eius pronuntiandum, ut nos cum toto mundo gloriam mirabilium operum eius percipiamus; per eundem Dominum nostrum Iesum

Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Epiphania, vel Praefatio Dominicae

Dominica quarta post Epiphaniam

Omnipotens sempiterne Deus, qui caelestia simul et terrestria moderaris, supplicationes nostras clementer exaudi, et pacem tuam nostris concede temporibus; per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Epiphania, vel Praefatio Dominicae

Dominica quinta post Epiphaniam

Deus, libera nos a captivitate peccatorum nostrorum, et da nobis, quaesumus, libertatem illius vitae abundantis, quam nobis revelasti in Filio tuo Iesu Christo; qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Epiphania, vel Praefatio Dominicae

Dominica sexta post Epiphaniam

Deus, in te sperantium fortitudo, adesto propitius invocationibus nostris, et quia nihil sine te potest mortalis infirmatas, praesta auxilium gratiae tuae, ut in exsequendis mandatis tuis et voluntate tibi et actione placeamus; per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Epiphania, vel Praefatio Dominicae

Dominica septima post Epiphaniam

Deus, qui nos docuisti, quod omnia opera nostra sine caritate nihil sint, da nobis Spiritum tuum sanctum, qui diffundat in cordibus nostris excellens donum caritatis, verum vinculum pacis et omnium virtutum, et sine qua omnis vivens coram te est mortuus; hoc largire propter Dominum nostrum Iesum Christum unicum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Epiphania, vel Praefatio Dominicae

Dominica octava post Epiphaniam

Clementissime Pater, qui vis ut pro omnibus gratias agamus, et solum amissionem tui formidemus, et in te qui nos amas omnem sollicitudinem nostram proiiciamus: A nobis arce

metus infideles et anxietates profanas, et concede ut nullae nubes huius vitae mortalis a nobis occultent lucem illius caritatis quae aeterna est, quamque nobis ostendis in Filio tuo Iesu Christo Domino nostro; qui tecum vivit et regnat, in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Epiphania, vel Praefatio Dominicae

Dominica ultima post Epiphaniam

Hoc Proprium semper adhibetur in Dominca ante Feriam Quarta Cinerum.

Deus, qui ante passionem unigeniti Filii tui, in sancto monte, gloriam eius revelasti: Concede nobis ut per fidem conspicentes lucem faciei eius, ad crucem nostram tollendam roboremur, et mutemur in imaginem eius ab gloria ad gloriam; per eundem Dominum nostrum Iesum Christum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Epiphania

Feria Quarta Cinerum

Liturgia Propria ad hanc diem in pagina 264 Libri Precum Publicarum datur.

Omnipotens aeterne Deus, qui nihil odisti eorum quae fecisti, et dimittis peccata omnibus paenitentibus: crea in nobis cor novum et contritum, ut digne peccata nostra defleamus, et agnoscamus iniquitates nostras, et a te Deo omnis misericordiae perfectam peccatorum remissionem consequamur; per Dominum nostrum Iesum Christum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Quadragesima

Haec collecta, cum Psalmo et Lectionibus congruentibus, etiam adhibetur ad ferias sequentes, nisi aliter assignatur.

Dominica prima in Quadragesima

Omnipotens Deus, cuius beatus Filius a Spiritu eductus est ut a Satana temptaretur: Intende in adiutorium famulorum tuorum qui illecebris multis oppugnantur; et, sicut complures infirmitates eorum cognovisti, ita quisque te potentem ad liberandum inveniat; per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Quadragesima

Feria quarta ac sexta et Sabbato huius hebdomadae dies Quattuor Temporum Quadragesimae sunt.

Dominica secunda in Quadragesima

Deus, cuius gloria est semper misericors esse: Da gratiam omnibus qui erraverunt a viis tuis et eos cum cordibus paenitentibus ac stabili fide reduc ad comprehendam et immutabilem veritatem Verbi tui, Iesu Christi Filii tui tenendam; qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Quadragesima

Dominica tertia in Quadragesima

Deus, qui conspicis omni nos virtute destitui, interius exteriusque custodi, ut ab omnibus adversitatibus muniamur in corpore, et a pravis cogitationibus mundemur in mente; per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Quadragesima

Dominica quarta in Quadragesima

Clementissime Pater, cuius sacrosanctus Filius Iesus Christus descendit de caelis panis verus esse qui vitam mundo donat: Da nobis perpetuo hunc panem ut habitet in nobis et nos in eo; per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Quadragesima

Dominica quinta in Quadragesima

Omnipotens Deus, cuius solius est indomitas peccatorum voluntates gubernare, da populo tuo id amare quod praecipis, id desiderare quod promittis, ut inter mundanas varietates ibi nostra fixa sint corda, ubi vera sunt gaudia; per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Quadragesima

Dominica de Passione: Dominica in Palmis

Liturgia Propria ad hanc diem in pagina 270 Libri Precum Publicarum datur.

Omnipotens sempiterne Deus, qui humano generi ad imitandum humilitatis exemplum, Filium tuum Salvatorem nostrum carnem assumere, et crucem subire fecisti, concede propitius, ut et patientiae ipsius habere documenta, et resurrectionis consortia mereamur; per eundem Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Sancta Cruce

Feria secunda Maioris Hebdomadae

Omnipotens Deus, cuius dilectissimus Filius in gaudium non ascendit sed primum passus est, et in gloriam ante non introiit quam primum crucifixus est: Concede propitius ut nos, ambulantes in via crucis, eam vere inveniamus viam vitae et pacis; per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Sancta Cruce

Feria tertia Maioris Hebdomadae

Deus, qui passione beati Filii tui instrumentum probosae mortis nobis fecisti viam vitae: Concede ut ita in cruce Christi gloriemur ut ignominiam et detrimentum libenter patiamur pro Filio tuo Iesu Christo Salvatore nostro; qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Sancta Cruce

Feria quarta Maioris Hebdomadae

Domine Deus, cuius beatus Filius Salvator noster dorsum suum ad percussoribus dedit et faciem suam ab ignominia non abdidit: Da nobis gratiam ut dolores praesentes libenter accipiamus, habentes fidem plenam gloriae quae revelabitur; per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Sancta Cruce

Feria quinta in Cena Domini

Liturgia Propria ad hanc diem in pagina 274 Libri Precum Publicarum datur.

Omnipotens Pater, cuius dilectus Filius, in nocte ante passionem, Sacramentum sui Corporis et Sanguinis instituit: Concede propitius ut idem grate accipiamus in memoriam eius qui in his sacrosanctis mysteriis pignus aeterne vitae nobis donat; per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Sancta Cruce

Feria Sexta in Parasceve

Liturgia Propria ad hanc diem in pagina 276 Libri Precum Publicarum datur.

Omnipotens Deus, familiam tuam quaesumus benigne respice, pro qua Dominus noster Iesus Christus non dubitavit tradi manibus nocentium, et crucis subire tormentum; qui tecum vivit et regnat cum Sancto Spiritu, in saecula saeculorum. *Amen.*

Sancto Sabbato

Liturgia Propria ad hanc diem in pagina 283 Libri Precum Publicarum datur.

Deus, Creator caeli et terrae: Concede ut sicut corpus crucifixum dilectissimi Filii tui in sepulchrum positus est, ita cum eo adventum tertiae diei exspectemus, et ad novitatem vitae resurgamus; per eundem Dominum nostrum Iesum Christum, qui tecum vivit et regnat, in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Die Paschae

Liturgia Vigiliae Paschalis in pagina 285 Libri Precum Publicarum datur.

Deus, qui pro nostra redemptione unigenitum Filium tuum crucis patibulum subire voluisti, et per gloriosam eius resurrectionem nos a potentia inimici liberasti: Praesta ut quotidie sic peccato moriamur, ut possimus in aeternum cum eo vivere, et perfrui gloria resurrectionis ipsius; per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filum tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

vel

Deus, qui hanc sacratissimam noctem gloria Dominicae Resurrectionis illustras: Excita in Ecclesia tua adoptionis spiritum, quem in Baptismate nobis dedisti; ut corpore et mente renovati, puram tibi exhibeamus servitutem; per Dominum nostrum Iesum Christum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

vel

Deus, qui per unigenitum tuum aeternitatis nobis aditum, devicta morte, reserasti: Da nobis, quaesumus, ut qui resurrectionis sollemnia colimus, per innovatione tui Spiritus a morte animae resurgamus; per Dominum nostrum Iesum Christum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Pascha

Feria secunda post Pascha

Concede, quaesumus, omnipotens Deus, ut, qui festa Paschalia venerando egimus, per haec contingere ad gaudia aeterna mereamur; per Dominum nostrum Iesum Christum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Pascha

Feria tertia post Pascha

Deus, qui per gloriosam resurrectionem Filii tui Iesu Christi mortem destruxisti et vitam ac immortalitatem exhibeas: Concede ut nos, qui cum eo resurrecti sumus, coram eodem maneamus et in spe gloriae sempiternae gaudeamus; per eundem Dominum nostrum Iesum Christum, qui tecum vivit et regnat, in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Pascha

Feria quarta post Pascha

Deus, cuius sacrosanctus Filius se ad discipulos suos in fractione panis revelavit: Oculos nostros, quaesumus, aperi ut in universo redemptionis opere ipsius eum percipiamus; per eundem Dominum nostrum Iesum Christum, Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Pascha

Feria quinta post Pascha

Omnipotens sempiterne Deus, qui Paschale sacramentum in reconciliationis humanae foedere contulisti: da mentibus nostris; ut, quod professione celebramus, imitemur effectu; per Dominum nostrum Iesum Christum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Pascha

Feria sexta post Pascha

Omnipotens Pater, qui dedisti Filium tuum, ut pro peccatis nostris moreretur, et pro iustitia nostra resurgeret, praesta, ut abiecto fermento malitiae et nequitiae, in puritate fidei et vitae tibi perpetuo serviamus; per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Pascha

Sabbato post Pascha

Pater caelestis, tibi gratias agimus quia a regno peccati ac mortis nos liberasti et in regnum Filii tui induxisti; et te rogamus ut sicut per mortem suam nos vivificavit, ita per caritatem suam ad gaudia aeterna nos sublevet; per eundem Dominum nostrum Iesum Christum, qui tecum vivit et regnat, in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Pascha

Dominica secunda Paschae

Omnipotens sempiterne Deus, qui Paschale sacramentum in reconciliationis humanae foedere contulisti: da mentibus nostris; ut, quod professione celebramus, imitemur effectu; per Dominum nostrum Iesum Christum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Pascha

Dominica tertia Paschae

Deus, cuius sacrosanctus Filius se ad discipulos suos in fractione panis revelavit: Oculos nostros, quaesumus, aperi ut eum in omnibus operibus eiusdem redemptionis percipiamus; per eundem Dominum nostrum Iesum Christum, Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Pascha

Dominica quarta Paschae

Deus, cuius Filius Iesus pastor bonus plebis tuae est: Concede ut, quando vocem eius audiamus, qui nos quemque nomine vocat eum cognoscamus, et quo ducit sequamur; per eundem Dominum nostrum Iesum Christum, Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Pascha

Dominica quinta Paschae

Omnipotens Deus, cuius vera cognitio vita aeterna est, fac nos credere Filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum esse viam, et veritatem, et vitam, ut constanter illum sequamur per viam ad vitam aeternam; per eundem Dominum nostrum Iesum Christum, Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Pascha

Dominica sexta Paschae

Deus, qui diligentibus te bona quae exsuperant humanum sensum praeparasti, infunde cordibus nostris tui amoris affectum, ut te in omnibus et super omnia diligentes, promissiones tuas, quae omne desiderium superant, consequamur; per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Pascha

Feria secunda et tertia et quarta huius hebdomadae Dies Rogationum sunt.

Die Ascensionis Domini

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, ut sicut humani generis salvatorem consedere tecum in tua maiestate confidimus, ita usque ad consummationem saeculi manere nobiscum, quemadmodum es pollicitus, sentiamus; per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

vel

Concede, quaesumus, omnipotens Deus, ut qui unigenitum tuum, Dominum nostrum Iesum Christum, ad caelos ascendisse credimus, ipsi quoque corde et mente illuc ascendamus, et cum illo perpetuo habitemus; per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Ascensione

Priores Collectae, cum Psalmo proprio et Lectiones in die Ascensionis, adhibentur ad ferias sequentes, nisi aliter assignatur.

Dominica post Ascensionem

Deus Rex gloriae, qui unicum Filium tuum unigenitum Iesum Christum triumphatorem in caeleste tuum regnum exaltasti: Ne derelinquas nos orphanos, sed mitte nobis Spiritum Sanctum tuum, qui nos consoletur, et eo nos evehat quo Dominus et Salvator noster Iesus Christus praecessit, qui tecum vivit et regnat in unitate eiusdem Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Ascensione

Dominica Pentecostes

Deus, qui sacramento festivitatis hodiernae universam Ecclesiam tuam in omni gente et natione sanctificas, in totam mundi latitudinem Spiritus tui sancti dona defunde, ut quod inter ipsa Evangelicae praedicationis exordia operata est divina dignatio nunc quoque per credentium corda defunde; per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

vel

Deus, qui hoc tempore corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti: Da nobis in eodem Spiritu de omnibus recta sapere, et de eius semper sancta consolatione gaudere; per

merita Salvatoris nostri Iesu Christi, qui tecum vivit et regnat in unitate eiusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio in die Pentecostes

In feriis sequentibus, Proprium enumeratum adhibetur quod congruit proxime ad tempus Pentecostes in illo anno. Vide paginam 158 [Libri Precum Publicarum].

Feria quarta ac sexta et Sabbato huius hebdomadae dies Quattuor Temporum Pentecostes sunt.

Dominica Sanctissimae Trinitatis

Omnipotens sempiterne Deus, qui gratia tua dedisti nobis famulis tuis in confessione verae fidei aeternae Trinitatis gloriam agnoscere, et in potentia Divinae Maiestatis adorare unitatem, quaesumus, ut eiusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis; qui vivis et regnas Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio in festo Trinitatis

In feriis sequentibus, Proprium enumeratum adhibetur quod congruit proxime ad tempus Dominicae Sanctissimae Trinitatis in illo anno.

Tempus post Pentecosten

Praecepta ad usum Propriorum sequentium in pagina 158 [Libri Precum Publicarum] dantur.

De Proprio I *In Hebdomada Dominicae proximae 11 Maii*

Memento, Domine, quod es operatus in nobis, et non quid mereamur; et quia nos vocasti in servitutem tuam, fac nos dignos vocationis nostrae; per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Nulla Propria Praefatio adhibetur.

De Proprio II *In Hebdomada Dominicae proximae 18 Maii*

Omnipotens et misericors Deus, universa nobis adversantia propitiatus exclude, ut mente et corpore pariter expediti, quae tua sunt liberis mentibus exsequamur; per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Nulla Propria Praefatio adhibetur.

De Proprio III *Dominica proxima 25 Maii*

Da nobis quaesumus, ut et mundi cursus pacifice nobis tuo ordine dirigatur, et Ecclesia tua tranquilla devotione laetetur; per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio Dominicae

De Proprio IV *Dominica proxima 1 Iunii*

Deus, cuius providentia in caelestium et terrestrium dispositione non fallitur, te supplices exoramus, ut noxia cuncta submoveas, et omnia nobis profutura concedas; per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio Dominicae

De Proprio V *Dominica proxima 8 Iunii*

Deus, a quo bona cuncta procedunt, largire supplicibus tuis, ut cogitemus te inspirante, quae recta sunt, et te gubernante, eadem faciamus; per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio Dominicae

De Proprio VI *Dominica proxima 15 Iunii*

Familiam tuam, quaesumus, Domine, continua pietate custodi, ut adiutorio gratiae tuae veritatem tuam fortiter pronuntiemus, et iustitiam tuam clementer administremus; per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio Dominicae

De Proprio VII *Dominica proxima 22 Iunii*

Sancti nominis tui, Domine, timorem pariter et amorem fac nos habere perpetuum, quia nunquam tua gubernatione destituis, quos semel in soliditate tuae dilectionis instituis; per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio Dominicae

De Proprio VIII *Dominica proxima 29 Iunii*

Omnipotens Deus, qui Ecclesiam super fundamentum prophetarum et apostolorum in ipso summo angulari lapide Christo Iesu aedificasti: Da nobis ita per eorum doctrinam in unitate spiritus coniungi, ut sanctum templum acceptum tibi efficiamur; per eundem Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio Dominicae

De Proprio IX *Dominica proxima 6 Iulii*

Deus, qui Ecclesiam tuam in dilectione tuae divinitatis et proximi cuncta servare caelestia mandata docuisti: Da nobis spiritum pacis et gratiae, ut universa familia tua et toto tibi sit corde devota, et pura sibi voluntate concordet; per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio Dominicae

De Proprio X *Dominica proxima 13 Iulii*

Vota, quaesumus, Domine, supplicantis populi caelesti pietate prosequere, ut et ea quae agenda sunt, videant, et ad implenda quae viderint, tua gratia ac virtute convalescant; per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio Dominicae

De Proprio XI *Dominica proxima 20 Iulii*

Omnipotens Deus, fons omnis sapientiae, qui non solum quibus rebus opus nobis sit, antequam quicquam petimus, noveris, sed etiam nostram in petendo ignorantiam vides: rogamus tuam clementiam, ut miserearis nostrarum infirmitatum; et quae vel propter indignitatem nostram non audemus, vel propter coecitatem nostram non possumus, tu ea nobis largiri digneris; per merita Filii tui Domini nostri Iesu Christi, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio Dominicae

De Proprio XII *Dominica proxima 27 Iulii*

Protector omnium in te sperantium Deus, sine quo nihil est sanctum, nihil validum, multiplica super nos misericordiam tuam, ut te rectore, te duce, sic transeamus per bona temporalia, ut non amittamus aeterna; per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio Dominicae

De Proprio XIII *Dominica proxima 3 Augusti*

Ecclesiam tuam, Domine, miseratio continuata mundet et muniat; et quia sine te non potest salva consistere, tuae semper bonitatis auxilio gubernetur; per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio Dominicae

De Proprio XIV *Dominica proxima 10 Augusti*

Largire nobis, quaesumus Domine, semper spiritum cogitandi quae recta sunt, pariter et agendi, ut qui sine te esse non possumus, secundum te vivere valeamus; per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio Dominicae

De Proprio XV *Dominica proxima 17 Augusti*

Omnipotens Deus, qui dedisti nobis Filium tuum unicum, ut esset nobis et sacrificium pro peccato, et exemplar pietatis: Da nobis ut gratis mentibus hoc inestimabile beneficium eius semper agnoscamus, et beata vestigia vitae ipsius sanctissimae quotidie sequi studeamus; per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio Dominicae

De Proprio XVI *Dominica proxima 24 Augusti*

Da, quaesumus, Ecclesiae tuae, misericors Deus: ut Sancto Spiritu congregata, virtutem tuam inter omnes gentes manifestet ad gloriam Nominis tui; per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate eiusdem Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio Dominicae

De Proprio XVII *Dominica proxima 31 Augusti*

Deus virtutum, cuius est omne quod est optimum, insere pectoribus nostris amorem tui nominis, et praesta in nobis verae religionis augmentum, ut quae sunt bona nutrias, ac pietatis studio quae sunt nutrita custodias; per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio Dominicae

De Proprio XVIII *Dominica proxima 7 Septembris*

Da nobis, Domine, quaesumus, in te tota mente confidere; quoniam sicut superbis in sua virtute praesumentibus semper obsistis, ita non deseris in tua misericordia gloriantes; per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio Dominicae

De Proprio XIX *Dominica proxima 14 Septembris*

Dirigat corda nostra, quaesumus, Domine, Sancti tui Spiritus operatio: quia tibi sine te placere non possumus; per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio Dominicae

De Proprio XX *Dominica proxima 21 Septembris*

Da nobis, Domine, non terrena sapere, sed amare caelestia, et inter praetereuntia constitutos iam nunc inherere mansuris; per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio Dominicae

De Proprio XXI *Dominica proxima 27 Septembris*

Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo maxime et miserando manifestas, multiplica super nos misericordiam tuam, ut ad tua promissa currentes caelestium bonorum facias esse participes; per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio Dominicae

De Proprio XXII *Dominica proxima 5 Octobris*

Omnipotens sempiterne Deus, qui promptior es semper in audiendo quam nos in orando, et abundantia pietatis tuae et merita supplicum excedis et vota, effunde super nos misericordiam tuam, ut dimittas quae conscientia metuit, et adiicias quod oratio non praesumit; nisi per merita Mediatoris nostri Filii tui Iesu Christi Domini nostri, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio Dominicae

De Proprio XXIII *Dominica proxima 12 Octobris*

Tua nos, Domine, quaesumus, gratia semper praeveniat et sequatur, ac bonis operibus praestet esse intentos; per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio Dominicae

De Proprio XXIV *Dominica proxima 19 Octobris*

Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriam tuam omnibus in Christo gentibus revelasti: custodi opera misericordiae tuae; ut Ecclesia tua toto orbe diffusa, stabili fide in confessione tui nominis perseveret; per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio Dominicae

De Proprio XXV *Dominica proxima 26 Octobris*

Omnipotens sempiterne Deus, da nobis fidei, spei et caritatis incrementum: et ut mereamur assequi quod promittis, fac nos amare quod praecipis; per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio Dominicae

De Proprio XXVI *Dominica proxima 2 Novembris*

Omnipotens et misericors Deus, a cuius beneficentia proficiscitur ut tibi a fidelibus tuis digne et laudabiliter serviatur, tribue quaesumus nobis, ut ad promissiones tuas sine offensione curramus; per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio Dominicae

De Proprio XXVII *Dominica proxima 9 Novembris*

Deus, cuius benedictus Filius in hoc apparuit ut dissolveret opera diaboli, et nos filios Dei vitaeque aeternae heredes efficeret: Da, quaesumus, ut hanc spem habentes, nosmetipsos sicut et ille sanctus est sanctificemus; quatenus, cum in potestate magna et maiestate iterum apparuerit, similes ei efficiamur in aeterno gloriae eius regno; ubi tecum, Pater, et tecum, Spiritus Sancte, vivit et regnat Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio Dominicae

De Proprio XXVIII *Dominica proxima 16 Novembris*

Benedicte Domine, qui effecisti ut tota Sacra Scriptura ad nostram doctrinam scriberetur: Da nobis, ita eam audire, legere, meditari, discere, et intus animo suscipere, ut per patientiam et consolationem Verbi sancti tui amplectamur et usque retineamus spem illam beatam aeternae vitae, quam dedisti nobis in Salvatore nostro Iesu Christo, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio Dominicae

De Proprio XXIX *Dominica proxima 23 Novembris*

Omnipotens sempiterne Deus, qui in dilecto Filio tuo, universorum Rege, omnia instaurare voluisti: Concede propitius, ut cunctae familiae Gentium, peccati vulnere disgregatae, eius suavissimo subdantur imperio; qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio Dominicae, vel Praefatio de Baptismo

Dies Sancti

Die Sancti Andreae *30 Novembris*

Omnipotens Deus, qui tantam gratiam apostolo tuo Andreae dedisti ut vocationi Filii tui Iesu Christi libenter oboediverit, et secum fratrem suum tulerit: Da nobis gratiam, qui per Verbum tuum vocamur, ut Dominum sine mora sequamur, et proximos nostros in praesentiam benignam eius ducamus; per eundem Dominum nostrum Iesum Christum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Apostolis

Die Sancti Thomae *21 Decembris*

Omnipotens aeterne Deus, qui pro confirmatione fidei nostrae beatum Thomam Apostolum de resurrectione Filii tui dubitantem confirmasti: Concede nobis, ut vere et sine ulla dubitantione credamus in Filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum, et ut fides nostra coram te nunquam mereatur reprehensionem; per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Apostolis

Die Sancti Stephani *26 Decembris*

Da nobis, Domine, quaesumus, ut exemplo Sancti Stephani discamus inimicos diligere, qui pro persecutoribus suis precatus est; per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Incarnatione

Die Sancti Ioannis *27 Decembris*

Ecclesiam tuam, quaesumus, Domine, benignus illustra, ut beati Ioannis Apostoli tui et Evangelistae illuminata doctrinis, ita in veritatis tuae lumine ambulet, ut ad vitae sempiternae lucem tandem perveniat; per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Incarnatione

Die Sanctorum Innocentium *28 Decembris*

Deus, caedem sanctorum innocentium in Bethlehem per mandatum Herodis Regis hodie recordamur. Accipe, quaesumus, in bracchia misericordiae tuae omnes victimas innocentes, et per magnam potentiam tuam proposita tyrannorum malorum subverte, et stabili regnum tuum iustitiae, caritatis, pacisque; per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Incarnatione

In Confessione Sancti Petri *Die 18 Ianuarii*

Omnipotens Pater, qui inspirasti Simonem Petrum, primum inter discipulos, ut Iesum confiteretur Christum ac Filium Dei viventis: Conserva Ecclesiam tuam super petrum huius fidei, ut in unitate ac pace unam veritatem pronuntiemus et unum Dominum sequamur Iesum Christum; qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Apostolis

In Conversione Sancti Pauli *Die 25 Ianuarii*

Deus, qui universum mundum per beati Pauli Apostoli praedicationem Evangelica luce illustrasti: Da nobis quaesumus, ut propter eius admirabilem Conversionem quam recolimus, doctrinae eius sanctae oboediendo, tibi gratias referamus; per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Apostolis

In Praesentatione Domini Nostri Iesu Christi in Templo *Die 2 Februarii*

Omnipotens Deus, maiestatem tuam supplices exoramus, ut sicut unigenitus Filius tuus cum carnis nostrae substantia hodie in templo est praesentatus, ita nos facias purgatis mentibus tibi praesentari, et vitam obtinere aeternam; ab eodem Iesu Christo Domino nostro, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Praefatio de Epiphania

Die Sancti Matthiae *24 Februarii*

Omnipotens Deus, qui in locum Iudae traditoris elegisti fidelem servum tuum Matthiam, ut esset unus ex numero duodecim Apostolorum: Da ecclesiae tuae ut a pseudoapostolis libera, a veris pastoribus regatur et gubernetur; per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Apostolis

Die Sancti Iosephi *19 Martii*

Deus qui, ex genere Davidi famuli tui, Iosephum produxit ut tutor esset Filii tui incarnati, et maritus virginis matris eius: Da nobis gratiam ut eius probitatem vitae et oboedientiam praeceptis tuis imitemur; per eundem Dominum nostrum Iesum Christum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Epiphania

In Annunciatione Beatae Mariae Virginis *Die 25 Martii*

Gratiam tuam, quaesumus Domine, mentibus nostris infunde, ut qui angelo nunciante Iesu Christi Filii tui incarnationem cognovimus, per passionem eius et crucem ad resurrectionis gloriam perducamur; per eundem Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Epiphania

Die Sancti Marci *25 Aprilis*

Omnipotens Deus, qui beatum Marcum Evangelistam tuum ad Evangelicae praedicationis gratiam evexisti: Tribue quaesumus, nos semper sancto tuo Evangelio proficere, et fidei constantia stabiliri, ut non simus semper pueri, fluctuantes omni vento doctrinae; per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Omnibus Sanctis

Die Sanctorum Philippi et Iacobi *1 Maii*

Omnipotens Deus, qui Philippo et Iacobo apostolis tuis gratiam dedisti ad testificandum veritatem: Concede ut nos, memores victoriae eorum fidei, in vita et morte glorificemus Nomen Domini nostri Iesu Christi; qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Apostolis

In Visitatione Beatae Mariae Virginis *31 Maii*

Pater caelestis, per cuius gratiam mater virgo Filii tui incarnati in eum pariendo beata erat, etiam beatior in tenendo verbum tuum: Concede ut nos, qui exaltationem humilitatis eius honoramus, exemplum devotionis voluntati tuae eius sequamur; per eundem Dominum nostrum Iesum Christum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Epiphania

Die Sancti Barnabae *11 Iunii*

Deus, concede ut exemplum famuli tui fidelis Barnabae imitemur, qui, non gloriam suam sed salutem Ecclesiae tuae petens, ex vita et substantia sua ad auxilium pauperum et propagationem Evangelii liberaliter donavit; per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Apostolis

In Nativitate Sancti Ioannis Baptistae *Die 24 Iunii*

Omnipotens Deus, cuius providentia famulus tuus Ioannes Baptista mirabiliter natus est, et missus ut paenitentiam praedicando Filii tui Salvatoris nostri Iesu Christi viam praepararet: Fac nos eius doctrinam et sanctam vitam ita imitari, ut veram agamus paenitentiam iuxta ipsius praedicationem, et secundum eius exemplum constanter confiteamur veritatem, libere crimina reprehendamus, ac pro confessione veritatis mala patienter perferamus; per eundem Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Adventu

Die Sanctorum Petri et Pauli *29 Iunii*

Omnipotens Deus, cuius beati apostoli Petrus et Paulus martyrio suo te glorificaverunt: Concede ut Ecclesia tua, doctrina et exemplo eorum erudita, atque Spiritu tuo in unitate coniuncta, semper perstet super fundamentum unum Iesum Christum Dominum nostrum; qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Apostolis

Die Sanctae Mariae Magdelanae *22 Iulii*

Omnipotens Deus, cuius beatus Filius Mariae Magdalenae salutem corporis et mentis recreavit, et eam vocavit ad resurrectionem eius testificandam: Concede propitius ut ab omnibus infirmitatibus nostris gratia tua recuremur et te cognoscamus in virtute vitae aeternae eius; qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Omnibus Sanctis

Die Sancti Iacobi *25 Iulii*

Clemens Deus, hodie coram te recordamur famulum tuum et apostolum Iacobum, primum inter Duodecim qui pro Nomine Iesu Christi martyrium passus est; et te petimus ut super Ecclesiae tuae ductores effundas illum adfectum ministerii seipsum denegantis quo solo auctoritatem veram inter plebem tuam habeant; per eundem Dominum nostrum Iesum Christum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Apostolis

In Transfiguratione *Die 6 Augusti*

Deus, qui in sancto monte testibus electis dilectum Filium tuum revelasti, in veste alba ac nitenti, mirabiliter transfiguratum: Concede propitius ut, liberati a perturbatione huius mundi, Regem in forma eius per fidem conspiciamus; qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Epiphania

Die Sanctae Mariae Virginis *15 Augusti*

Deus, qui ad te ipsum beatam Mariam Virginem, Matrem Filii tui incarnati, assumpsisti: Concede ut nos, qui per sanguinem eius redempti sumus, cum ea in gloria tui regni aeterni participes simus; per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Incarnatione

Die Sancti Bartholomaei *24 Augusti*

Omnipotens sempiterne Deus, qui gratiam dedisti apostolo tuo Bartholomaeo, qua verbum tuum et vera fide acciperet et doceret: Da quaesumus ecclesiae tuae et amare quod credidit, et praedicare atque amplecti quod docuit; per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Apostolis

In Exaltatione Sanctae Crucis *Die 14 Septembris*

Omnipotens Deus, cuius Filius Salvator noster Iesus Christus in cruce exaltatus est ut totum mundum ad se ipsum attraheret: Concede propitius ut nos, qui in mysterio redemptionis nostrae gloriamur, gratiam ad accipiendam crucem nostram et eum sequendum habeamus; per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Sancta Cruce

Die Sancti Matthaei *21 Septembris*

Pater caelestis, tibi gratias agimus propter testimonium apostoli tui et evangelistae Matthaei Evangelio Filii tui Salvatoris nostri; et te petimus ut, secundum exemplum eius, cum voluntatibus ac cordibus expeditis vocationem Domini nostri ad sequendum eum audiamus; per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Apostolis

Die Sancti Michaelis et Omnium Angelorum *29 Septembris*

Aeterne Deus, qui miro ordine Angelorum ministeria hominumque dispensas: Concede propitius, ut a quibus tibi ministrantibus in caelo semper assistitur, ab his in terra vita nostra muniatur; per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio in festo Trinitatis

Die Sancti Lucae *18 Octobris*

Omnipotens Deus, qui famulum tuum Lucam medicum inspirasti ut caritatem et virtutem salutarem Filii tui in Evangelio exponat: Clementer conserva eandem caritatem et virtutem salutarem in Ecclesia tua, ad laudem et gloriam Nominis tui; per eundem Dominum

nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Omnibus Sanctis

Die Sancti Iacobi Hierosolymitani *23 Octobris*

Deus, concede quaesumus, ut secundum exemplum famuli tui Iacobi Iusti, fratris Domini nostri, Ecclesia tua ad orandum assidue, et ad reconciliandos omnes qui inter se inimicitiam gerunt, semper se dedat; per eundem Dominum nostrum Iesum Christum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Omnibus Sanctis

Die Sanctorum Simonis et Iudae *28 Octobris*

Deus, tibi gratias agimus propter societatem gloriosam apostolorum, et hodie praesertim propter Simonem et Iudam; et te petimus ut sicut fideles ac studiosi in missione fuerunt, ita cum devotione ardenti patefaciamus caritatem et misericordiam Domini nostri ac Salvatoris Iesu Christi; qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Apostolis

Die Omnium Sanctorum *1 Novembris*

Omnipotens Deus, qui coniunxisti electos tuos in una communione et societate mystici corporis Filii tui Domini nostri Iesu Christi: Da nobis sanctos tuos in omnibus virtutibus et bonis operibus imitari, ut ad ineffabile gaudium, quod praeparasti iis qui vere te diligunt, perveniamus; per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Omnibus Sanctis

Die Gratiarum Actionis

Omnipotens et clementissime Pater, tibi gratias agimus pro frugibus in tempore eorum, et pro laboribus operariorum qui eas metunt. Fac nos, quaesumus, procuratores magnae largitatis tuae fideles, ad necessitatibus nostris providendum et ad omnibus egentibus subveniendum, ad gloriam Nominis tui; per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Pro Orationibus Populi, licet Litaniam Gratiarum Actionis in pagina 836 [Libri Precum Publicarum] adhibere.

Praefatio in festo Trinitatis

Commune Sanctorum

Pro Martyre

Omnipotens Deus, qui famulo tuo [*vel* famulae tuae] N. libertatem ad confitendum coram regibus huius saeculi Nomen Salvatoris nostri Iesu Christi, et ad moriendum pro hoc fide virtutem dedisti: Concede propitius ut semper parati simus ad satisfactionem omni poscenti nos rationem de ea quae in nobis est spe, et ad patientiam voluntariam pro eodem Domino nostro Iesu Christo; qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

vel

Omnipotens Deus, per cuius gratiam et virtutem martyr sanctus tuus [*vel* sancta tua] N. passionem vicit et fidelis usque ad mortem erat: Concede nobis, qui nunc eum [*vel* eam] cum gratiarum actione recordamur, fidelitatem ad te in hoc mundo confitendum, ut cum eo [*vel* ea] coronam vitae accipiamus; per Dominum nostrum Iesum Christum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Sancto

Pro Missionario

Omnipotens sempiterne Deus, tibi gratias agimus propter famulum tuum [*vel* famulam tuam] N., qui ad praedicandum Evangelium populo _____ nationis [*vel* _____ populo] vocasti. Produc, quaesumus, in hac regione et in omnibus regionibus evangelistas et regni tui nuntios, ut Ecclesia tua ininvestigabiles divitias Salvatoris nostri Iesu Christi evangelizet; qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

vel

Omnipotens Deus, qui vis ut in sanctis tuis glorificeris, et famulum tuum [*vel* famulam tuam] N. in mundo lux esse produxisti: Luce, quaesumus, in cordibus nostris, ut nos etiam in nostra aetate annuntiamus laudem tui, qui nos ex tenebris in lucem tuam mirabilem vocasti; per Dominum nostrum Iesum Christum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio in die Pentecostes

Pro Pastore

Pater caelestis, plebis tuae Pastor, tibi gratias agimus propter famulum tuum [*vel* famulam tuam] N. qui in curando et educando gregem tuum fidelis erat; et te rogamus ut, sequentes eius exemplum et doctrinam vitae sanctae, gratia tua crescamus in mensuram aetatis plenitudinis Domini nostri et Salvatoris Iesu Christi, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen*.

vel

Deus, Pater caelestis noster, qui famulum tuum [*vel* famulam tuam] N. [episcopum et] pastorem in Ecclesia tua esse et gregem tuum pascere produxisti: Da omnibus pastoribus abundanter Spiritus Sancti dona, ut in familia tua sicut veri servi Christi et procuratores divinorum mysteriorum ministrent; per eundem Dominum nostrum Iesum Christum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen*.

Praefatio de Sancto

Pro Theologo et Doctore

Deus, qui per Spiritum Sanctum alii das sermonem sapientiae, alii autem scientiae, et alteri fidem in eodem Spiritu: Benedicimus Nomini tuo propter dona gratiae in famulo tuo [*vel* famula tua] N. manifestata, et te rogamus ut Ecclesia ab donis tantis nunquam destituatur; per Dominum nostrum Iesum Christum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen*.

vel

Omnipotens Deus, qui famulo tuo [*vel* famulae tuae] N. charismata ad intellegendam et docendam, sicut in Christo Iesu est, veritatem dedisti: Concede propitius ut per hanc doctrinam te unicum Deum verum cognoscamus, et Iesum Christum a te missum; qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen*.

Praefatio de Sancto, vel in festo Trinitatis

Pro Monacho

Deus, cuius beatus Filius pauper factus est ut per eius paupertatem divites fiamus: Libera nos a cupiditate huius mundi immodica ut, devotione famuli tui [*vel* famulae tuae] N. inspirati, tibi ex animo serviamus et divitias venturi saeculi capiamus; per Dominum nostrum Iesum Christum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen*.

vel

Deus, per cuius gratiam famulus tuus [*vel* famula tua] N., flamma caritatis tuae incensus [*vel* incensa], ardens ac lucens in Ecclesia tua lux factus [*vel* facta] est: Concede nobis quoque ut cum caritatis et disciplinae spiritu incensi fiamus, et sicut filii lucis coram te ambulemus; per Dominum nostrum Iesum Christum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen*.

Praefatio de Sancto

Pro Sancto vel Sancta

Omnipotens Deus, nobis magnam nubem testium circumdedisti: Concede ut nos, confirmati bono exemplo famuli tui [*vel* famulae tuae] N., perseveremus in proposito nobis certamine currendo, dum denique cum eo [*vel* ea] ad aeternum gaudium tuum perveniamus; per Iesum Christum auctorem fidei et consummatorem, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

vel

Deus, qui nos adduxisti ad multorum milium angelorum frequentiam, et spiritus iustorum perfectorum: Concede propitius ut, per nostram peregrinationem terrestrem, in communione eorum maneamus, et in nostra patria caelesti eorum gaudii participes fiamus; per Dominum nostrum Iesum Christum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen*.

vel

Omnipotens Deus, qui nos unum cum sanctis tuis in caelo et in terra Spiritu Sancto tuo fecisti: Concede propitius ut, in peregrinatione terrestri nostra, hac caritatis precumque communione semper adiuvemur, atque nos ipsos testimonio potestati et misericordiae tuae eorum circumdatos esse cognoscamus; per Dominum nostrum Iesum Christum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen*.

Praefatio de Sancto

Occasiones Diversae

Ad libitum, sub praeceptis quae exponunter in Kalendario Anni Ecclesiastici (incipiens in pagina 15 Libri Precum Publicarum).

1. De Sanctissima Trinitate

Omnipotens Deus, qui aeternam substantiam tuam maiestatis gloriosae ac caritatis perfectae revelasti Ecclesiae unum Deum in Trinitate Personarum: Da nobis gratiam ut in confessione huius fidei perseveremus et in te adorando constanter maneamus; O Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus, qui vivis et regnas, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio in festo Trinitatis

2. De Spiritu Sancto

Omnipotens et clementissime Deus, concede quaesumus ut inhabitatione Sancti Spiritus ad ministerium tuum illuminemur et roboremur; per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio in die Pentecostes

3. De Angelis Sanctis

Deus, qui miro ordine Angelorum ministeria hominumque dispensas: Concede propitius, ut a quibus tibi ministrantibus in caelo semper assistitur, ab his in terra vita nostra muniatur; per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio in festo Trinitatis

4. De Incarnatione

Deus, qui humanae substantiae dignitatem mirabiliter condidisti, et mirabilius reformasti: Da nobis eius divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostrae fieri dignatus est particeps, Iesus Christus, Filius tuus, Dominus noster; qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Epiphania

5. De Sancta Eucharistia

Collecta apta praecipue feriis quintis

Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuae memoriam reliquisti: Tribue, quaesumus, ita nos Corporis et Sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuae fructum in nobis iugiter sentiamus; qui vivis et regnas, cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Epiphania

6. De Sancta Cruce

Collecta apta praecipue feriis sextis

Omnipotens Deus, cuius dilectus Filius pro nostra redemptione dolorem et ignominiam crucis libenter passus est: Da nobis virtutem, quaesumus, ut crucem nostram tollamus et eundem sequamur; qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Sancta Cruce

7. De Omnibus Christianis Baptizatis

Domine Deus, concede omnibus, qui in mortem et resurrectionem Filii tui Iesu Christi baptizati sunt, ut sicut vitam praeteritam peccati deposuimus, ita in spiritu mentium nostrarum renovemur, et in iustitia et vera sanctitate vivamus; per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Baptismo

8. De Defunctis

Omnipotens Deus, famulum tuum [*vel* famulam tuam] N. coram te recordamur; et te petimus ut, portis vitae maioris ei aperitis, eum [*vel* eam] in ministerium laetum tuum magis magisque accipias, ut cum omnibus qui antehac tibi fideliter serviverunt, communicet aeternam victoriam Iesu Christi Domini nostri; qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

vel

Domine Deus sempiterne, qui omnes animas in vita tenes: Da, quaesumus, Ecclesiae tuae in paradiso et in terra lucem tuam et pacem; et concede propitius ut, sequentes bona exempla

eorum qui hic tibi servierunt et nunc requiescunt, postremo una cum illis in gaudium tuum perpetuum introeamus; per Dominum nostrum Iesum Christum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Defunctis

9. De Regno Christi

Omnipotens sempiterne Deus, qui in dilecto Filio tuo, universorum Rege, omnia instaurare voluisti: Concede propitius, ut cunctae familiae Gentium, peccati vulnere disgregatae, eius suavissimo subdantur imperio; qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Ascensione, vel Praefatio de Baptismo

10. Ad Baptisma

Omnipotens Deus, qui per baptisma nostrum in mortem resurrectionemque Filii tui Iesu Christi, e vita veteri nos convertisti: Concede ut nos, in illo ad vitam novam renati, in iustitia sanctitateque vivamus omnibus diebus vitae; per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Baptismo

11. Ad Confimationem

Concede, omnipotens Deus, ut nos, in mortem resurrectionemque Filii tui Iesu Christi baptizati et e vita veteri peccati redempti, in Spiritu Sancto renovemur, et in iustitia sanctiateque vera vivamus; per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Baptismo, vel Praefatio in die Pentecostes

12. De Festo Die Anniversario Dedicationis Ecclesiae

Omnipotens Deus, ad cuius gloriam nos dedicationem huius domus orationis celebramus: Tibi gratias agimus propter societatem aliorum qui in hoc loco te venerati sunt, et rogamus ut omnes qui hic te quaerunt inveniant, et laetitia tua paceque impleantur; per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Litania Gratiarum Actionis pro Ecclesia, in pagina 578 [Libri Precum Publicarum] pro Orationibus Populi adhibeatur.

Praefatio de Dedicatione Ecclesiae

13. Pro Conventu Ecclesiastico

Omnipotens aeterne Pater, qui Spiritum Sanctum nobis dedisti ut nobiscum semper inhabitet: Benedic, quaesumus, gratia eius praesentiaque episcopos et alios clericos laicosque in Nomine tuo hic congregatos (*vel* nunc congregatos *vel* mox congregandos) ut Ecclesia tua, in vera fide servata, mentem exsequatur illius qui eam dilexit et pro ea se dedit Filius tuus Iesus Christus Salvator noster; qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen*.

Praefatio in die Pentecostes, vel Praefatio de Tempore

14. Pro Unitate Ecclesiae

Omnipotens Pater, cuius beatus Filius ante Passionem pro discipulis suis oravit ut unum sint sicut tu et ille unum estis: Concede ut Ecclesia tua, in caritate et oboedientia tibi conexa, in uno corpore ab uno Spiritu coniugatur, ut mundus credat in illum qui misisti, Filium tuum Iesum Christum Dominum nostrum; qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen*.

Praefatio de Baptismo, vel Praefatio in festo Trinitatis

15. Pro Ministerio (Diebus Quattuor Temporum)

Ad dies consuetos vel alia tempora

I. Pro ordinandis

Omnipotens Deus, omnium bonorum dator, qui divina providentia tua varios ordines in Ecclesia constituisti: Da gratiam tuam, supplices quaesumus, iis omnibus ad quodvis officium vel ministerium pro plebe tua [iam] vocatis: et eos doctrinae tuae veritate ita adimple, et vitae innocentia adorna, ut in conspectu tuo fideliter ministrent, ad magni tui Nominis gloriam, et ad profectum sanctae Ecclesiae tuae; per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen*.

Praefatio de Apostolis

II. Pro elegendis aptis ad ministerium

Deus, qui apostolos tuos ad ministros ubique ordinandos eduxisti: Concede ut, moderatione Spiritus Sancti, Ecclesia aptos ad ministerium Verbi et Sacramenti elegat, et eos in opere

regni tui proficiendi sustineat; per Pastorem et Episcopum animarum nostrarum, Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Tempore

III. Pro omnibus Christianis in vocatione sua

Omnipotens sempiterne Deus, cuius Spiritu totum corpus Ecclesiae sanctificatur et regitur: Exaudi nos pro universis ordinibus supplicantes, ut gratiae tuae munere, ab omnibus tibi gradibus fideliter serviatur. Per Dominum nostrum Iesum Christum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Baptismo, vel de Tempore

16. Pro Missione Ecclesiae

Deus, qui ex uno sanguine omne genus hominum fecisti, et beatum Filium misisti ad evangelizandum pacem eis qui longe sunt et eis qui prope: Concede ut omnes ubique te quaerant et inveniant; confer gentes in ovile tuum; effunde Spiritum tuum super omnem carnem; et accelera regnum tuum adveniens; per Christum Dominum nostrum. *Amen.*

vel

Deus omnium nationum orbis terrarum: Memorare multitudinis hominum qui in imagine tua creati sunt sed opus salutiferum Salvatoris nostri Iesu Christi non cognoverunt; et concede ut, orationibus laboribusque tuae Ecclesiae sanctae, ad te agnoscendum et adorandum, sicut revelatus es in Filio tuo, ducantur; qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Tempore, vel Praefatio in die Pentecostes

17. Pro Patria

Domine Deus omnipotens, qui omnes gentes orbis terrarum pro gloria tua fecisti, ut tibi in libertate paceque serviant: Da plebi nationis nostrae studium iustitiae virtutisque patientiae, ut libertatem nostram secundum tuam voluntatem misericordem exerceamus; per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Vel Collecta pro Die Libertatis adhibeatur.

Praefatio in festo Trinitatis

18. Pro Pace

Omnipotens Deus; excita, quaesumus, in omni corde veram dilectionem pacis, et eos qui consiliantur de rebus publicis orbis terrarum sapientia tua guberna; ut imperium tuum in tranquillitate augeatur, donec terra cum cognitione caritatis tuae repleatur; per Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Praefatio de Tempore

19. Pro Diebus Rogationis

Ad dies consuetos vel alia tempora

I. Pro fecundis temporibus

Omnipotens Deus, Domine coeli et terrae: Humiliter te petimus ut messes terrae marisque ad usum nostrum largitate tua dones et serves, atque prosperes eos qui diligenter metunt, ut nos e manu tuo bona constanter accipientes tibi gratias semper agamus; per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Tempore

II. Pro Commercio et Industriis

Omnipotens Deus, cuius Filius Iesus Christus in vita terrena sua operis nostri particeps fuit et laborem nostrum sanctificavit: Plebi tuae adesto ubi quisque laborat; illos qui industrias et commercium in hac terra gerunt fac obedientes voluntati tuae; et nobis omnibus concede ut opera nostra debita reverentia agamus, et pro labore nostro compensationem debitam accipiamus; per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, nunc et in saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Tempore

III. Pro procuratione creationis

Creator misericors, cuius manus aperta est ad desideria omnium viventium explendum; Fac nos pro providentia diligenti tua gratos; et concede ut, recordantes rationem quam denique reddemus, bonorum tuorum fideles procuratores nosipsos praebeamus; per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Tempore

20. Pro Aegrotis

Pater coelestis, vitae salutisque donator: Famulis aegrotis tuis succurre, et eos confirma, et da illis qui necessitatibus eorum serviunt virtutem tuam sanantem, ut eos (*vel N., vel NN.*) pro quibus orationes nostrae offeruntur in infirmitate confirmentur et curae diligenti tuae confidant; per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, nunc et in saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Tempore

Postcommunio in pagina 457 [Libri Precum Publicarum] adhibeatur.

21. Pro Iustitia Publica

Omnipotens Deus, qui nos in imagine tua fecisti: Da nobis gratiam ut malo impavide repugnemus et cum oppressione numquam pacificemus; et, ad reverendum usum libertatis nostrae, adiuva nos ut eam exerceamus ad iustitiam servandam in communitatibus nostris et in nationibus, ad gloriam tuae nominis sanctae; per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, nunc et in saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Tempore

22. Pro Ministerio Publico

Pater coelestis, cuius Filius non venit ministrari, sed ministrare: Omnes benedic qui vestigia eius sequentes ad ministerium aliis se dedunt; ut cum sapientia, et patientia, et fortitudine in nomine eius ministrent patientibus, amicorum inopibus, et indigentibus, pro caritate illius qui pro nobis animam suam deposuit, Filii tui Salvatoris nostri Iesu Christi, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Tempore

23. Pro Educatione

Omnipotens Deus, fons omnis sapientiae: Spiritu sancto docentes et discentes illumina ut, gaudentes in cognitione veritatis tuae, a progenie in progenies te adorent et tibi serviant; per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Praefatio de Tempore

24. Pro Vocatione in Operibus Quotidianis

Omnipotens Deus Pater noster coelestis, qui et in caelis et in terra gloriam tuam enarras et opera manuum tuarum annuntias: Libera nos in negotiis nostris diversis e serviendo solis nobismetipsis ut opus faciamus quod nobis praeparasti in veritate et forma pro bono publico; propter illum qui venit inter nos formam servi accipiens, Filium tuum Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen*.

Praefatio de Tempore

25. Pro Commemoratione Laborantium

Omnipotens Deus, qui sic vitas nostras invicem coniunxisti ut omnia opera nostra, aut bono aut malo, omnes vitas alias attingeant: Sic dirige nos in operibus nostris ut, non pro nobismetipsis solis, sed pro bono publico ea peragamus; et admone nos, quaerentes pro labore nostro debitam compensationem, de spebus iustis aliorum laborantium, et excita curam nostram pro laboris privatis; per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen*.

Praefatio de Tempore

Liturgiae Propriae
ad Dies quosdam

Feria Quarta Cinerum

Hoc die, Celebrans liturgiam incipit cum Salutatione et Collecta diei.

Oremus.

Omnipotens aeterne Deus, qui nihil odisti eorum quae fecisti, et remittis omnibus paenitentibus: crea in nobis cor contritum, ut digne peccata nostra defleamus, et agnoscamus iniquitates nostras, et a te Deo omnis misericordiae perfectam peccatorum remissionem consequamur; per Dominum nostrum Iesum Christum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Lectio ex Vetere Testamento Ioel 2:1-2, 12-17, *vel* Is 58:1-12
Psalmus 103, *Benedic, anima mea*, *vel* 103:8-14, *Miserator et misericors* [*Vulgata 102*]
Epistola 2 Cor 5:20b-6:10
Evangelium Matt 6:1-6, 16-21

Post Sermonem, omnes surgunt, et Celebrans vel Minister designatus populum invitat ad observationem sanctae Quadragesimae, dicens

Carissima Plebs Dei: Christiani pristini magna cum devotione observaverunt dies passionis Domini nostri et resurrectionis, et Ecclesia cum tempore paenitentiae et ieiunii se parare coepit. In hoc tempore Quadragesima apellato illi ad fidem conversi parabantur ad Sanctum Baptisma atque illi, propter peccata manifesta, disiuncti a corpore fidelium reconciliabantur per paenitentiam et veniam, et deinde ad communionem Ecclesiae restituti sunt. Quare cuncta congregatio commonita est de nuntio veniae absolutionisque qui in Evangelio Salvatoris nostri annuntiatur, et de necessitate perpetua Christianis renovare paenitentiam et fidem suam.

Vos, igitur, invito in nomine Ecclesiae, ad observandum sanctam Quadragesimam, per conscientiae investigationem et paenitentiam; per orationem, ieiunium, et abstinentiam; et per legendum et contemplandum Verbum Dei sanctum. Et, pro recta inceptione paenitentiae, et pro signo naturae mortalis nostrae, flectamus genua coram Domino, factore nostri ac redemptore.

Omnibus genuflectentibus, silentium paulisper observatur.

Si cineres impositurí sunt, Celebrans orationem sequentem dicit

Omnipotens Deus, qui nos creasti ex pulvere terrae: Concede propitius ut hi cineres fiant nobis signum nostrae mortalitatis et paenitentiae, ad monendum ut per munus tuum solum donemur vita aeterna; per Iesum Christum Salvatorem nostrum. *Amen*.

Cineres imponuntur cum verbis sequentibus

Memento quia pulvis es, et in pulverem reverteris.

Deinde Psalmus sequens canitur vel dicitur

Psalmus 51 [*Vulgata 50*] *Miserere mei, Deus*

Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam; *
et secundum multidinem miserationum tuarum
dele iniquitatem meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea *
et a peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, *
et peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccavi *
et malum coram te feci.

Ut iustificeris in sermonibus tuis *
et vincas cum iudicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, *
et in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti; *
incerta et occulta sapientiae tuae manifestasti mihi.

Asparges me hysopo et mundabor; *
lavabis me et super nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium et laetitiam; *
exultabunt ossa humiliata.

Averte faciem tuam a peccatis meis *
et omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus, *
et spiritum rectum innova in visceribus meis.

Ne proicias me a facie tua *
et Spiritum Sanctum tuum ne auferas a me.

Redde mihi laetitiam salutaris tui *
et Spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas *
  et impii ad te convertentur.

Libera me de sanguinibus, Deus, *
  Deus salutis meae,
  exultabit lingua mea iustitiam tuam.

Domine, labia mea aperies *
  et os meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses sacrifium dedissem utique; *
  holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus; *
  cor contritum et humilatum Deus non spernet.

Litania Paenitentiae

Celebrans et Populus, genibus flexis, una dicunt

Sanctissime et misericors Pater:
Confitemur tibi et invicem,
et cunctae communioni sanctorum
in caelo et in terra,
quia peccavimus nimis nostra culpa
cogitatione, verbo, et facto;
opere et omissione.

Celebrans pergit

Non dileximus te ex toto corde nostro, ex tota mente nostra, et ex tota virtute nostra. Neque dileximus proximos nostros sicut nos ipsos. Non condonavimus aliis, sicut nos veniam accepimus.
Domine, miserere nobis.

Non audivimus vocationem tuam ad ministrandum, sicut Christus nos ministravit. Non fideles fuimus ad sensus Christi. Contristavimus Spiritum Sanctum tuum.
Domine, miserere nobis.

Confitemur tibi, Domine, omnem infidelitatem praeteritam: superbiam, dissimulationem, et impatientiam in vitis nostris,
Tibi, Domine, confitemur.

Cupiditatem nostram et intemperantiam, et abusum nostrum aliorum,
Tibi, Domine, confitemur.

Neglegentiam nostram in oratione et cultu, et delictum nostrum in non commendando fidem quae est in nobis,
Tibi, Domine, confitemur.

Suscipe, Domine, paenitentiam nostram pro iniuriis quas fecimus: pro caecitate nostra ad humanam inopiam et dolorem, et pro neglegentia nostra ad iniustitiam et atrocitatem,
Suscipe, Domine, paenitentiam nostram.

Pro omnibus falsis iudiciis, immisericordibus cogitationibus ad proximos nostros, et pro praeiudicio et contemptu ad alienos,
Suscipe, Domine, paenitentiam nostram.

Pro dissipatione et contaminatione creationis tuae, et negligentia de venturis,
Suscipe, Domine, paenitentiam nostram.

Converte nos, Deus salutum nostrarum, et averte iram tuam a nobis;
Benigne audi nos, quoniam est magna misericordia tua.

Imple in nobis opus salutis,
Ut annuntiemus in mundo gloriam tuam.

Per crucem et passionem Filii tui Domini nostri,
Confer nos cum omnibus sanctis ad gaudium resurrectionis eius.

Episcopus, si adsit, vel Presbyter, surgit et, adversus Populum, pronuntiat

Omnipotens Deus, Pater Domini nostri Iesu Christi, qui non vult mortem peccatoris, sed potius ut recedat a malis suis moribus et vivat; deditque potestatem suis ministris, imo praecipit, ut populo suo paenitenti absolutionem remissionemque peccatorum suorum plane annuntiarent, ipse singulis vere paenitentibus, et sacrosancto Evangelio haud ficte credentibus, condonat, eosque certissime absolvit.

Rogamus ergo, ut ille nobis veram paenitentiam largiatur, Sanctumque suum Spiritum impartiat, ut quod hoc tempore agimus, id illi totum placeat: et reliqua etiam nostra vita, adeo pura sit in hoc mundo, et sancta, ut in futuro gaudium consequamur aeternum; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Diaconus, vel lector laicus, officium dirigens non surgit et, genibus flexis, supponens orationem pro venia designatam ad Matutinas.

Deinde Pax Domini offertur.

In absentia episcopi vel presbyteri, omnia antecedentia a diacono vel lectore laico dirigatur.

Cum Litania Paenitentiae adhibeatur in aliis temporibus, decet ut invitatio apta et psalmus paenitentialis antecedant.

Si Communio sequitur, officium cum Offertorio pergitur.

Praefatio de Quadragesima

Dominica de Passione:
Dominica in Palmis

Liturgia Palmarum

Si condicionibus permittitur, congregatio extra ecclesiam congregat, ut omnes ad ecclesiam in processione introeant.

Rami palmae vel aliae arboris vel fruticis, qui in processione laturi sunt, ad populum distribuantur ante officium, vel post orationem benedictionis.

Populo stante, sequens vel alia antiphona apta canitur vel dicitur

Benedictus Rex qui venit in nomine Domini:
Pax in caelo et gloria in excelsis.

Celebrans Oremus.

Clementer adiuva nos, Domine Deus salutis nostrae, ut introeamus ad contemplationem illorum actuum magnorum, per quos nobis vitam et immortalitatem dedisti; per Iesum Christum Dominum nostrum. Amen.

Diaconus vel alius designatus hic recitat unam lectionem ex sequentibus

In Anno A Matt 21:1-11
In Anno B Marc 11:1-11a
In Anno C Luc 19:29-40

Deinde Celebrans benedictionem sequentem pronuntiat

Dominus vobiscum.
Populus Et cum spiritu tuo.
Celebrans Gratias agamus Domino Deo nostro.
Populus Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos te laudare, omnipotens Deus, propter actus caritatis quibus nos redemisti per Iesum Christum Filium tuum Dominum nostrum. Qui hodie ad urbem sanctam Ierusalem in triumpho introiit, et Rex regum declaratus est ab illis qui vestimenta sua et palmites straverunt in via eius. Hi palmites fiant nobis signa victoriae eius, et concedas ut nos illos ferentes in nomine eius semper eum salutemus Regem nostrum, et sequamur in via tendente ad vitam aeternam; qui tecum vivit et regnat in gloria, in unitate Spiritus Sancti, Deus, nunc et in saecula. *Amen.*

Sequens vel alia antiphona apta canatur vel dicatur

Benedictus qui venit in nomine Domini.
Hosanna in excelsis.

Processio

Diaconus Procedamus in pace.
Populus In nomine Christi. Amen.

In processione, omnes in manibus palmites ferunt, et hymni apti, psalmi, vel antiphonae canantur, exempli gratia, hymnus "Gloria, laus, et honor" et Psalmus 118:19-29 "Aperte mihi portas iustitiae" [Vulgata 117:19-29].

Loco apto, processio consistat dum sequens vel alia Collecta apta dicitur

Omnipotens Deus, cuius dilectissimus Filius in gaudium non ascendit sed primum passus est, et in gloriam ante non introiit quam primum crucifixus est: Concede propitius ut nos, ambulantes in via crucis, eam vere inveniamus viam vitae et pacis; per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

In absentia et episcopi et presbyteri, officium antecedens a diacono vel lectore laico dirigatur.

Hoc die, in officiis praeter celebrationem principalem, partes aptae antecedentis adhibeantur.

Ad Eucharistiam

Si Liturgia Palmarum statim antecedit Eucharistiam, celebratio cum Salutatione et Collecta Diei incipitur.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui humano generi ad imitandum humilitatis exemplum, Salvatorem nostrum carnem assumere, et crucem subire fecisti, concede propitius, ut et patientiae ipsius habere documenta, et resurrectionis consortia mereamur; per eundem Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Lectio ex Vetere Testamento Is 45:21-25, *vel* Is 52:13-53:12
Psalmus 22:1-21, *Deus, Deus meus*, *vel* 22:1-11 [*Vulgata 21:1-23 vel 21:1-12*]
Epistola Phil 2:5-11

Evangelium Passionis annuntiatur in modo sequenti

Passio Domini nostri Iesu Christi secundum _____

Responsiones consuetae ante Evangelium et post omittuntur.

In Anno A Matt 26:36-27:54(55-66) *vel* 27:1-54(55-66)
In Anno B Marc 14:32-15:39(40-47) *vel* 15:1-39(40-47)
In Anno C Luc 22:39-23:49(50-56) *vel* 23:1-49(50-56)

Evangelium Passionis a laicis legatur vel canatur. Quaedam personae diversis lectoribus assignentur, congregatione turbam agente.

Congregatio considat in parte prima Passionis. Ad versum qui continet adventum ad Golgotham (Matt 27:33, Marc 15:22, Luc 23:33) omnes stant.

Si Liturgia Palmarum antecessit, Symbolum Nicaenum et Confessio Peccati ad hoc officium omittantur.

Praefatio de Sancta Cruce

Feria Quinta in Cena Domini

Eucharistia incipitur in modo consueto, cum Collecta sequenti, et Psalmo et Lectionibus

Omnipotens Pater, cuius dilectus Filius, in nocte ante passionem, Sacramentum sui Corporis et Sanguinis instituit: Concede propitius ut idem grate accipiamus in memoriam eius qui in his sacrosanctis mysteriis pignus aeterne vitae nobis donat; per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Lectio ex Vetere Testamento Ex 12:1-14a
Psalmus 78:14-20, 23-25, *Et deduxit eos in nube diei* [*Vulgata 77:14-20, 23-25]*
Epistola I Cor 11:23-26(27-32)
Evangelium Io 13:1-15, *vel* Luc 22:14-30

Si observatur, decet ut ritus pedum lavationis Evangelium homiliamque sequatur.

In ritu, antiphonae sequentes canantur aut dicantur, vel aliae aptae

Dominus Iesus, postquam cenavit cum discipulis suis, lavit pedes eorum, et ait illis: Scitis quid fecerim vobis, ego Dominus et Magister? Exemplum dedi vobis, ut et vos ita faciatis.

Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis.

Mandatum novum do vobis: ut diligatis invicem.

Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis.

In hoc cognoscent omnes, quia mei estis discipuli: si dilectionem habueritis ad invicem.

Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis.

Liturgia pergitur cum Orationibus Populi.

Si optatur ministrare Sanctam Communionem Feria Sexta in Parasceve ex Sacramento reservato, Sacramentum ad hoc consecratur in hac liturgia.

Praefatio Sanctae Crucis

Feria Sexta in Parasceve

Hoc die ministri in silentio introeunt.

Deinde omnes genuflectunt ad precationem secretum, post quam Celebrans surgit et liturgiam incipit cum Collecta Diei.

Statim ante Collectam, Celebrans dicat

Benedictus Deus noster.
Populus In saecula saeculorum. Amen.

Oremus.

Omnipotens Deus, familiam tuam quaesumus benigne respice, pro qua Dominus noster Iesus Christus non dubitavit tradi manibus nocentium, et crucis subire tormentum; qui tecum vivit et regnat cum Sancto Spiritu, in saecula saeculorum. *Amen.*

Lectio ex Vetere Testamento Is 52:13-53:12, *vel* Gen 22:1-18, *vel* Sap 2:1,12-24
Psalmus 22:1-11(12-21), *Deus, Deus meus*, *vel* 40:1-14, *Expectans, expectavi*, *vel* 69:1-23, *Salvum me fac* [*Vulgata 21:1-12(13-23), vel 39:1-14, vel 68:1-22*]
Epistola Heb 10:1-25

Evangelium Passionis annuntiatur in modo sequenti

Passio Domini nostri Iesu Christi secundem Ioannem.

Responsiones consuetae ante Evangelium et post Evangelium omittuntur.

Io 18:1-19:37 *vel* 19:1-37

Evangelium Passionis a laicis legatur vel canatur. Quaedam personae diversis lectoribus assignentur, congregatione turbam agente.

Congregatio considat in parte prima Passionis. Ad versum qui continet adventum ad Golgotham (Io 19:17) omnes stant.

Sermo sequitur.

Deinde hymnus canatur.

Orationes Sollemnes

Omnibus stantibus, Diaconus vel alius asiignatus populo dicit

Carissima Plebs Dei: Pater noster caelestis Filium suum in mundum misit, non ad mundum damnandum, sed ad mundum per illum salvandum; ut omnes in illum credentes ab imperio peccati mortisque liberentur, et cum illo vitae aeternae heredes fiant.

Oramus, igitur, pro omnibus secundum eorum necessitates.

In iussis sequentibus, petitiones sub quoque capite mutentur extentione vel omissione, si conveniat, per iudicium Celebrantis. Populus ad standum vel genuflexum dirigatur.

Oremus pro Ecclesia sancta Catholica Christi per totum orbem terrarum dispersa;

Pro unitate eius in martyrio et ministerio
Pro omnibus episcopis et aliis ministris
et populo cui serviunt
Pro *N.*, Episcopo nostro, et omnibus huius dioecesis
Pro omnibus Christianis in hac civitate
Pro eis qui baptizabuntur (praesertim _____)

Ut Deus Ecclesiam suam in fide confirmet, in caritate augeat, et in pace conservet.

Diaconus, vel Sacerdos, canat vel dicat Flectamus genua.

Silentium sequitur.

Deinde Diaconus, vel Sacerdos, canat vel dicat Levate.

Omnipotens sempiterne Deus, cuius Spiritu totum corpus Ecclesiae sanctificatur et regitur: Exaudi nos pro universis ordinibus supplicantes, ut gratiae tuae munere, ab omnibus tibi gradibus fideliter serviatur; per Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Oremus pro nationibus et populis in omnibus terris, et pro magistratibus eorum;

Pro *N.*, Presidente Civitatum Foederatarum
Pro Congressu et Iudicio Supremo
Pro Membris et Legatis Nationum Consociatarum
Pro omnibus qui bono publico serviunt

Ut adiutorio Dei iustitiam et veritatem quaerant, et in pace concordiaque vivant.

Flectamus genua. *Silentium*. Levate.

Omnipotens Deus; excita, quaesumus, in omni corde veram dilectionem pacis, et eos qui consiliantur de rebus publicis orbis terrarum sapientia tua guberna; ut imperium tuum in tranquillitate augeatur, donec terra cum cognitione caritatis tuae repleatur; per Christum Dominum nostrum. *Amen*.

Oremus pro omnibus qui patiuntur et in corpore vel mente afflicti sunt;

Pro esurientibus et tecto carentibus, desolatis et oppressis
Pro infirmis, sauciis et debilibus
Pro solitariis, timidis, et animo fractis
Pro temptatis, dubitantibus, et desperantibus
Pro dolentibus et orbis
Pro captivis et incarceratis, et eis in periculo mortali

Ut Deus illis in misericordia sua succurrat et consolatur, et cognitionem caritatis suam concedat, et in nobis voluntatem ac patientiam ad necessitatibus illorum ministrandum excitet.

Flectamus genua. *Silentium*. Levate.

Clementissime Deus, consolatio omnium dolentium, virtus patientium: Clamor miserorum egentiumque ad te veniat, ut in omnibus afflictionibus misericordiam tuam praesentem cum eis inveniant; et concede nobis, quaesumus, virtutem ad illis serviendum propter eum qui pro nobis passus est, Iesum Christum Filium tuum Dominum nostrum. *Amen*.

Oremus pro omnibus qui Evangelium Christi non acceperunt;

Pro eis qui verbum salvationis non audiverunt
Pro eis qui fidem perdiderunt
Pro eis qui peccato vel negligentia durati sunt
Pro superbis et fastidiosis
Pro inimicis crucis Christi et
illis qui eius discipulos vexant
Pro eis qui alios in nomine Christi vexaverunt

Ut Deus corda eorum veritati aperiat, et eos ad fidem et obedientiam adducat.

Flectamus genua. *Silentium*. Levate.

Misericors Deus, qui omnes terrae gentes fecisti animasque diligis: Miserere eis qui te non cognoscunt sicut in Filio tuo Iesu Christo revelatus es; Evangelium tuum cum gratia et virtute praedicetur eis qui non illud audiverunt; converte corda eorum qui illi resistunt; et

reduc ad ovile tuum eos qui erraverunt; ut grex unus sit sub pastore uno, Iesu Christo Domino nostro. *Amen*.

Nos ipsos Deo nostro committamus, et oremus pro gratia vitae sanctae, ut, cum omnibus ex hoc mundo egressis et in pace Christi defunctis, et cum eis quorum fides Deo soli cognoscitur, introire in plenitudinem gaudii Domini nostri, et accipere coronam vitae in die resurrectionis, dignos habeamur.

Flectamus genua. *Silentium*. Levate.

Deus, incommutabilis virtus et lumen aeternum, respice propitius ad totius Ecclesiae sacramentum, et opus salutis humanae perpetuae dispositionis effectu tranquillius operare; totusque mundus experiatur et videat deiecta erigi, inveterata renovari et per ipsum Christum redire omnia in integrum, a quo sumpsere principium; qui vivit et regnat in saecula saeculorum. *Amen*.

Liturgia hic concludatur cum cantu hymni vel antiphonae, et Oratione Dominica, et oratione ultima in pagina 282 [Libri Precum Publicarum].

Si optetur, crux lignea in ecclesiam lata in conspectu populi ponatur.

Devotiones aptae sequantur, quae includant aliquas vel omnes sequentium, vel aliae antiphonae aptae. Si verba recitantur potius quam canuntur, congregatio recitat partes in italicis.

Antiphona 1

Crucem tuam adoramus, Domine,
et sanctam resurrectionem tuam laudamus et glorificamus;
ecce enim propter lignum
venit gaudium in universo mundo.

Deus misereatur nostri, et benedicat nobis,
illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri.

Ut cognoscamus in terra viam tuam,
in omnibus gentibus salutare tuum.

Confiteantur tibi populi, Deus;
confiteantur tibi populi omnes.

Crucem tuam adoramus, Domine,
et sanctam resurrectionem tuam laudamus et glorificamus;
ecce enim propter lignum
venit gaudium in universo mundo.

Antiphona 2

Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi;
quia per sanctam Crucem tuam redemisti mundi.

Si conmortui sumus et convivemus;
si sustinemus et conregnabimus.

Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi;
quia per sanctam Crucem tuam redemisti mundi.

Antiphona 3

Salvator mundi, salva nos,
qui per crucem et pretiosum sanguinem redemisti nos:
Adiuva nos, te rogamus, Domine.

Deinde hymnus, Pange, lingua*, vel alius canitur ad gloriam crucis extollendam.*

Liturgia hic concludatur cum Oratione Dominica et oratione ultima ad infra.

In absentia et episcopi et presbyteri, omnia antecedentia dirigantur a diacono vel laico.

In locis ubi Sancta Communio ministratur ex Sacramento reservato, ordo sequens observatur.

Confessio Peccati
Oratio Dominica
Communio

Liturgia concluditur cum oratione sequenti. Nulla benedictio vel dismissio additur.

Domine Iesu Christe, Fili Dei vivi, pone, quaesumus, passionem, crucem, et mortem tuam inter iudicium tuum et animas nostras, nunc et in hora mortis nostrae. Largiri digneris misericordiam et gratiam vivis; veniam requiemque defunctis; Ecclesiae tuae sanctae pacem concordiamque; et nobis peccatoribus vitam ac gloriam sempiternam; qui vivis et regnas, cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Sabbato Sancto

Hoc die nulla est celebratio Eucharistiae.

Si Liturgia Verbi est, Celebrans incipit cum Collecta Diei

Deus, Creator caeli et terrae: Concede ut sicut corpus crucifixum dilectissimi Filii tui in sepulchrum positus est, ita cum eo adventum tertiae diei exspectemus, et ad novitatem vitae resurgamus; per eundem Dominum nostrum Jesum Christum, qui tecum vivit et regnat, in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Lectio ex Vetere Testamento Iob 14:1-4
Psalmus 130, *De profundis*, *vel* 31:1-5, *In te, Domine, speravi* [*Vulgata 129, vel 30:1-6*]
Epistola I Pet 4:1-8
Evangelium Matt. 27:57-66, *vel* Io. 19:38-42

Post Evangelium (et homiliam), pro Orationibus Populi, Antiphona "Media vita" (p. 492 Libri Precum Publicarum) canitur vel dicitur.

Officium concluditur cum Oratione Dominica et Gratia.

De Vigilia

Vigilia Magna, si observatur, Diei Paschae liturgia prima est, et tempore opportuno inter solis occasum Sabbati Sancti et solis ortum Paschae celebratur.

Liturgia consuete quattuor partibus constituitur, scilicet:

1. Officium Lucis.
2. Officium Lectionum.
3. Initiatio Christiana, vel Renovatio Promissionum Baptismalium.
4. Sancta Eucharistia cum Communione Paschali ministranda.

Omnes ministri ordinati praesentes, cum lectoribus laicis, cantoribus, et aliis, consuetos liturgicos participes agunt.

Episcopus, si praesens, celebrans principalis est, et ad Baptisma praesidet et Confirmationem ministrat, et plerumque sermonem praedicat.

Presbyteri praesentes recitationem Collectarum post Lectiones sortiuntur, et ad Baptisma Eucharistiamque adiuvant. In absentia episcopi, presbyter ad litugiam praesidet.

Diaconus iure Cereum Paschalem in eius locum fert, et Praeconium Paschale cantat. Similiter Diaconi ad Baptisma Eucharistiamque ex ordine suo audiuvant.

Laici recitant Lectiones Epistolamque, et in aliis modis adiuvant. Licet laicum ad Praeconium Paschale cantandum designare. Decet ut quisque Lectio a diverso lectore recitetur.

In absentia episcopi presbyterique, licet ut diaconus vel laicus in duabus partibus officii primis praesideat, in Renovatione Promissionum Baptismalium, et Ministerio Verbi Eucharistiae ad Vigiliam quod cum Orationibus Populi, Oratione Dominica, et Dimissione concluditur.

Licet quoque ut diaconus, si nullus sacerdos in promptu, ab episcopo mandatus, ad Baptisma publicum officiet; et Communionem Paschalem ex Sacramento antehac consecrato ministret.

Si Vigilia non celebratur, Officium Lucis tempore opportuno ante Liturgiam Diei Paschae persolvatur.

Vigilia Paschalis

Praeparatio Cerei Paschalis

In tenebris ignis accenditur; post quod Celebrans populum congregatum alloquitur his vel similibus verbis.

Fratres carissimi, hac sacratissima nocte, in quia Dominus noster Iesus Christus de morte transivit ad vitam, Ecclesia invitat filios dispersos per orbem terrarum, ut ad vigilandum et orandum conveniant. Si ita memoriam egerimus Paschatis Domini, audientes verbum et celebrantes mysteria eius, spem habebimus participandi triumphum eius de morte et vivendi cum ipso in Deo.

Celebrans orationem sequentem dicat

Oremus.

Deus, qui per Filium tuum claritatis tuae ignem fidelibus contulisti, novum hunc ignem sanctifica, et concede nobis, ita per haec festa paschalia caelestibus desideriis inflammari, ut ad perpetuae claritatis puris mentibus valeamus festa pertingere; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

De novo igne accenditur cereus paschalis. Deinde Diaconus (vel, ipso deficiente, Celebrans), cereum ferens, processionem ad cancellum praecedit, ter intermittens et canens vel dicens

Lumen Christi.
Populus Deo gratias.

Nunc omnes in congregatione candelas suas (si tales distributae sunt) accendunt de igne cerei paschalis. Aliae candelae et lucernae in ecclesia, eas super Altare exceptas, etiam accendantur.

Cereus paschalis ponitur super candelabrum paratum.

Diaconus, vel, eo deficiente, alius designatus, ad cereum annuntiat praeconium paschale (licet partes indicatas omittere).

Exsultet iam angelica turba caelorum:
exsultent divina mysteria:
et pro tanti Regis victoria tuba insonet salutaris.

Gaudeat et tellus tantis irradiata fulgoribus:
et, aeterni Regis splendore illustrata,
totius orbis se sentiat amisisse caliginem.

Laetetur et mater Ecclesia.
tanti luminis adornata fulgoribus:
et magnis populorum vocibus haec aula resultet.

Quapropter astantes vos, fratres carissimi,
ad tam miram huius sancti luminis claritatem,
una mecum, quaeso,
Dei omnipotentis misericordiam invocate,
ut, luminis sui claritatem infundens,
cerei huius laudem implere perficiat;
per Iesum Christum, Filium eius, Dominum nostrum,
qui vivit et regnat, cum eo in unitate Spiritus Sancti, Deus,
per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Dominus vobiscum.
Responsio Et cum spiritu tuo.
Diaconus Gratias agamus Domino Deo nostro.
Responsio Dignum et iustum est.

Diaconus

Vere dignum et iustum est,
invisibilem Deum Patrem omnipotentem
Filiumque eius unigenitum,
Dominum nostrum Iesum Christum,
toto cordis ac mentis affectu et vocis ministerio personare.
Qui pro nobis aeterno Patri Adae debitum solvit,
et veteris piaculi cautionem pio cruore detersit.

Haec sunt enim festa paschalia,
in quibus verus ille Agnus occiditur,
cuius sanguine postes fidelium consecrantur.

Haec nox est,
in qua primum patres nostros, filios Israel
eductos de Aegypto,
Mare Rubrum sicco vestigo transire fecisti.

Haec nox est,
quae hodie per universum mundum in Christi credentes,
a vitiis saeculi et caligine peccatorum segregatos,
reddit gratiae, sociat sanctitati.

Haec nox est,
in qua, destructis vinculis mortis,
Christus ab inferis victor ascendit.

O mira circa nos tuae pietatis dignatio!
O inaestimabilis dilectio caritatis:
ut servum redimeres, Filium tradidisti!

Huius ergo sanctificatio noctis fugat scelera, culpas lavat:
et reddit innocentium lapsis et maestis laetitiam.
Fugat odia, concordiam parat et curvat imperia.

O vere beata nox,
in qua terrenis caelestia,
humanis divina iunguntur!

In huius igitur noctis gratia,
suscipe, sancte Pater, laudis huius sacrificium vespertinum,
quod tibi in hac cerei oblatione sollemni,
per ministrorum manus
de operibus apum, sacrosancta reddit Ecclesia.
Oramus ergo te, Domine,
ut cereus iste in honorem tui nominis consecratus,
ad noctis huius caliginem destruendam,
indeficiens perseveret.
Et in odorem suavitatis acceptus,
supernis luminaribus misceatur.
Flammas eius lucifer matutinus inveniat:
Ille, inquam, lucifer, qui nescit occasum:
Christus Filius tuus,
qui, regressus ab inferis, humano generi serenus illuxit,
et vivit et regnat in saecula saeculorum. *Amen.*

Cereus paschalis consuete accenditur in omnibus officiis a Diei Paschae usque ad Diem Pentecostes.

Liturgia Verbi

Antequam incipiantur lectiones, Celebrans populum admonet, his vel similibus verbis.

Vigiliam sollemniter ingressi, fratres carissimi, quieto corde nunc verbum Dei audiamus. Meditemur, quomodo Deus populum suum elapsis temporibus salvum fecerit, et novissime nobis Filium suum miserit Redemptorem. Oremus, ut Deus noster hoc paschale salvationis opus ad plenam redemptionem perficiat.

De Creatione
Gen 1:1 – 2:2

Psalmus 33:1-11, *Exultati, iusti*, *vel* Psalmus 36:5-10, *Domine in caelo*
[*Vulgata 32:1-11, vel 35:6-11*]

Oremus.

Deus, qui humanae substantiae dignitatem mirabiliter condidisti, et mirabilius reformasti: Da nobis eius divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostrae fieri dignatus est particeps, Iesus Christus, Filius tuus, Dominus noster. *Amen.*

De Diluvie
Gen 7:1-5, 11-18; 8:6-18; 9:8-13

Psalmus 46, *Deus noster refugium* [*Vulgata 45*]

Oremus.

Omnipotens Deus, qui in caelis signum foederis tui cum omni anima vivente posuisti: Concede nobis qui per aquam et Spiritum liberati sumus, ut sacrificium laudis tibi digne offeramus; per Christum Dominum nostrum. *Amen*.

De sacrificio Abrahae
Gen 22:1-18

Psalmus 33:12-22, *Beata gens*, *vel* Psalmus 16, *Conserva me, Domine* [*Vulgata 32: 12-22, vel 15*]

Oremus.

Deus, Pater summe fidelium, qui promissionis tuae filios diffusa adoptionis gratia in toto terrarum orbe multiplicas, et per paschale sacramentum Abraham puerum tuum universarum, sicut iurasti, gentium efficis patrem, da populis tuis digne ad gratiam tuae vocationis intrare; per Christum Dominum nostrum. *Amen*.

De transitu Maris Rubri
Ex 14:10-15:1

Canticum 8, *Cantemus Domino*

Oremus.

Deus, qui primis temporibus impleta miracula novi testamenti luce reserasti, ut et Mare Rubrum forma sacri fontis exsisteret, et plebs a servitute liberata Christiani populi

sacramenta praeferret, da, ut omnes gentes, Israelis privilegium merito fidei consecutae, Spiritus tui participatione regenerentur; per Christum Dominum nostrum. *Amen*.

De Praesentia Dei in Israel renovato
Is 4:2-6

Psalmus 122, *Laetatus sum* [*Vulgata 121*]

Oremus.

Deus, qui plebem tuam antiquam, columna nubis per diem et columna ignis per noctem, deduxisti: Concede nobis qui tibi servimus in terra, ut ad laetationem Ierusalem caelestis, ubi omnis lacrima abstergetur et sancti tui laudem tuam semper canunt, adducamur; per Christum Dominum nostrum. *Amen*.

De Salvatione omnibus libere oblata
Is 55:1-11

Canticum 9, *Ecce, Deus*, *vel* Psalmus 42:1-7, *Quemadmodum* [*Vulgata 41:1-6*]

Oremus.

Deus, qui omnia virtute Verbi tui creasti, et terram Spiritu tuo renasti: Concede nunc eis qui te sitiunt aquam vitae, ut in regno tuo glorioso fructum multum ferant; per Christum Dominum nostrum. *Amen*.

De corde novo et spiritu novo
Ez 36:16-28

Psalmus 42:1-7, *Quemadmodum* [*Vulgata 41:1-6*], *vel* Canticum 9, *Ecce, Deus*

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui Paschale sacramentum in reconciliationis humanae foedere contulisti: da mentibus nostris; ut, quod professione celebramus, imitemur effectu; per Dominum nostrum Iesum Christum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

De valle ossium siccorum
Ez 37:1-14

Psalmus 30, *Exaltabo te, Domine*, *vel* Psalmus 143, *Domine, exaudi* [*Vulgata 29, vel 142*]

Oremus.

Omnipotens Deus, qui per Pascham Filii tui nos ex peccato in iustitiam et ex morte in vitam tulisti: Concede omnibus Spiritu Sancto consignatis voluntatem et virtutem ad te toti mundo declarandum; per Christum Dominum nostrum. *Amen*.

De congregatione plebis Dei
Zeph 3:12-20

Psalmus 98, *Cantate Domino*, *vel* Psalmus 126, *In convertendo* [*Vulgata 97, vel 125*]

Oremus.

Deus, incommutabilis virtus et lumen aeternum, respice propitius ad totius Ecclesiae sacramentum, et opus salutis humanae perpetuae dispositionis effectu tranquillius operare; totusque mundus experiatur et videat deiecta erigi, inveterata renovari et per ipsum Christum redire omnia in integrum, a quo sumpsere principium; qui vivit et regnat in saecula saeculorum. *Amen*.

Homilia praedicetur post quamlibet Lectionem supra.

Sanctum Baptisma (a Praesentatione Candidatorum in pagina 301 [Libri Precum Publicarum] usque ad receptionem nuper baptizatorum) nunc vel post Evangelium ministretur, et Confirmatio.

In absentia Candidatorum pro Baptismate vel Confirmatione, populus a Celebrante ductus promissionem fidei baptismalis renovant.

Omnibus stantibus, Celebrans his vel similibus verbis fideles alloquatur.

Per Paschale mysterium, fratres carissimi, in Baptismo consepulti sumus cum Christo, ut cum eo in novitate vitae ambulemus. Quapropter, Quadragesimali observatione absoluta, Sancti Baptismatis promissiones renovemus, quibus olim Satanae et operibus eius abrenuntiavimus, et Deo in sancta Ecclesia Catholica servire promisimus.

Renovatio Promissionum Baptismalium

Celebrans Abrenuntiatis peccato, ut in libertate filiorum Dei vivatis?
Omnes Abrenuntio.

Celebrans Renovatis Iesu Christo votum?
Omnes Renovo.

Celebrans Creditis in Deum Patrem?
Omnes Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem caeli et terrae.

Celebrans Creditis in Iesum Christum, Filium Dei?
Omnes Credo in Iesum Christum Filium eius unicum Dominum nostrum;
Qui conceptus est de Spiritu Sancto,
natus ex Maria Virgine,
passus sub Pontio Pilato,
crucifixus, mortuus, et sepultus.
Descendit ad inferos.
Tertia die resurrexit a mortuis.
Ascendit ad caelos,
sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.
Inde venturus est iudicare vivos et mortuos.

Celebrans Creditis in Deum Spiritum Sanctum?
Omnes Credo in Spiritum Sanctum,
sanctam Ecclesiam catholicam,
sanctorum communionem,
remissionem peccatorem,
carnis resurrectionem,
et vitam aeternam. Amen.

Celebrans Vultis perseverare in doctrina apostolorum et communione, in fractione panis, et in orationibus?
Omnes Volo, Deo adiuvante.

Celebrans Vultis perseverare in repugnante malo, et, quotiescunque in peccato caderitis, paenitentiam agetis, et Domino redietis?
Omnes Volo, Deo adiuvante.

Celebrans Vultis annuntiare, verbo et opere, Evangelium Dei in Christo?
Omnes Volo, Deo adiuvante.

Celebrans Vultis quaerere Christum in omnibus hominibus, proximum tuum sicut vosipsos diligentes?
Omnes Volo, Deo adiuvante.

Celebrans Vultis sequi iustitiam et pacem inter omnes gentes, et verebimini dignitatem cuiusque hominis?
Omnes Volo, Deo adiuvante.

Celebrans sic concludit

Et Deus omnipotens, Pater Domini nostri Iesu Christi, qui nos regeneravit ex aqua et Spiritu Sancto, quique nobis dedit remissionem peccatorem, ipse nos custodiat gratia sua, in Christo Iesu Domino nostro, in vitam aeternam. Amen.

Liturgia Eucharistica

Candelae ad Altare nunc accendantur de igne cerei paschalis.

Deinde unum ex canticis sequentibus canitur. Statim ante canticum Celebrans populo dicat

Alleluia. Christus surrexit.
Populus Surrexit Dominus vere. Alleluia.

Cantica

Gloria in excelsis
Te Deum laudamus
Pascha nostrum

Deinde Celebrans populo dicit

Dominus vobiscum.
Populus Et cum spiritu tuo.
Celebrans Oremus.

Celebrans dicit unam ex Collectis sequentibus.

Deus, qui pro nostra redemptione unigenitum Filium tuum crucis patibulum subire voluisti, et per gloriosam eius resurrectionem nos a potentia inimici liberasti: Praesta ut quotidie sic peccato moriamur, ut possimus in aeternum cum eo vivere, et perfrui gloria resurrectionis ipsius; per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filum tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

vel

Deus, qui hanc sacratissimam noctem gloria Dominicae Resurrectionis illustras: Excita in Ecclesia tua adoptionis spiritum, quem in Baptismate nobis dedisti; ut corpore et mente renovati, puram tibi exhibeant servitutem; per Dominum nostrum Iesum Christum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Epistola Rom. 6: 3-11

"Alleluia" canatur et iteretur.

Psalmus 114, In exitu Israel [Vulgata 113], canatur, vel alius psalmus aptus, vel hymnus.

Evangelium Matt. 28: 1-10

Si sermo non antehac praedicatus est, nec homilia, hic sequitur.

Symbolum Nicaenum non dicitur in hac liturgia.

Sanctum Baptisma, Confirmatio, vel Renovatio Promissionum Baptismalium hic faciatur.

Celebratio pergitur cum Orationibus Populi.

Praefatio de Pascha

Sanctum Baptisma

De Officio

Sanctum Baptisma initiatio plena est per aquam et Spiritum Sanctum in Corpus Domini Ecclesiam. Vinculum a Deo institutum in Baptismate indissolubile est.

Decet Sanctum Baptisma in Eucharistia ministrare ut liturgiam principalem in Dominica vel alio festo.

Episcopus, si adest, celebrans est; et oportet eum Verbum praedicare et in Baptismate Eucharistiaque praesidere. Ad Baptisma, episcopus in Praesentatione et Examinatione Candidatorum officiat; Gratiarum Actionem super Aquam recitat; [Chrisma consecrat;] orationem, "Pater caelestis, tibi gratias agimus quoniam ex aqua et Spiritu Sancto," recitat; et in sequentibus officiat.

In absentia episcopi, presbyter celebrans est et ad liturgiam praesidet. Si presbyter Chrismate nuper baptizatum consignat, necesse est ut Chrisma ab episcopo antehac consecratum sit.

Debet quisque candidatus ad Sanctum Baptisma saltem duos sponsores baptizatos habere.

Sponsores adultorum et liberorum natu maiorum candidatos proprios praebent quos ipso facto approbant, et propositum annuntiant ut oratione exemploque eos in vita Christiana sustineant. Sponsores infantium, vulgo nominati patrini et matrinae, candidatos proprios praebent; pro se promissiones et pro candidatis propriis vota faciunt.

Decet ut parentes in patrinis matrinisque prolium suorum includantur. Oportet ut parentes et patrini et matrini de significatione Baptismatis doceantur, de muneribus suis ad novos Christianos adiuvandum ut in cognitione Dei caritateque crescant, et de officiis illorum qui Ecclesiae membra sunt.

Praecepta Adiuncta in pagina 312 [Libri Precum Publicarum] dantur.

Sanctum Baptisma

Hymnus, psalmus, vel antiphona canatur.

Populo stante, Celebrans dicat

Benedictus Deus: Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus.
Populus Et benedictum regnum eius, nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

Pro verbis supra, a Pascha usque ad Dominicam Pentecostes

Celebrans Alleluia. Christus surrexit.
Populus Surrexit Dominus vere. Alleluia.

In Quadragesima, et aliis occasionibus paenitentialibus

Celebrans Benedictus Dominus qui dimittit omnia peccata nostra.
Populus In saeculum misericordia eius.

Deinde Celebrans pergit

Unum Corpus et unus Spiritus est;
Populus Et una spes vocationis nostrae;
Celebrans Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma;
Populus Unus Deus et Pater omnium.

Celebrans populo dicit

Dominus vobiscum.
Populus Et cum spiritu tuo.
Celebrans Oremus.

Collecta Diei

Populus Amen.

Lectiones

Populus considit. Una lectio recitetur vel duae, sicut assignatur, Lectore incipiente

Lectio (de libro N. *vel* de epistola ad N.)

Post quamque lectionem, Lector dicat

Verbum Domini.
Populus Deo Gratias.

aut Lector dicat Hic finitur Lectio (Epistola)

Silentium sequatur.

Psalmus, hymnus, vel antiphona sequatur quamque lectionem.

Deinde, omnibus stantibus, Diaconus vel Sacerdos legit Evangelium, sic incipiens

Lectio Sancti Evangelii Domini nostri Iesu Christi
secundum (Mattheum *vel* Marcum *vel* Lucam *vel* Iohannem).
Populus Gloria tibi, Domine.

Evangelio finito, lector dicit

Evangelium Domini.
Populus Laus tibi, Christe.

Sermo

Vel sermo post "Pax Domini" offerendum praedicetur.

Praesentatio et Examinatio Candidatorum

Celebrans dicit

Candidati pro Sancto Baptismate nunc praebebuntur.
[*vel* Candidatus (*vel* Candidata) pro Sancto Baptismate nunc praebebitur.]

Pro Adultis et Liberis natu Maioribus

Candidati qui pro seipsis respondere possunt a Sponsoribus suis singulatim sic praebentur

Sponsor Praebeo *N.* ad accipiendum Sacramentum Baptismatis.

Celebrans quemque candidatum rogat

Baptizari vis?
Candidatus Volo.

Pro Infantibus et Parvulis

Deinde candidati qui non pro seipisis respondere possunt a Parentibus et Patrinis Matrinisque suis singulatim sic praebentur

Parentes et Patrini et Matrinae

Praebeo *N.* ad accipiendum Sacramentum Baptismatis.

Omnibus praebitis, Celebrans parentes, patrinos matrinasque rogat

Efficere vultis ut hic parvulus, quem nunc praebetis, in fide Christiana vitaque educetur?

Parentes et Patrini et Matrinae

Volo, Deo adiuvante.

Celebrans

Adiuvare vultis hunc parvulum orationibus tuis testimonioque ut in mensuram aetatis plenitudinis Christi crescat?

Parentes et Patrini et Matrinae

Volo, Deo adiuvante.

Deinde Celebrans sic interrogat candidatos qui pro seipsis respondere possunt, et parentes, patrinos, matrinasque qui pro infantibus et parvulis respondent

Quaestio Abrenuntiatis Satanae, et cunctis spiritibus iniquitatis contra Deum rebellantibus?
Responsio Abrenuntio.

Quaestio Abrenuntiatis potestatibus pravis huius mundi, quae creaturas Dei depravant et destruunt?
Responsio Abrenuntio.

Quaestio Abrenuntiatis seductionibus iniquitatis, te perducentibus a caritate Dei?
Responsio Abrenuntio.

Quaestio Convertitis ad Iesum Christum et eum accipitis Salvatorem tuum?
Responsio Converto.

Quaestio Confiditis ex animo gratiae eius et caritati?
Responsio Confido.

Quaestio Promittitis ei obedire Domino vestro?
Responsio Promitto.

Si alii praebendi sunt, Episcopus dicit

Candidati alii nunc praebebuntur
[*vel* Candidatus alius (*vel* Candidata alia) nunc praebebitur.]

Praebentes *Hos* praebeo pro Confirmatione.

vel *Hos* praebeo accipiendos in hanc Communionem.

vel *Hos* praebeo qui volunt reaffirmare suos promissiones baptismales.

Episcopus candidatos rogat

Reaffirmatis renunciationem mali?

Candidatus Reaffirmo.

Episcopus

Renovatis Iesu Christo votum?

Candidatus

Renovo, et gratia Dei eum sequar Salvatorem meum Dominumque.

Omnibus praebitis, Celebrans congregationem alloquitur, dicens

Qui has promissiones intuemini, vultis facere omnia secundum potentiam vestram ad adiuvandum hos homines in vita eorum in Christo?

Populus Volumus.

Deinde Celebrans dicit, his vel similibus verbis,

Nos iungamus cum eis Christo se commitentibus, testamento baptismali nostro renovando.

Testamentum Baptismale

Celebrans Creditis in Deum Patrem?
Omnes Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem caeli et terrae.

Celebrans Creditis in Iesum Christum, Filium Dei?
Omnes Credo in Iesum Christum Filium eius unicum Dominum nostrum;
Qui conceptus est de Spiritu Sancto,
natus ex Maria Virgine,
passus sub Pontio Pilato,
crucifixus, mortuus, et sepultus.

Descendit ad inferos.
Tertia die resurrexit a mortuis.
Ascendit ad caelos,
sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.
Inde venturus est iudicare vivos et mortuos.

Celebrans Creditis in Deum Spiritum Sanctum?
Omnes Credo in Spiritum Sanctum,
sanctam Ecclesiam catholicam,
sanctorum communionem,
remissionem peccatorem,
carnis resurrectionem,
et vitam aeternam. Amen.

Celebrans Vultis perseverare in doctrina apostolorum et communione, in fractione panis, et in orationibus?
Omnes Volo, Deo adiuvante.

Celebrans Vultis perseverare in repugnante malo, et, quotiescunque in peccato caderitis, paenitentiam agetis, et Domino redietis?
Omnes Volo, Deo adiuvante.

Celebrans Vultis annuntiare, verbo et opere, Evangelium Dei in Christo?
Omnes Volo, Deo adiuvante.

Celebrans Vultis quaerere Christum in omnibus hominibus, proximum tuum sicut vosipsos diligentes?
Omnes Volo, Deo adiuvante.

Celebrans Vultis sequi iustitiam et pacem inter omnes gentes, et verebimini dignitatem cuiusque hominis?
Omnes Volo, Deo adiuvante.

Orationes pro Candidatis

Deinde Celebrans congregationi dicit

Oremus pro his accepturis Sacramentum regenerationis.

Homo designatus dirigit petitiones sequentes

Ductor Libera *eos*, Domine, a via peccati ac mortis.
Populus Domine, exaudi orationem nostram.

Ductor Aperi *corda eorum* gratiae tuae et veritati.

Populus Domine, exaudi orationem nostram.

Ductor Imple *eos* Spiritu sancto tuo et vivificanti.
Populus Domine, exaudi orationem nostram.

Ductor Custodi *eos* in fide et communione Ecclesiae tuae sanctae.
Populus Domine, exaudi orationem nostram.

Ductor Doce *eos* diligere alios in virtute Spiritus.
Populus Domine, exaudi orationem nostram.

Ductor Mitte *eos* in mundum ad testificandam caritatem tuam.
Populus Domine, exaudi orationem nostram.

Ductor Induc *eos* in plenitudinem pacis tuae et gloriae.
Populus Domine, exaudi orationem nostram.

Celebrans dicit

Concede, Domine, ut omnes, in mortem Iesu Christi Filii tui baptizati, in virtute resurrectionis vivant, et adventum eius gloriosum exspectent; qui vivit et regnat nunc et in saecula saeculorum. *Amen.*

Gratiarum Actio super Aquam

Celebrans benedicit aquam, primo dicens

Dominus vobiscum.
Populus Et cum spiritu tuo.

Celebrans Gratias agamus Domino Deo nostro.
Populus Dignum et iustum est.

Celebrans dicit

Gratias agimus tibi, omnipotens Deus, pro dono aquae; super quam Spiritus Sanctus inter ipsa mundi primordia ferebatur; per quam filios Israel sicco vestigio transire fecisti, a servitute in Aegypto ad terram promissam eductos; in qua Iesus Filius tuus, a Ioanne baptizatus, Sancto Spiritu est inunctus Christus, ut, per mortem suam et resurrectionem, e captivitate peccati in vitam aeternam nos induceret.

Gratias agimus tibi, Pater, pro aqua baptismatis; in qua cum Christo consepulti sumus in mortem; per quam participes sumus resurrectionis eius; per quam Spiritu Sancto renascimur.

Et ideo, in laeta obedientia Filio tuo, in consociationem eius illos qui ad eum adveniunt in fide inducimus, eosdem baptizantes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.

Ad verba sequentia, Celebrans aquam tangit

Nunc sanctifica, quaesumus, virtute Spiritus Sancti tui hanc aquam, ut illi, hic a peccato abluti et renati, semper maneant in vita resurrectionis Iesu Christi Salvatoris nostri;

Cui cum Spiritu Sancto, et tibi, sit omnis honor et gloria per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Consecratio Chrismatis

Deinde Episcopus Chrisma consecret, in vasum olei manum imponens, et dicens

Aeterne Pater, cuius beatus Filius Spiritu Sancto ungebatur Salvator ministerque omnium, hoc oleum consecra, quaesumus, ut qui per illum consignati participes sint sacerdotii regalis Iesu Christi; qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Baptisma

Quisque candidatus nomine introducitur Celebranti, vel sacerdoti adiuvanti vel diacono, qui deinde candidatum in aquam baptismalem immerget, vel aquam super candidatum fundet, dicens

N., ego te baptizo in Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. *Amen.*

Actione expleta pro omnibus candidatis, Episcopus vel Presbyter, coram congregatione, super eos orat, dicens

Oremus.

Pater caelestis, tibi gratias agimus quoniam ex aqua et Spiritu Sancto his famulis tuis remissionem peccatorum concessisti, et eos sublevasti ad vitam gratiae novam. Spiritu Sancto tuo, Domine, eos custodi. Cor sapiens et intelligens, fortitudinem consiliandi perseverandique, mentem ad te cognoscendum diligendumque, et donum laetandi omniaque opera tua admirandi eis praebe.

Deinde Episcopus vel Presbyter capiti cuiusque manum imponit, frontem signo crucis [Chrismate, si velit] consignans, cuique dicens

N., Spiritu Sancto in Baptismate consignatus, et signo Christi notatus es in saecula. *Amen.*

Haec actio faciatur statim post ministrationem aquae, ante orationem antecedentem.

Omnibus baptizatis, Celebrans dicit

Salutemus novissime baptizatos.

Celebrans et Populus dicunt

In familiam Dei vos accipimus. Confitemini fidem Christi crucifixi, annuntiate resurrectionem eius, et participes este cum nobis in sacerdotio eius aeterno.

Si non sequitur Confirmatio, Acceptatio, neque Reaffirmatio Promissionum Baptismalium, hic sequitur Pax Domini.

Celebrans Pax Domini sit semper vobiscum.
Populus Et cum spiritu tuo.

Ad Confirmationem, Acceptationem, vel Reaffirmationem

Episcopus congregationi dicit

Oremus pro *his* qui *renovaverunt* votum Christo.

Silentium sequatur.

Deinde Episcopus dicit

Omnipotens Deus, tibi gratias agimus quod per mortem resurrectionemque Filii tui Iesu Christi peccatum vicisti et ad te ipsum nos adduxisti, atque per Spiritum Sanctum signando ad ministerium tuum nos obligasti. Renova in *his famulis tuis* testamentum quod cum *eis* fecisti in Baptismate *eorum*. *Eos* mitte in virtute eiusdem Spiritus ad faciendum ministerium quod pro *eis* exposuisti; per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, nunc et in saecula. *Amen.*

Ad Confirmationem

Confirma, Domine, *N.* servum tuum (*vel* ancillam tuam) Spiritu Sancto tuo; ei da potestatem ad ministerium tuum; et eum sustine omnibus diebus vitae. *Amen.*

vel

Protege, Domine, *N.* servum hunc (*vel* ancillam hanc) tua caelesti gratia, ut perseveret tuus in omnem aetatem, et in dies singulos multiplica in eo Spiritum Sanctum tuum magis magisque, donec pervenerit ad tuum regnum sempiternum. *Amen.*

Ad Acceptationem

N., te membrum noscimus unius sanctae catholicae et apostolicae Ecclesiae, et accipimus in societatem huius Communionis. Te benedicat, conservet, et custodiat Deus, Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus. *Amen.*

Ad Reaffirmationem

N., Spiritus Sanctus qui opus bonum in te incepit, te dirige sustineatque in ministerio Christi et regni eius. *Amen.*

Deinde Episcopus dicit

Omnipotens et immortalis Deus, sit tua paterna manus semper super eos; sit Spiritus Sanctus tuus semper cum eis; et sic ducas eos in cognitionem et obsequium Verbi tui, ut in hac vita tibi serviant, et in vita venturi saeculi tecum inhabitent; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Deinde Pax Domini offertur

Episcopus Pax Domini sit semper vobiscum.
Populus Et cum spiritu tuo.

Ad Eucharistiam

Officium pergitur cum Orationibus Populi vel Offertorio Eucharistiae, in qua oportet ut Episcopus, si praesens, Celebrans principalis sit.

Nisi in Festis Principalibus, Praefatio de Baptismo adhibeatur.

Conclusio Altera

Si nulla est celebratio Eucharistiae, officium pergitur cum Oratione Dominica.

Pater noster, qui es in caelis,
  sanctificetur nomen tuum,
  adveniat regnum tuum,
  fiat voluntas tua,
    sicut in caelo et in terra.
Panem nostrum quotidianum da nobis hodie,
Et dimitte nobis debita nostra,
  sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.
Et ne nos inducas in tentationem,
  sed libera nos a malo.
Quia tuum est regnum, et potestas, et gloria
  in saecula. Amen.

Deinde Celebrans dicit

Omnes laudes gratiasque tibi, misericordissime Pater, quia nos accepisti in proprios filios per adoptionem, et nos in tuam sanctam Ecclesiam inseruisti, et nos dignos habuisti ut participes

hereditatis sanctorum in lumine fiamus; per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen*.

Stipes accipiantur et praebeantur, et aliae orationes offerantur. Officium cum hac oratione concluditur

Omnipotens Deus, Pater Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in caelis et in terra nominatur, det vobis virtute corroborari per eius Spiritum Sanctum, habitare Christum per fidem in cordibus vestris, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei. *Amen*.

Praecepta Adiuncta

Decet ut Sanctum Baptisma celebretur praecipue in Vigilia Paschali, Die Pentecostes, Die Omnium Sanctorum vel Dominica post diem Omnium Sanctorum, et Festo Baptismatis Domini nostri (Dominica Prima post Epiphaniam). Admonetur ut, si potest, Baptismata serventur in his occasionibus, vel cum episcopus adsit.

Si quodam die supra dicto ministerium habere potest nec episcopi nec presbyteri, licet ut episcopus diacono potestatem praesidendi faciat. In tali casu, diaconus orationem super candidatos in pagina 308 [Libri Precum Publicarum] et formulam actionemque sequentes omittit.

Licet partes omissae ministrare occasione Baptismatis Publici subsequenti qua episcopus vel presbyter praesidet.

Si in quattuor diebus supra dictis nullus est baptizandus, Renovatio Promissionum Baptismalium, in pagina 292 [Libri Precum Publicarum], pro Symbolo Nicaeno ad Eucharistiam recitetur.

Si optatur, licet hymnum *Gloria in excelsis* statim post versiculos ad initium liturgiae canere ante salutationem "Dominus vobiscum".

Si episcopus adest, et aliis occasionibus cum ratione iusta, licet ut Collecta (in pagina 254 [Libri Precum Publicarum]) una cum Lectione de Baptismate (in pagina 928 [Libri Precum Publicarum]), vel pluribus, loco Proprio Diei substituatur.

Licet ut laici lectiones recitent, et decet sponsores. Licet quoque ut unus ex sponsoribus petitiones (in pagina 305 [Libri Precum Publicarum]) ducat.

In hac liturgia Symbolum Nicaenum non dicitur.

Si Praesentatio Candidatorum non ad fontem peragitur, ante petitiones (in pagina 305 [Libri Precum Publicarum]) vel in petitionibus ministri, candidati, sponsoresque ad fontem adeunt ad Gratiarum Actionem super Aquam offerendum.

Si iter ad fontem processio sollemnis est, psalmus aptus, e.g. Ps 42, vel hymnus vel antiphona canatur.

Si convenit, fons statim ante Gratiarum Actionem super Aquam aqua munda impletur.

Ad Gratiarum Actionem super Aquam, oportet ut Celebrans, si possit, populo trans fontem se opponat et sponsores sic ordinentur ut populus actionem clare videat.

Post Baptisma, cereus (qui ex cereo Paschali accendatur) cuique nuper baptizato, vel patrino vel matrinae, donetur.

Optetur ut omnes in frontem ecclesiae redeant ad orationem "Pater caelestis, tibi gratias agimus quoniam ex aqua et Spiritu Sancto" recitandam et caerimonias sequentes. Psalmus aptus, e.g. Ps 23, vel hymnus vel antiphona in processione canatur.

Oblationes panis vinique ad Eucharistiam baptismalem a nuper baptizatis vel patrinis matrinisque eorum praebeantur.

De Baptismate sub condicione ministrando

Si cum ratione dubitatur num quis aqua baptizatus est "In Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti" (quae Baptismati necessaria sunt), idem modo consueto baptizatur, sed haec formula recitatur.

Si non antehac baptizatus (*vel* baptizata) es, *N.*, ego te baptizo in Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. *Amen.*

De Baptismate subitario

Tempore discriminis, licet ut quicunque baptizatus Baptisma secundum formam sequentem ministret.

Praenomen baptizandi (si cognoscitur) recitans, aquam super eum fundit, dicens

Ego te baptizo in Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. *Amen.*

Deinde Oratio Dominica dicitur.

Orationes adiunctae addantur, e.g.

Pater caelestis, tibi gratias agimus quoniam ex aqua et Spiritu Sancto huic famulo tuo (*vel* famulae tuae) remissionem peccatorum concessisti, et eum (*vel* eam) sublevasti ad vitam gratiae novam. Praesentia tua, Domine, eum (*vel* eam) corrobora, brachiis misericordiae tuae circumda, et conserva in aeternum.

Quicunque Baptisma subitarium ministrat sacerdotem parochiae propriae certiorem debet facere ita ut Baptisma recte perscribatur.

Si nuper baptizatus convalescet, debet Baptisma agnoscere ad celebrationem Sacramenti publicam, episcopo praesidente vel presbytero, et ipso sub condicionibus subitariis baptizato cum sponsoribus vel patrinis omnia nisi aquae ministrationem communicante.

Sancta Eucharistia

Liturgia ad
Pronuntiandum Verbum Dei et
Celebrandum Sacram Communionem

Exhortatio

Quae adhibeatur in toto vel in parte, vel ad Liturgiam vel ad alia tempora. Absente diacono aut sacerdote, hanc Exhortationem licet a laico recitari. Populus stat aut sedet.

Dilecti in Domino: Christus Salvator noster, in nocte ante passionem, Sacramentum sui Corporis et Sanguinis instituit, signum et testimonium caritatis suae, in memoriam perpetuam sacrificii suae mortis, et in communicationem spiritualem in vita resurrecta sua. Quia in his sacrosanctis Mysteriis nos unum cum Christo facimur, et Christus cum nobis; unum corpus in eo facimur, et invicem membra.

Recordans, igitur, magnam caritatem eius pro nobis, et oboediens mandato eius, Ecclesia sine fine agit gratias Deo Omnipotenti, Patri caelesti nostro, propter creationem mundi, providentiam eius perpetuam super nos, caritatem eius pro toto humano genere, et redemptionem mundi per Christum Salvatorem nostrum, qui carnem nostram assumpsit, et se humiliavit usque ad mortem, mortem autem crucis, ut in Sancto Spiritu nos efficeret filios Dei, et heredes vitae aeternae.

Si autem recte participes simus celebrationis horum sacrosanctorum Mysteriorum, et illo spirituali cibo pascamur, necesse est ut dignitatem illius sancti Sacramenti recordemur. Vos admoneo, ergo, ut ad memoriam revocetis, quomodo Sanctus Paulus exhortetur omnes, ut quilibet se ipsum probet, et sic de Pane illo edat, et de Calice bibat.

Nam sicut magnum beneficium est, si cum corde contrito et viventi fide Sacramentum sanctum accipiamus, ita praesens periculum est, si indigne accedamus, non discernentes Corpus Domini. Quare vos ipsos iudicate, ne a Domino iudicemini. Oportet explorare vitam et mores vestros ad normam mandatorum Dei, ut intellegatis quomodo offenderitis, sive voluntate sive dicto, sive opere sive omissione, confitentes peccata vestra omnipotenti Deo cum firmo et constanti proposito reformandi, parati ad satisfaciendum in omnes iniurias et iniustitias aliis per vos illatas; nec minus parati ad condonandum omnibus in vos inique agentibus, similiter ac veniam erratorum consequi velletis ipsi a Domino. Et tunc, reconciliati inter vos, accedite ad epulum caelestis Cibi.

Et si quisquam e vobis sit, qui in praeparatione sua, auxilium et consilium requirit, tum petat consultum et eruditum sacerdotem, nudet vulnus et confiteatur peccata sua, ut consequatur beneficium absolutionis et ut possit recipere spirituale consilium, admonitionem, et solatium, ad pacificationem conscientiae, amotionem omnis scrupuli ac haesitationis, et confirmationem fidei eiusdem.

Christo Domino nostro qui nos diligit, et nos in sanguine suo lavit, et nos regnum sacerdotum ad serviendum Deo Patrique suo fecit, gloria in Ecclesia sit in saecula. Per quem sacrificium laudis semper offeramus, quod est debitum obsequium et cultus noster, et adeamus cum fiducia in eo ad thronum gratiae [et confiteamur humiliter peccata nostra Deo Omnipotenti].

Decem Praecepta

Deus haec verba ad hunc modum effatus est:
Ego sum Dominus Deus tuus qui eduxi te de terra Aegypti, de domo servitutis. Deos nullos alios habebis praeter me.
Domine, miserere nostri, et dirige corda nostra ad servandam hanc legem.

Non facies tibi sculptile, neque ullam similitudinem ullius rei quae est supra in caelo, aut infra in terra, aut in aquis sub terra: non adorabis ea nec coles.
Domine, miserere nostri, et dirige corda nostra ad servandam hanc legem.

Non assumes Nomen Domini Dei tui in vanum.
Domine, miserere nostri, et dirige corda nostra ad servandam hanc legem.

Memento ut diem Sabbati sanctifices.
Domine, miserere nostri, et dirige corda nostra ad servandam hanc legem.

Honora patrem tuum et matrem tuam.
Domine, miserere nostri, et dirige corda nostra ad servandam hanc legem.

Non occides.
Domine, miserere nostri, et dirige corda nostra ad servandam hanc legem.

Non committes adulterium.
Domine, miserere nostri, et dirige corda nostra ad servandam hanc legem.

Non furtum facies.
Domine, miserere nostri, et dirige corda nostra ad servandam hanc legem.

Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.
Domine, miserere nostri, et dirige corda nostra ad servandam hanc legem.

Non concupisces.
Domine, miserere nostri, et quaesumus has omnes leges in cordibus nostris inscribas.

Ordinis Paenitentialis: Ritus Primus

Ad initium Liturgiae, vel ad alia tempora ut officium disiunctum.

Hymnus, psalmus, vel antiphona canatur.

Populo stante, Celebrans dicat

Benedictus Deus: Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus.
Populus Et benedictum regnum eius, nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

Pro verbis supra, a Pascha usque ad Dominicam Pentecostes

Celebrans Alleluia. Christus surrexit.
Populus Surrexit Dominus vere. Alleluia.

In Quadragesima, et aliis occasionibus paenitentialibus

Celebrans Benedictus Dominus qui dimittit omnia peccata nostra.
Populus In saeculum misericordia eius.

Cum hoc adhibetur ut officium disiunctum, Exhortatio [in pagina 316 Libri Precum Publicarum] dicatur, vel homilia praedicetur.

Decalogus [in pagina 317 Libri Precum Publicarum] recitetur, cum genuflexione Populi.

Celebrans recitet unum ex sententiis sequentibus.

Audite quod Dominus noster Iesus Christus dicit:
Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. Hoc est maximum et primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. In his duobus mandatis universa lex pendet et prophetae. *Matt. 22: 37-40*

Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est; si confiteamur peccata nostra, fideles est et iustus ut remittat nobis peccata, et emundet nos ab omni iniquitate. *I Ioh. 1: 8-9*

Habentes ergo pontificem magnum, qui penetravit caelos, Iesum Filium Dei, adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio oportuno. *Heb. 4: 14, 16*

Deinde Diaconus aut Celebrans dicit

Confiteamur humiliter peccata nostra Deo Omnipotenti.

Silentium sequatur.

Minister et Populus dicunt

Clementissime Deus,
confitemur quia peccavimus in te
cogitatione, verbo, et facto,
opere et omissione.
Te non ex animo dileximus;
Neque proximos nostros sicut nos ipsos.
Vere nos paenitet et humiliter paenitentiam agimus.
Propter Filium tuum Iesum Christum,
miserere nobis et dimitte peccata nostra;
ut in voluntate tua gaudeamus,
et in viis tuis ambulemus,
ad gloriam Nominis tui. Amen.

vel

Omnipotens et clementissime Pater,
tanquam oves perditae peregrinati sumus, et a viis tuis aberravimus.
Inventis et concupiscentiis cordis nostri nimium indulsimus,
sacrosanctas leges tuas violavimus,
quae a nobis facienda fuerant omisimus,
et quae facienda non fuerant admisimus.
Quapropter, Domine, propitius esto nobis,
parce, Deus, peccata sua confitentibus,
misericordiam concede resipiscentibus,
iuxta promissiones tuas humano generi
in Christo Iesu Domino nostro benignissime revelatas:
amplius etiam concede nobis, clementissime Pater,
propter Filium tuum et Salvatorem nostrum Iesum Christum,
ut posthac pie, iuste, sobrieque vitam nostram instituamus,
ad sanctissimi tui Nominis gloriam. Amen.

Episcopus si praesens, vel Presbyter, stat et pronuntiat

Absolutionem, et remissionem omnium peccatorum vestrorum, spatium verae paenitentiae, emendationem vitae, gratiam ac consolationem Sancti Spiritus, tribuat vobis omnipotens et misericors Dominus. *Amen.*

Diaconus aut laicus, hac forma utens, supponit "nostrorum" pro "vestrorum" et "nobis" pro "vobis."

Cum hic ordo adhibetur ad initium Liturgiae, hic sequitur "Kyrie eleison", "Trisagion", vel "Gloria in excelsis."

Cum hic ordo adhibetur ut officium disiunctum, finitur cum precibus aptis, et "Gratia" aut benedictione.

De Celebratione

Episcopus, si praesens, ius habet agendi ut celebrans principalis in Mensa Domini, et praedicandi Evangelium.

In omnibus celebrationibus Liturgiae, decet ut celebrans principalis, sive episcopus sive presbyter, adiuvetur ab aliis sacerdotibus, et a diaconis et laicis.

Decet ut alii sacerdotes praesentes cum celebrante ad Altare stent, et communicent in consecratione donorum, in fractione Panis, et in administratione Communionis.

Oportet diaconum recitare Evangelium, et Orationes Populi dirigere. Et diaconos ad Mensam Domini servire oportet, in praeparando et imponendo super eam dona panis et vini, et in adiuvando ad administrationem Sacramenti populo. In absentia diaconi, haec officia a sacerdote adiuvanti faciantur.

Plerumque oportet laicos a celebrante designatos recitare lectiones ante Evangelium, et Orationes Populi dirigere.

Licet ut Ordo ad Matutinas vel Vespertinas Preces pro omnibus ante Pacem et Offertorium adhibeatur, dummodo lectio ex Evangelio semper includatur, et orationes accommodentur ad praecepta pro Orationibus Populi data.

Praecepta adiuncta in pagina 406 [Libri Precum Publicarum] dantur.

Sanctae Eucharistiae: Ritus Primus

Verbum Dei

Hymnus, psalmus, vel antiphona canatur.

Populo stante, Celebrans dicat

Benedictus Deus: Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus.
Populus Et benedictum regnum eius, nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

Pro verbis supra, a Pascha usque ad Dominicam Pentecostes

Celebrans Alleluia. Christus surrexit.
Populus Surrexit Dominus vere. Alleluia.

In Quadragesima, et aliis occasionibus paenitentialibus

Celebrans Benedictus Dominus qui dimittit omnia peccata nostra.
Populus In saeculum misericordia eius.

Celebrans dicit

Omnipotens Deus, cui omne cor patet, et omnis voluntas loquitur, et quem nullum latet secretum: Purifica per infusionem Sancti Spiritus cogitationes cordis nostri, ut te perfecte diligere, et sanctum Nomen tuum digne laudare mereamur; per Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Deinde Decem Praecepta [in pagina 317 Libri Precum Publicarum] dicantur, vel sequens

Audite quod Dominus noster Iesus Christus dicit:
Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. Hoc est maximum et primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. In his duobus mandatis universa lex pendet et prophetae.

Hic canitur aut dicitur

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.

vel

Sanctus Deus,		Agios o Theos,
Sanctus Fortis,	*vel*	Agios Ischyros,
Sanctus Immortalis,		Agios Athanatos,
Miserere nobis.		*Eleison imas.*

Si assignatus, hymnus sequens canitur aut dicitur, omnibus stantibus, praeter antecedentem aut pro antecedenti

Gloria in excelsis Deo,
  et in terra pax hominibus bonae voluntatis.

Laudamus te, benedicimus te,
  adoramus te,
  glorificamus te.
  Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam,
Domine Deus, Rex caelestis, Deus Pater Omnipotens.

Domine Fili Unigenite, Iesu Christe;
Domine Deus, Agnus Dei, Filius Patris,
  qui tollis peccata mundi,
  miserere nobis.
Qui tollis peccata mundi,
  suscipe deprecationem nostram.
Qui sedes ad dexteram Patris,
  miserere nobis.

Quoniam tu solus sanctus;
tu solus Dominus;
tu solus altissimus, Iesu Christe,
  cum Sancto Spiritu,
  in gloria Dei Patris. Amen.

Collecta Diei

Celebrans populo dicit

Dominus vobiscum.
Populus Et cum spiritu tuo.
Celebrans Oremus.

Celebrans dicit Collectam.

Populus Amen.

Lectiones

Populus considit. Una lectio recitetur vel duae, sicut assignatur, Lectore incipiente

Lectio (de libro *N.* *vel* de epistola ad *N.*)

Post quamque lectionem, Lector dicat

Verbum Domini.
Populus Deo Gratias.

aut Lector dicat Hic finitur Lectio (Epistola)

Silentium sequatur.

Psalmus, hymnus, vel antiphona sequatur quamque lectionem.

Deinde, omnibus stantibus, Diaconus vel Sacerdos recitat Evangelium, sic incipiens

Sequentia (*vel* Initium) Sancti Evangelii Domini nostri Iesu Christi secundum (Mattheum *vel* Marcum *vel* Lucam *vel* Iohannem).
Populus Gloria tibi, Domine.

Evangelio finito, lector dicit

Evangelium Domini.
Populus Laus tibi, Christe.

Sermo

In Dominicis et aliis Festis Maioribus, omnibus stantibus, sequitur

Symbolum

Credo in unum Deum,
Patrem Omnipotentem,
factorem caeli et terrae,
visibilium omnium et invisibilium;

Et in unum Dominum Iesum Christum,
Filium Dei unigenitum,
et ex Patre natum ante omnia saecula,
Deum de Deo, Lumen de Lumine,
Deum verum de Deo vero,
genitum non factum,
consubstantialem Patri,
per quem omnia facta sunt;

qui propter nos homines et propter nostram salutem
descendit de caelis,
et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine,
et homo factus est;
crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato;
passus et sepultus est;
et resurrexit tertia die secundum Scripturas,
et ascendit in caelum,
sedat ad dexteram Patris;
et iterum venturus est cum gloria, iudicare vivos et mortuos,
cuius regni non erit finis;

Et in Spiritum Sanctum, Dominum et Vivificantem,
qui ex Patre Filioque procedit;
qui cum Patre et Filio simul adoratur
et conglorificatur;
qui locutus est per Prophetas;
Et unam sanctam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam;
Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum;
Et exspecto resurrectionem mortuorum,
et vitam venturi saeculi. Amen.

Orationes Populi

Orationes offeruntur secundum formam sequentem, aut secundum praecepta in pagina 383 [Libri Precum Publicarum].

Diaconus, aut alius assignatus vel alia assignata, dicit

Oremus pro statu universo Ecclesiae Christi et pro mundo.

Post quodque caput, Populus propriam responsionem faciat, sicut dirigatur

Omnipotens aeterne Deus, qui nos in sancto Verbo tuo iubes facere orationes, obsecrationes, et gratiarum actiones pro omnibus hominibus, humiliter te petimus, ut clementer accipias has preces nostras, quas offerimus divinae Maiestati tuae, supplicantes, ut perpetuo inspires et conserves Catholicae Ecclesiae spiritum veritatis, unitatis et concordiae. Praesta etiam, ut omnes qui confitentur Nomen tuum sanctum, consentiant in sancti Verbi tui veritate, et vivant inter se concordes in caritate.

Da gratiam, caelestis Pater, omnibus episcopis et aliis ministris [praesertim _____, episcopo praesidenti nostro, et _____, episcopo nostro], ut tam vita quam doctrina sua verum vivumque verbum tuum annuntient, et sancta tua Sacramenta recte et rite administrent.

Tribue universo populo caelestem gratiam tuam, et præcipue huic congregationi præsenti, ut humili animo, et debita reverentia, audiant et accipiant sanctum Verbum tuum, et tibi fideliter serviant in sanctitate et iustitia, omnibus diebus vitae.

Quaesumus etiam ut regas corda illorum qui auctoritatem administrationis gerunt in hac regione et in omnibus regionibus [praesertim _____], ita ut ducantur facere decreta prudentia ac opera iusta pro salute paceque mundi.

Aperi, Domine, oculos omnium hominum ut benignam actionem tuam in omnibus operibus tuis conspicant et, gaudentes in tota creatione tua, de substantia sua te honorent et largitatis tuae fideles procuratores se praebeant.

Submisse etiam te petimus, propter bonitatem tuam, Domine, ut consoleris et succurras [_____ et] omnibus qui sunt in angustiis, doloribus, infirmitatibus, vel aliis adversitatibus constituti.

Orationes adiunctae et gratiarum actiones hic addantur.

Benedicimus quoque sancto Nomini tuo propter omnes famulos tuos in fide et timore tui defunctos [praesertim _____], te rogantes ut dones eisdem incrementum perpetuum in caritate ministerioque tuo; et tribuas nobis gratiam ad imitanda bona exempla [_____ et] omnium sanctorum tuorum, ut nos una cum illis caelestis regni tui fiamus participes.

Hoc, Pater, largiri digneris, propter Iesum Christum unicum nostrum Mediatorem et Advocatum. *Amen.*

Si nulla est celebratio Communionis, vel nullus sacerdos in promptu, officium finitur secundum praecepta in pagina 406 [Libri Precum Publicarum].

Confessio Peccati

Confessio Peccati hic dicitur, nisi antehac dicta est. Interdum Confessio licet omitti.

Diaconus aut Celebrans verba sequentia dicit, vel Exhortationem in pagina 316 [Libri Precum Publicarum]

Vos quos vere et serio peccatorum vestrorum paenitet, quique proximos vera caritate complectimini, et vitam novam instituere decrevistis, mandatis Dei obsequendo, et in viis eius posthac ambulando: Cum fide accedite, et omnipotenti Deo magna cum animi demissione confitemini, reverenter genuflexi.

vel

Confiteamur humiliter peccata nostra Deo Omnipotenti.

Silentium sequatur.

Minister et Populus dicunt

Omnipotens Deus,
Pater Domini nostri Iesu Christi,
conditor omnium rerum, et iudex universorum mortalium,
nos confitemur et deploramus nostra multiplicia peccata,
  et innumeras iniquitates,
quas subinde per omnem vitam contumaciter designavimus,
cogitatione, verbo, facto, contra divinam Maiestatem tuam,
provocantes iustissimam iram et indignationem tuam adversus nos:
vere enim ex animo dolemus, et serio nos paenitet de peccatis nostris:
eorum commemoratio est nobis acerbissima,
illorum gravitatem ferre non possumus.
Miserere nostri, misericordissime Pater,
propter Filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum,
condona nobis peccata praeterita;
et benigne concede, ut semper posthac
serviamus et placeamus tibi in novitate vitae,
ad laudem et gloriam Nominis tui;
per Iesum Christum Dominum nostrum. Amen.

vel

Clementissime Deus,
confitemur quia peccavimus in te
cogitatione, verbo, et facto,
opere et omissione.
Te non ex animo dileximus;
Neque proximos nostros sicut nos ipsos.
Vere nos paenitet et humiliter paenitentiam agimus.
Propter Filium tuum Iesum Christum,
miserere nobis et dimitte peccata nostra;
ut in voluntate tua gaudeamus,
et in viis tuis ambulemus,
ad gloriam Nominis tui. Amen.

Episcopus si adsit, aut Presbyter, stans dicit

Omnipotens Deus, Pater noster colestis, qui, pro summa sua misericordia, peccatorum remissionem promisit iis omnibus qui, serio atque ex animo paenitentes, cum vera fide ad eum se converterint, misereatur vestri, dimittat et condonet vobis omnia peccata vestra, vos confirmet et corroboret in omni bono, et vos perducat ad vitam aeternam; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Minister recitet unam vel plures ex sententiis sequentibus, incipiens

Audite verbum Dei omnibus qui ad eum vere se vertunt.

Venite ad me omnes qui laboratis, et onerati estis, et ego vos requiescere faciam. *Mt. 11:28*

Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. *Io. 3:16*

Fidelis sermo, et omni observatione dignissimus, Christus Iesus venit in hunc mundum, ut salvos faceret peccatores. *I Tim. 1:15*

Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum sed etiam pro totius mundi. *I Io. 2:1-2*

Pax

Omnibus stantibus, Celebrans populo dicit

Pax Domini sit semper vobiscum.
Populus Et cum spiritu tuo.

Deinde Ministri et Populus inter se salutent in nomine Domini.

Sancta Communio

Celebrans incipit Offertorium cum una ex sententiis in paginis 343-344 [Libri Precum Publicarum], vel alia sententia apta Scripturae.

In Offertorio, hymnus, psalmus vel antiphona canatur.

Legati congregationis diacono aut celebranti oblationes populi panis et vini ferunt, et pecuniae vel aliorum donorum. Populus stet dum oblationes offeruntur et ponunter super Altare.

Magna Gratiarum Actio

Formula altera datur in pagina 340 [Libri Precum Publicarum].

Prex Eucharistica I

Populus usque stet. Celebrans, sive episcopus sive presbyter, versus ad eos, canit aut dicit

Dominus vobiscum.
Populus Et cum spiritu tuo.
Celebrans Sursum corda.
Populus Habemus ad Dominum.

Celebrans Gratias agamus Domino Deo nostro.
Populus Dignum et iustum est.

Deinde, versus ad Mensam Sanctam, Celebrans cum Praefatione pergit.

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine, sancte Pater, omnipotens, aeterne Deus:

Omnibus Dominicis hic Propria Praefatio canitur vel dicitur, et aliis occasionibus sicut assignatis.

Et ideo cum angelis et archangelis, cum thronis et dominationibus, cumque omni militia caelestis exercitus, hymnum gloriae tuae canimus, sine fine dicentes:

Celebrans et Populus

Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus Sabaoth.
Pleni sunt caeli et terra gloria tua.
Osanna in excelsis.

Hic addatur

Benedictus qui venit in nomine Domini.
Osanna in excelsis.

Deinde, populo genuflexo vel stante, Celebrans pergit

Omnis gloria tibi Deus omnipotens, Pater noster caelestis, quia ex immensa tua misericordia dedisti nobis unicum Filium tuum Iesum Christum, pro nostra redemptione mortem in cruce pati, ibique unica illa oblatione qua sese semel obtulit, perfectum, plenum, et sufficiens sacrificium, hostiam et satisfactionem integram faceret pro peccatis totius mundi: quique instituit, ac in suo sacrosancto Evangelio praecepit perpetuam memoriam pretiosae suae mortis ac sacrificii celebrare, usque dum rediret.

Ad verba sequentia de pane, Celebrans eum in manus accipiat, vel ei manum imponat; et ad verba de calice, eum in manum accipiat, etiam quidque vasum quo insit vini aliquod consecrandi, vel eis manum imponat.

Qui eadem nocte qua tradebatur, accepit panem et gratias agens fregit, deditque discipulis suis dicens: "Accipite et manducate, hoc est enim Corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem."

Simili modo, postquam cenatum est, accepit calicem, et gratias agens dedit illis, dicens: "Bibite ex eo omnes: hic est enim Sanguis meus Novi Testamenti, qui pro vobis et pro multis effunditur, in remissionem peccatorum: hoc facite, quotiescunque biberitis, in meam commemorationem."

Unde, Domine caelestis Pater, secundum institutionem dilectissimi Filii tui Salvatoris nostri Iesu Christi, nos humiles servi tui celebramus et hic facimus coram divina Maiestate tua, de his tuis sanctis donis, quae nunc tibi offerimus, illam quam Filius tuus celebrare nos praecepit memoriam; memores et eius tam beatae passionis et pretiosae mortis, necnon et

mirabilis resurrectionis, sed et gloriosae ascensionis; tibi gratias agentes ex animo propter innumerabilia beneficia nobis inde collata.

Exaudi nos quaesumus, misericors Pater, et pro tua bonitate omnipotente benedicere ac sanctificare digneris, per Verbum tuum et Spiritum Sanctum, haec tua dona ac creaturas panis et vini; ut nos haec sumentes, iuxta sacrosanctam institutionem Filii tui, Salvatoris nostri Iesu Christi, in memoriam eius dirae mortis et passionis, participes simus sanctissimi Corporis et Sanguinis eius.

Supplices rogamus paternam tuam bonitatem, ut hoc nostrum sacrificium laudis et gratiarum actionis, benigne accipias: humiliter supplicantes, ut propter merita et mortem Filii tui Iesu Christi, et per fidem in illius sanguinem, concedas, ut nos cum universa Ecclesia remissionem peccatorum ceteraque beneficia passionis illius consequamur.

Atque hic etiam offerimus et praesentamus tibi, Domine, nos ipsos, animas nostras, et corpora nostra, hostiam rationalem, sanctam, et vivam: humiliter obsecrantes ut quotquot participes sumus huius sacrosanctae communionis, sacrosanctum Filii tui Iesu Christi Corpus et Sanguinem digne sumpserimus, tua gratia et caelesti benedictione repleamur, et unum corpus cum ipso fiamus, ut in nobis maneat, et nos in illo.

Et quanquam indigni sumus, propter multitudinem peccatorum nostrorum, qui tibi ullum sacrificium offeramus, hanc tamen debitam oblationem servitutis nostrae, non aestimator meriti sed veniae, quaesumus, largitor accipias, per Iesum Christum Dominum nostrum;

Per quem, et cum quo, sit tibi Deo Patri omnipotenti, in unitate Spiritus Sancti, omnis honor et gloria, per omnia saecula saeculorum. *AMEN*.

Praeceptis salutaribus moniti, et divina institutione formati, audemus dicere,

Populus et Celebrans dicunt

Pater noster, qui es in caelis,
  sanctificetur nomen tuum,
  adveniat regnum tuum,
  fiat voluntas tua,
    sicut in caelo et in terra.
Panem nostrum quotidianum da nobis hodie,
Et dimitte nobis debita nostra,
  sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.
Et ne nos inducas in tentationem,
  sed libera nos a malo.
Quia tuum est regnum, et potestas, et gloria
  in saecula. Amen.

Fractio Panis

Celebrans frangit Panem consecratum.

Silentium.

Deinde canatur aut dicatur

[Alleluia.] Pascha nostrum immolatus est Christus;
Itaque epulemur. [*Alleluia.*]

In Quadragesima, "Alleluia" omittitur, et licet omitti in aliis temporibus nisi in Tempore Paschali.

Sequens, vel alia antiphona apta, hic canatur aut dicatur.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
miserere nobis.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
miserere nobis.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
dona nobis pacem.

Oratio sequens dicatur

Non accedere audemus ad hanc Mensam tuam, misericors Domine, fiducia iustitiae nostrae, sed in multitudine miserationum tuarum. Neque enim sumus digni, ut colligamus micas de Mensa tua. Sed tu es idem Dominus, cuius semper proprium fuit misereri. Concede igitur, misericors Domine, ut sic edamus carnem Filii tui, et bibamus eius sanguinem, ut perpetuo habitemus in eo, et ipse in nobis. *Amen.*

Versus ad populum, Celebrans dicat invitationem sequentem

Dona Dei pro Plebe Dei.

et addat Accipite haec, in memoriam quod Christus mortuus sit pro vobis: fide illum edite, in cordibus vestris, cum gratiarum actione.

Ministri Sacramentum accipiunt sub utraque specie, deinde statim id populo tradunt.

Panis et Calix populo dantur cum his verbis

Corpus Domini nostri Iesu Christi, quod pro te traditum est, conservet corpus tuum et animam tuam in vitam aeternam. Accipe et ede hoc, in memoriam quod Christus mortuus sit pro te: fide illum ede, in corde tuo, cum gratiarum actione.

Sanguis Domini nostri Iesu Christi, quo pro te effusus est, conservet corpus tuum et animam tuam in vitam aeternam. Bibe hoc, in memoriam Christi sanguinem pro te effusum esse, et gratias age.

vel cum his verbis

Corpus (Sanguis) Domini nostri Iesu Christi custodiat te in vitam aeternam. [*Amen.*]

vel cum his verbis

Corpus Christi, panis caelestis. [*Amen.*]
Sanguis Christi, calix salutis. [*Amen.*]

In administratione Communionis, hymni, psalmi vel antiphonae canantur.

Si requiritur, Celebrans addititium panem et vinum consecrat, cum forma in Libro Precum Publicarum in pagina 408.

Post Communionem, Celebrans dicit

Oremus.

Populus quoque hanc orationem cum Celebranti dicat

Omnipotens aeterne Deus, tibi ex animo gratias agimus, quod nos, in his sacrosanctis mysteriis, pascere digneris spirituali cibo pretiosissimi Corporis et Sanguinis Filii tui Salvatoris nostri Iesu Christi, nosque certos reddis horum participatione de tuo favore ac gratia erga nos, et quod sumus vera membra in corpore Filii tui mystico incorporata, quod est sancta communio omnium fidelium, quodque heredes sumus secundum spem vitae aeternae. Nos ergo supplices rogamus, Pater caelestis, ita nobis tua gratia semper adsis, ut in hac sanctissima communione perseveremus, et omnia huiusmodi opera bona faciamus, quae tu praeparasti ut in eis ambulemus, per Iesum Christum Dominum nostrum, cui cum Spiritu Sancto, et tibi sit omnis honor et gloria, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Episcopus si praesens, aut Presbyter sic benedicit

Pax Dei, quae superat omnem intellectum, conservet corda vestra et mentes vestras, in cogitatione, et amore Dei, et Filii eius Iesu Christi Domini nostri: et benedictio omnipotentis Dei, Patris, Filii, et Spiritus Sancti, vobis adsit, semperque vobiscum maneat. *Amen.*

vel

Benedictio Dei omnipotentis, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, sit super vos, et maneat semper vobiscum. *Amen.*

Diaconus, aut Celebrans, populum dimittat cum his verbis

Diaconus Procedamus in nomine Christi.
Populus Deo gratias.

vel

Diaconus Ite in pace, ut Dominum diligis ac serviatis.
Populus Deo gratias.

vel

Diaconus Procedamus in mundum, gaudentes in virtute Spiritus.
Populus Deo gratias.

vel

Diaconus Benedicamus Domino.
Populus Deo gratias.

A Vigilia Paschali usque ad Dominicam Pentecostes "Alleluia, alleluia" coniungatur ad dimissionem.

Populus sic respondeat Deo gratias. Alleluia, alleluia.

Formula Altera
Magnae Gratiarum Actionis

Prex Eucharistica II

Populus usque stet. Celebrans, sive episcopus sive presbyter, versus ad eos, canit aut dicit

Dominus vobiscum.
Populus Et cum spiritu tuo.
Celebrans Sursum corda.
Populus Habemus ad Dominum.
Celebrans Gratias agamus Domino Deo nostro.
Populus Dignum et iustum est.

Deinde, versus ad Mensam Sanctam, Celebrans cum Praefatione pergit.

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine, sancte Pater, omnipotens, aeterne Deus:

Omnibus Dominicis hic Propria Praefatio canitur vel dicitur, et aliis occasionibus sicut assignatis.

Et ideo cum angelis et archangelis, cum thronis et dominationibus, cumque omni militia caelestis exercitus, hymnum gloriae tuae canimus, sine fine dicentes:

Celebrans et Populus

Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus Sabaoth.
Pleni sunt caeli et terra gloria tua.
Osanna in excelsis.

Hic addatur

Benedictus qui venit in nomine Domini.
Osanna in excelsis.

Deinde, populo genuflexo vel stante, Celebrans pergit

Omnis gloria tibi, Domine Deus noster, quia creasti caelum et terram, et nos fecisti in imagine tua; et ex immensa tua misericordia dedisti nobis unicum Filium tuum Iesum Christum, nostram humanam substantiam assumere, et pro nostra redemptione mortem in cruce pati. Ibi plenum et perfectum sacrificium fecit pro toto mundo; et instituit, ac in suo sacrosancto Evangelio nos praecepit perpetuam memoriam pretiosae suae mortis ac sacrificii celebrare, usque dum rediret.

Ad verba sequentia de pane, Celebrans eum in manus accipiat, vel ei manum imponat; et ad verba de calice, eum in manum accipiat, etiam quidque vasum quo insit vini aliquod consecrandi, vel eis manum imponat.

Qui eadem nocte qua tradebatur, accepit panem et tibi gratias agens fregit, deditque discipulis suis dicens: "Accipite et manducate, hoc est enim Corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem."

Simili modo, postquam cenatum est, accepit calicem, et gratias agens dedit illis, dicens: "Bibite ex eo omnes: hic est enim Sanguis meus Novi Testamenti, qui pro vobis et pro multis effunditur, in remissionem peccatorum: hoc facite, quotiescunque biberitis, in meam commemorationem."

Unde, Domine caelestis Pater, nos plebs tua celebramus et facimus, de his tuis sanctis donis quae nunc tibi offerimus, illam quam Filius tuus celebrare nos praecepit memoriam; memores et eius tam beatae passionis et pretiosae mortis, necnon et mirabilis resurrectionis, sed et gloriosae ascensionis; exspectantes adventum eius cum potestate et magna gloria.

Exaudi nos quaesumus, misericors Pater, et benedicere ac sanctificare digneris, per Verbum tuum et Spiritum Sanctum, haec dona panis et vini, ut nobis Corpus et Sanguis fiant dilectissimi Filii tui Iesu Christi.

Supplices rogamus paternam tuam bonitatem, ut hoc nostrum sacrificium laudis et gratiarum actionis, benigne accipias, per quod offerimus et praesentamus tibi, Domine, nos ipsos, animas nostras et corpora nostra. Concede quaesumus ut quotquot participes sumus huius

Sacrosanctae Communionis, sacrosanctum Filii tui Iesu Christi Corpus et Sanguinem digne sumpserimus, et tua gratia et caelesti benedictione repleamur; et concede ut nos cum universa Ecclesia tua unum corpus cum ipso fiamus, ut in nobis maneat, et nos in illo; per eundem Dominum nostrum Iesum Christum;

Per ipsum, et cum ipso, et in ipso, est tibi Deo Patri omnipotenti, in unitate Spiritus Sancti, omnis honor et gloria, per omnia saecula saeculorum. *AMEN.*

Praeceptis salutaribus moniti, et divina institutione formati, audemus dicere,

Deinde dicitur Pater Noster in pagina 364 [Libri Precum Publicarum].

Sententiae ad Offertorium

Una ex sententiis sequentibus, aut alia sententia apta ex Scripturis, dicatur

Immola Deo laudem et redde Altissimo vota tua. *Ps. 50:14 [Vulgata 49:14]*

Adferte Domino gloriam Nomini eius; levate munera et introite in atria eius. *Ps. 96:8 [Vulgata 95:8]*

Ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos et tradidit se ipsum pro nobis, oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis. *Eph. 5:2*

Obsecro itaque vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem sanctam Deo placentem rationabile obsequium vestrum. *Rom. 12:1*

Si ergo offeres munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare et vade, prius reconciliare fratri tuo, et tunc veniens offere munus tuum. *Matt. 5:23-24*

Per Christum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium Nomini eius. Beneficentiae autem et communionis nolite oblivisci, talibus enim hostiis promeretur Deus. *Heb. 13:15-16*

Dignus es, Domine et Deus noster, accipere gloriam et honorem et virtutem; quia tu creasti omnia, et propter voluntatem tuam erant et creata sunt. *Apoc. 4:11*

Tua est, Domine, magnificentia, et potentia, et gloria, atque victoria, et tibi laus; cuncta enim quae in caelo sunt et in terra tua sunt. Tuum, Domine, regnum, et tu es super omnes principes. *I Paralip. 29:11*

vel haec exhortatio

Libenter offeramus Domino dona ac oblationes vitae nostrae ac laboris.

Propriae Praefationes

Praefationes Dominicae

Ad Dominicam sicut assignatur, sed non ad ferias sequentes

1. De Deo Patre

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine, sancte Pater, omnipotens, aeterne Deus:

Creator lucis et fons vitae, qui nos fecisti in imagine tua, et nos vocasti in vitam novam in Iesu Christo Domino nostro.

Et ideo cum angelis et archangelis, cum thronis et dominationibus, cumque omni militia caelestis exercitus, hymnum gloriae tuae canimus, sine fine dicentes:

vel

2. De Deo Filio

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine, sancte Pater, omnipotens, aeterne Deus:

Per Iesum Christum Dominum nostrum; qui in primo die hebdomadae mortem sepulchrumque vicit, et, per gloriosam resurrectionem suam, viam vitae aeternae nobis aperuit.

Et ideo cum angelis et archangelis, cum thronis et dominationibus, cumque omni militia caelestis exercitus, hymnum gloriae tuae canimus, sine fine dicentes:

vel

3. De Deo Sancto Spiritu

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine, sancte Pater, omnipotens, aeterne Deus:

Qui per aquam et Sanctum Spiritum nos novam plebem fecisti in Iesu Christo Domino nostro, ut gloriam tuam in toto mundo exhibeamus.

Et ideo cum angelis et archangelis, cum thronis et dominationibus, cumque omni militia caelestis exercitus, hymnum gloriae tuae canimus, sine fine dicentes:

Praefationes pro Temporibus

Tam ad Dominicas quam ad ferias, nisi alia praefatio de Diebus Sanctis sive de Occasionibus Diversis assignatur.

De Adventu

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine, sancte Pater, omnipotens, aeterne Deus:

Quia Filium tuum misisti ut a peccato et morte nos redimeret, et heredes aeternae vitae in se nos faceret; ut, ubi veniet cum gloria et triumpho magno ad iudicandum mundum, nos sine pudore ac timore in adventu eius conspiciendo gaudeamus.

Et ideo cum angelis et archangelis, cum thronis et dominationibus, cumque omni militia caelestis exercitus, hymnum gloriae tuae canimus, sine fine dicentes:

De Incarnatione

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine, sancte Pater, omnipotens, aeterne Deus:

Quia dedisti nobis unicum Filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum, quem pro nobis nasci voluisti, et per operationem Sancti Spiritus fieri verum Hominem ex Virgine Maria matre sua, sine labe peccati, ut nos ab omni peccato mundaret.

Et ideo cum angelis et archangelis, cum thronis et dominationibus, cumque omni militia caelestis exercitus, hymnum gloriae tuae canimus, sine fine dicentes:

De Epiphania

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine, sancte Pater, omnipotens, aeterne Deus:

Quia per incarnata verbi mysterium, nova mentis nostrae oculis lux tuae claritatis infulsit: ut dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilium amorem rapiamur.

Et ideo cum angelis et archangelis, cum thronis et dominationibus, cumque omni militia caelestis exercitus, hymnum gloriae tuae canimus, sine fine dicentes:

De Quadragesima

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine, sancte Pater, omnipotens, aeterne Deus:

Per Iesum Christum Dominum nostrum; qui per omnia sicut nos temptatus est, absque peccato; per cuius gratiam omnia mala possumus vincere, et iam non nobis ipsis vivere, sed ei qui pro nobis mortuus est et resurrexit.

Et ideo cum angelis et archangelis, cum thronis et dominationibus, cumque omni militia caelestis exercitus, hymnum gloriae tuae canimus, sine fine dicentes:

vel

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine, sancte Pater, omnipotens, aeterne Deus:

Per Christum Dominum nostrum: Quia fidelibus tuis dignanter impendis quotannis paschalia sacramenta in gaudio purificatis mentibus exspectare: ut, pietatis officia et opera caritatis propensius exsequentes, frequentatione mysteriorum, quibus renati sunt, ad gratiae filiorum plenitudinem perducantur.

Et ideo cum angelis et archangelis, cum thronis et dominationibus, cumque omni militia caelestis exercitus, hymnum gloriae tuae canimus, sine fine dicentes:

De Sancta Cruce

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine, sancte Pater, omnipotens, aeterne Deus:

Per Iesum Christum Dominum nostrum; qui propter peccata nostra in cruce exaltatus est, ut a terra omnia traheret ad se ipsum; qui passione et morte sua factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae.

Et ideo cum angelis et archangelis, cum thronis et dominationibus, cumque omni militia caelestis exercitus, hymnum gloriae tuae canimus, sine fine dicentes:

De Pascha

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine, sancte Pater, omnipotens, aeterne Deus:

Et te quidem omni tempore, sed in hac potissimum die [*vel:* in hoc potissimum] gloriosius praedicare, cum Pascha nostrum immolatus est Christus. Ipse enim est vere Agnus, qui abstulit peccata mundi: qui mortem nostram moriendo destruxit, et vitam resurgendo reparavit.

Et ideo cum angelis et archangelis, cum thronis et dominationibus, cumque omni militia caelestis exercitus, hymnum gloriae tuae canimus, sine fine dicentes:

De Ascensione

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine, sancte Pater, omnipotens, aeterne Deus:

Per Christum Dominum nostrum: Qui post gloriosam resurrectionem suam omnibus discipulis suis manifestus apparuit, et ipsis cernentibus elevatus est in caelum, ut nobis praeparet locum; et ubi ipse esset, istic nos ascendamus, et cum eo regnemus in gloria.

Et ideo cum angelis et archangelis, cum thronis et dominationibus, cumque omni militia caelestis exercitus, hymnum gloriae tuae canimus, sine fine dicentes:

Die Pentecostes

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine, sancte Pater, omnipotens, aeterne Deus:

Per Christum Dominum nostrum: Promissum cuius verum absolvens, Spiritus Sanctus [hodierna die] de caelo descendit, super discipulos resedens, ut doceret induceretque in omnem veritatem; et gentes linguarum diversarum in unius fidei confessione sociavit, contulitque Ecclesiae tuae fortitudinem ut tanquam sacerdotium regale ministret, et Evangelium omni nationi praedicet.

Et ideo cum angelis et archangelis, cum thronis et dominationibus, cumque omni militia caelestis exercitus, hymnum gloriae tuae canimus, sine fine dicentes:

Praefationes pro Aliis Occasionibus

In festo Trinitatis

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine, sancte Pater, omnipotens, aeterne Deus:

Qui cum unigenito Filio tuo, et Spiritu Sancto, unus es Deus, unus es Dominus: non in unius singularitate personae, sed cum trinitate personarum, in unitate substantiae. Quod enim de gloria tua revelante te credimus, hoc de Filio tuo, hoc de Spiritu Sancto, sine differentia discretionis sentimus:

Quem laudant Angeli atque Archangeli: Cherubin quoque et Seraphin, qui non cessant clamare iugiter una voce, dicentes:

De Omnibus Sanctis

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine, sancte Pater, omnipotens, aeterne Deus:

Qui, in multitudine sanctorum tuorum, nobis tantam nubem testium circumdedisti, ut nos, in societate eorum gaudentes, per patientiam curramus propositum nobis certamen; et cum illis immarcescibilem gloriae coronam accipiamus.

Et ideo cum angelis et archangelis, cum thronis et dominationibus, cumque omni militia caelestis exercitus, hymnum gloriae tuae canimus, sine fine dicentes:

De Sancto

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine, sancte Pater, omnipotens, aeterne Deus:

Propter gratiam mirabilem et virtutem quae in omnibus sanctis tuis exhibentur, qui vasa electa gratiae tuae fuerunt, et in suis saeculis luces mundi.

Et ideo cum angelis et archangelis, cum thronis et dominationibus, cumque omni militia caelestis exercitus, hymnum gloriae tuae canimus, sine fine dicentes:

vel

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine, sancte Pater, omnipotens, aeterne Deus:

Qui in oboedientia sanctorum tuorum nobis dedisti exemplum pietatis, et in gaudio aeterno eorum testimonium gloriosum spei vocationis nostrae.

Et ideo cum angelis et archangelis, cum thronis et dominationibus, cumque omni militia caelestis exercitus, hymnum gloriae tuae canimus, sine fine dicentes:

vel

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine, sancte Pater, omnipotens, aeterne Deus:

Quia gloriaris in consilio sanctorum tuorum. Te laudant creaturae tuae, et benedicunt te sancti tui, quia illud magnum Unigeniti tui Nomen coram regibus et potestatibus huius saeculi libera voce confitentur.

Cui assistunt Angeli et Archangeli, Throni et Dominationes, cumque omni militia caelestis exercitus hymnum gloriae tuae concinunt, sine fine dicentes:

De Apostolis

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine, sancte Pater, omnipotens, aeterne Deus:

Per Iesum Christum Dominum nostrum, gregis tui pastorem magnum; qui post resurrectionem apostolos suos legavit ad praedicandum Evangelium et omnes gentes

docendas; et promisit ut cum eis maneat omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.

Et ideo cum angelis et archangelis, cum thronis et dominationibus, cumque omni militia caelestis exercitus, hymnum gloriae tuae canimus, sine fine dicentes:

De Dedicatione Ecclesiae

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine, sancte Pater, omnipotens, aeterne Deus:

Per Iesum Christum Summum Sacerdotem nostrum; in quo sicut viventes petrae templi sancti aedificamur; ut coram te sacrificium laudis ac orationis offeramus, sanctum et gratum in conspectu tuo.

Et ideo cum angelis et archangelis, cum thronis et dominationibus, cumque omni militia caelestis exercitus, hymnum gloriae tuae canimus, sine fine dicentes:

De Baptismo

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine, sancte Pater, omnipotens, aeterne Deus:

Quia in Iesu Christo Domino nostro nos accepisti tuos filios et filias, nosque cives regni tui fecisti, et Sanctum Spiritum, ut inducat in omnem veritatem, nobis dedisti.

Et ideo cum angelis et archangelis, cum thronis et dominationibus, cumque omni militia caelestis exercitus, hymnum gloriae tuae canimus, sine fine dicentes:

De Nuptiis

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine, sancte Pater, omnipotens, aeterne Deus:

Quia in caritate uxoris et mariti, nobis dedisti imaginem Hierosolymae caelestis, ornatae sicut nupta pro sponso suo, Filio tuo Iesu Christo Domino nostro; qui eam diligit et se dedit pro ea, ut creationem totam renovaret.

Et ideo cum angelis et archangelis, cum thronis et dominationibus, cumque omni militia caelestis exercitus, hymnum gloriae tuae canimus, sine fine dicentes:

De Commemoratione Defunctorum

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine, sancte Pater, omnipotens, aeterne Deus:

Per Christum Dominum nostrum; in quo nobis spes beatae resurrectionis effulsit, ut quos contristat certa moriendi condicio, eosdem consoletur futurae immortalitatis promissio. Tuis enim fidelibus, Domine, vita mutatur, non tollitur, et dissoluta terrestris huius incolatus domo, aeterna in caelis habitatio comparatur.

Et ideo cum angelis et archangelis, cum thronis et dominationibus, cumque omni militia caelestis exercitus, hymnum gloriae tuae canimus, sine fine dicentes:

Decem Praecepta

Deus haec verba ad hunc modum effatus est:
Ego sum Dominus Deus tuus qui eduxi te de terra Aegypti, de domo servitutis. Deos nullos alios habebis praeter me.
Amen. Kyrie eleison.

Non facies tibi sculptile, neque ullam similitudinem ullius rei quae est supra in caelo, aut infra in terra, aut in aquis sub terra: non adorabis ea nec coles.
Amen. Kyrie eleison.

Non assumes Nomen Domini Dei tui in vanum.
Amen. Kyrie eleison.

Memento ut diem Sabbati sanctifices.
Amen. Kyrie eleison.

Honora patrem tuum et matrem tuam.
Amen. Kyrie eleison.

Non occides.
Amen. Kyrie eleison.

Non committes adulterium.
Amen. Kyrie eleison.

Non furtum facies.
Amen. Kyrie eleison.

Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.
Amen. Kyrie eleison.

Non concupisces.
Amen. Kyrie eleison.

Ordinis Paenitentialis: Ritus Secundus

Ad initium Liturgiae, vel ad alia tempora ut officium disiunctum.

Hymnus, psalmus, vel antiphona canatur.

Populo stante, Celebrans dicit

Benedictus Deus: Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus.
Populus Et benedictum regnum eius, nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

Pro verbis supra, a Pascha usque ad Dominicam Pentecostes

Celebrans Alleluia. Christus surrexit.
Populus Surrexit Dominus vere. Alleluia.

In Quadragesima, et aliis occasionibus paenitentialibus

Celebrans Benedictus Dominus qui dimittit omnia peccata nostra.
Populus In saeculum misericordia eius.

Cum hoc adhibetur ut officium disiunctum, Exhortatio, [in pagina 316 Libri Precum Publicarum], dicatur, vel homilia praedicetur.

Decalogus recitetur, cum genuflexione Populi.

Celebrans recitet unum ex sententiis sequentibus.

Iesus dixit, "Primum omnium mandatum est: Audi, Israhel: Dominus Deus noster Deus unus est, et diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, et ex tota virtute tua. Hoc est primum mandatum. Secundum autem simile illi: Diliges proximum tuum tamquam te ipsum. Maius horum aliud mandatum non est." *Marc. 12: 29-31*

Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est; si confiteamur peccata nostra, fideles est et iustus ut remittat nobis peccata, et emundet nos ab omni iniquitate. *I Ioh. 1: 8-9*

Habentes ergo pontificem magnum, qui penetravit caelos, Iesum Filium Dei, adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio oportuno. *Heb. 4: 14, 16*

Deinde Diaconus aut Celebrans dicit

Confiteamur peccata nostra in Deum et in proximum nostrum.

Silentium sequatur.

Minister et Populus dicunt

Clementissime Deus,
confitemur quia peccavimus in te
cogitatione, verbo, et facto,
opere et omissione.
Te non ex animo dileximus;
Neque proximos nostros sicut nos ipsos.
Vere nos paenitet et humiliter paenitentiam agimus.
Propter Filium tuum Iesum Christum,
miserere nobis et dimitte peccata nostra;
ut in voluntate tua gaudeamus,
et in viis tuis ambulemus,
ad gloriam Nominis tui. Amen.

Episcopus si praesens, vel Presbyter, stat et pronuntiat

Misereatur vestri omnipotens Deus, dimittat vobis omnia peccata vestra per Christum Dominum nostrum, confirmet in omni bono, et virtute Spiritus Sancti ad vitam perducat aeternam. *Amen.*

Diaconus aut laicus, hac forma utens, supponit "nostri" pro "vestri" et "nobis" pro "vobis."

Cum hic ordo adhibetur ad initium Liturgiae, hic sequitur "Kyrie eleison", "Trisagion", vel "Gloria in excelsis."

Cum hic ordo adhibetur ut officium disiunctum, finitur cum precibus aptis, et "Gratia" aut benedictione.

De Celebratione

Episcopus, si praesens, ius habet agendi ut celebrans principalis in Mensa Domini, et praedicandi Evangelium.

In omnibus celebrationibus Liturgiae, decet ut celebrans principalis, sive episcopus sive presbyter, adiuvetur ab aliis sacerdotibus, et a diaconis et laicis.

Decet ut alii sacerdotes praesentes cum celebrante ad Altare stent, et communicent in consecratione donorum, in fractione Panis, et in administratione Communionis.

Oportet diaconum recitare Evangelium, et Orationes Populi dirigere. Et diaconos ad Mensam Domini servire oportet, in praeparando et imponendo super eam dona panis et vini, et in adiuvando ad administrationem Sacramenti populo. In absentia diaconi, haec officia a sacerdote adiuvanti faciantur.

Plerumque oportet laicos a celebrante designatos recitare lectiones ante Evangelium, et Orationes Populi dirigere.

Licet ut Ordo ad Matutinas vel Vespertinas Preces pro omnibus ante Pacem et Offertorium adhibeatur, dummodo lectio ex Evangelio semper includatur, et orationes accommodentur ad praecepta pro Orationibus Populi data.

Praecepta adiuncta in pagina 406, Libri Precum Publicarum, dantur.

Sanctae Eucharistiae: Ritus Secundus

Verbum Dei

Hymnus, psalmus, vel antiphona canatur.

Populo stante, Celebrans dicit

Benedictus Deus: Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus.
Populus Et benedictum regnum eius, nunc et semper et in saecula saeculorum.
Amen.

Pro verbis supra, a Pascha usque ad Dominicam Pentecostes

Celebrans Alleluia. Christus surrexit.
Populus Surrexit Dominus vere. Alleluia.

In Quadragesima, et aliis occasionibus paenitentialibus

Celebrans Benedictus Dominus qui dimittit omnia peccata nostra.
Populus In saeculum misericordia eius.

Celebrans dicat

Omnipotens Deus, cui omne cor patet, et omnis voluntas loquitur, et quem nullum latet secretum: Purifica per infusionem Sancti Spiritus cogitationes cordis nostri, ut te perfecte diligere, et sanctum Nomen tuum digne laudare mereamur; per Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Si assignatus, hymnus sequens canitur aut dicitur, omnibus stantibus,

Gloria in excelsis Deo,
et in terra pax hominibus bonae voluntatis.

Laudamus te, benedicimus te,
adoramus te,
glorificamus te.
Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam,
Domine Deus, Rex caelestis, Deus Pater Omnipotens.

Domine Fili Unigenite, Iesu Christe;
Domine Deus, Agnus Dei, Filius Patris,
qui tollis peccata mundi,

miserere nobis.
Qui tollis peccata mundi,
suscipe deprecationem nostram.
Qui sedes ad dexteram Patris,
miserere nobis.

Quoniam tu solus sanctus;
tu solus Dominus;
tu solus altissimus, Iesu Christe,
cum Sancto Spiritu,
in gloria Dei Patris. Amen.

Aliis occasionibus hic canitur aut dicitur

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.

vel

Sanctus Deus,		Agios o Theos,
Sanctus Fortis,	*vel*	Agios Ischyros,
Sanctus Immortalis,		Agios Athanatos,
Miserere nobis.		*Eleison imas.*

Collecta Diei

Celebrans populo dicit

Dominus vobiscum.
Populus Et cum spiritu tuo.
Celebrans Oremus.

Celebrans dicit Collectam.

Populus Amen.

Lectiones

Populus considit. Una lectio recitetur vel duae, sicut assignatur, Lectore incipiente

Lectio (de libro N. *vel* de epistola ad N.)

Post quamque lectionem, Lector dicat

Verbum Domini.
Populus Deo Gratias.

aut Lector dicat Hic finitur Lectio (Epistola)

Silentium sequatur.

Psalmus, hymnus, vel antiphona sequatur quamque lectionem.

Deinde, omnibus stantibus, Diaconus vel Sacerdos recitat Evangelium, sic incipiens

Lectio Sancti Evangelii Domini nostri Iesu Christi
secundum (Mattheum *vel* Marcum *vel* Lucam *vel* Iohannem).
Populus Gloria tibi, Domine.

Evangelio finito, lector dicit

Evangelium Domini.
Populus Laus tibi, Christe.

Sermo

In Dominicis et aliis Festis Maioribus, omnibus stantibus, sequitur

Symbolum

Credo in unum Deum,
Patrem Omnipotentem,
factorem caeli et terrae,
visibilium omnium et invisibilium;

Et in unum Dominum Iesum Christum,
Filium Dei unigenitum,
et ex Patre natum ante omnia saecula,
Deum de Deo, Lumen de Lumine,
Deum verum de Deo vero,
genitum non factum,
consubstantialem Patri,
per quem omnia facta sunt;
qui propter nos homines et propter nostram salutem
descendit de caelis,
et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine,
et homo factus est;
crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato;
passus et sepultus est;
et resurrexit tertia die secundum Scripturas,

et ascendit in caelum,
sedat ad dexteram Patris;
et iterum venturus est cum gloria, iudicare vivos et mortuos,
cuius regni non erit finis;

Et in Spiritum Sanctum, Dominum et Vivificantem,
qui ex Patre Filioque procedit;
qui cum Patre et Filio simul adoratur
et conglorificatur;
qui locutus est per Prophetas;
Et unam sanctam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam;
Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum;
Et exspecto resurrectionem mortuorum,
et vitam venturi saeculi. Amen.

Orationes Populi

Orationes offeruntur cum intercessione pro

Ecclesia Catholica, membris eius, et missione
Re publica et omnibus magistratibus
Bono publico orbis terrarum
Rebus civitatis propriae
Afflictis et eis in aliquo periculo
Defunctis (cum commemoratione Sancti vel Sanctae, si apta sit)

Vide formulas incipientes in pagina 383 [Libri Precum Publicarum].

Si nulla est celebratio Communionis, vel nullus sacerdos in promptu, officium finitur secundum praecepta in pagina 406 [Libri Precum Publicarum].

Confessio Peccati

Confessio Peccati hic dicitur, nisi antehac dicta est. Interdum Confessio licet omitti.

Una ex sententiis dicatur Ordinis Paenitentialis in pagina 351 [Libri Precum Publicarum].

Diaconus aut Celebrans dicit

Confiteamur peccata nostra in Deum et in proximum nostrum.

Silentium sequatur.

Minister et Populus dicunt

Clementissime Deus,

confitemur quia peccavimus in te
cogitatione, verbo, et facto,
opere et omissione.
Te non ex animo dileximus;
Neque proximos nostros sicut nos ipsos.
Vere nos paenitet et humiliter paenitentiam agimus.
Propter Filium tuum Iesum Christum,
miserere nobis et dimitte peccata nostra;
ut in voluntate tua gaudeamus,
et in viis tuis ambulemus,
ad gloriam Nominis tui. Amen.

Episcopus si adsit, aut Presbyter, stans dicit

Misereatur vestri omnipotens Deus, dimittat vobis omnia peccata vestra per Christum Dominum nostrum, confirmet in omni bono, et virtute Spiritus Sancti ad vitam perducat aeternam. *Amen.*

Pax

Omnibus stantibus, Celebrans populo dicit

Pax Domini sit semper vobiscum.
Populus Et cum spiritu tuo.

Deinde Ministri et Populus inter se salutent in nomine Domini.

Sancta Communio

Celebrans incipit Offertorium cum una ex sententiis in pagina 176 [Libri Precum Publicarum], vel alia sententia apta Scripturae.

In Offertorio, hymnus, psalmus vel antiphona canatur.

Legati congregationis diacono aut celebranti oblationes populi panis et vini ferunt, et pecuniae vel aliorum donorum.. Populus stet dum oblationes offeruntur et ponunter super Altare.

Magna Gratiarum Actio

Formulae alterae dantur in pagina 367 [Libri Precum Publicarum] et paginis sequentibus.

Prex Eucharistica A

Populus usque stet. Celebrans, sive episcopus sive presbyter, versus ad eos, canit aut dicit

Dominus vobiscum.
Populus Et cum spiritu tuo.
Celebrans Sursum corda.
Populus Habemus ad Dominum.
Celebrans Gratias agamus Domino Deo nostro.
Populus Dignum et iustum est.

Deinde, versus ad Mensam Sanctam, Celebrans cum Praefatione pergit.

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine, sancte Pater, omnipotens, aeterne Deus:

Omnibus Dominicis hic Propria Praefatio canitur vel dicitur, et aliis occasionibus sicut assignatis.

Et ideo cum angelis et archangelis, cum thronis et dominationibus, cumque omni militia caelestis exercitus, hymnum gloriae tuae canimus, sine fine dicentes:

Celebrans et Populus

Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus Sabaoth.
Pleni sunt caeli et terra gloria tua.
Osanna in excelsis.
Benedictus qui venit in nomine Domini.
Osanna in excelsis.

Deinde, populo stante vel genuflexo, Celebrans pergit

Sancte et clementissime Pater: In caritate inestimabili tua nos pro te ipso fecisti; et, cum nos in peccatum incidissemus atque malo mortique subiecti essemus, ex tua misericordia Iesum Christum misisti unicum Filium tuum aeternum ut, nostram humanam naturam assumens, et sicut nos vivens et moriens, nos tibi omnium Deo Patrique reconciliet.

Manus in cruce extendens, voluntatem tuam adimplens, se immolavit sacrificium perfectum pro toto mundo.

Ad verba sequentia de pane, Celebrans eum in manus accipiat, vel ei manum imponat; et ad verba de calice, eum in manum accipiat, etiam quidque vasum quo insit vini aliquod consecrandi, vel eis manum imponat.

Qui eadem nocte qua tradebatur ad passionem mortemque accepit panem; et tibi gratias agens, fregit, deditque discipulis suis, dicens, "Accipite et manducate: Hoc est enim Corpus meum, quod pro vobis datur. Hoc facite in meam commemorationem."

Simili modo, postquam cenatum est, accepit calicem; et gratias agens, dedit illis, dicens, "Bibite ex eo omnes: Hic est enim Sanguis meus Novi Testamenti, qui pro vobis et pro multis effunditur, in remissionem peccatorum. Hoc facite, quotiescunque biberitis, in meam commemorationem."

Annuntiemus igitur mysterium fidei:

Celebrans et Populus dicunt

Mortem tuam annuntiamus, Domine,
et tuam resurrectionem confitemur,
donec venias.

Deinde Celebrans pergit

Memores igitur mortis, resurrectionis et ascensionis eius, tibi Pater, memoriam redemptionis nostrae in hoc sacrificio laudis et gratiarum actionis celebrantes, haec dona offerimus.

Quae sanctifica, quaesumus, per Spiritum Sanctum tuum ut nobis Corpus et Sanguis fiant Filii tui, Cibus et Potus sanctus novae et aeternae vitae in eo. Nos quoque sanctifica ut hoc sanctum Sacramentum fideliter accipiamus, et in unitate, constantia et pace tibi serviamus. In novissimo die, confer nos cum omnibus sanctis in gaudium regni tui aeterni.

Quae omnia a te petimus per Iesum Christum Filium tuum. Per ipsum, et cum ipso, et in ipso, est tibi Deo Patri omnipotenti, in unitate Spiritus Sancti, omnis honor et gloria, per omnia saecula saeculorum. *AMEN*.

Praeceptis salutaribus moniti, et divina institutione formati, audemus dicere,

Populus et Celebrans dicunt

Pater noster, qui es in caelis,
  sanctificetur nomen tuum,
  adveniat regnum tuum,
  fiat voluntas tua,
    sicut in caelo et in terra.
Panem nostrum quotidianum da nobis hodie,
Et dimitte nobis debita nostra,
  sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.
Et ne nos inducas in tentationem,
  sed libera nos a malo.
Quia tuum est regnum, et potestas, et gloria

in saecula. Amen.

Fractio Panis

Celebrans frangit Panem consecratum.

Silentium.

Deinde canatur aut dicatur

[Alleluia.] Pascha nostrum immolatus est Christus;
Itaque epulemur. [*Alleluia.*]

In Quadragesima, "Alleluia" omittitur, et licet omitti in aliis temporibus nisi in Tempore Paschali.

Alia antiphona apta, hic canatur aut dicatur.

Versus ad populum, Celebrans dicit invitationem sequentem

Dona Dei pro Plebe Dei.

et addat Accipite haec, in memoriam quod Christus mortuus sit pro
vobis: fide illum edite, in cordibus vestris, cum gratiarum actione.

Ministri Sacramentum accipiunt sub utraque specie, deinde statim id populo tradunt.

Panis et Calix populo dantur cum his verbis

Corpus (Sanguis) Domini nostri Iesu Christi custodiat te in vitam aeternam. [*Amen.*]

vel cum his verbis

Corpus Christi, panis caelestis. [*Amen.*]
Sanguis Christi, calix salutis. [*Amen.*]

In administratione Communionis, hymni, psalmi vel antiphonae canantur.

Si requiritur, Celebrans addititium panem et vinum consecrat, cum forma in Libro Precum Publicarum in pagina 408.

Post Communionem, Celebrans dicit

Oremus.

Celebrans et Populus dicunt

Aeterne Deus, Pater caelestis,
qui nos clementer accepisti viventia membra

Filii tui Salvatoris nostri Iesu Christi,
et spirituali cibo nos pascere dignatus es
in Sacramento Corporis et Sanguinis eius:
Nunc in pace nos mitte in mundum,
et concede nobis virtutem et fortitudinem
ad te diligendum et tibi serviendum
cum exsultatione et sinceritate cordis;
per Christum Dominum nostrum. Amen.

vel

Omnipotens aeterne Deus,
tibi gratias agimus,
quod nos pascere dignatus es spirituali cibo
pretiosissimi Corporis et Sanguinis
Filii tui Salvatoris nostri Iesu Christi;
quodque nos certos reddis in his sacrosanctis mysteriis
ut viventia membra simus Corporis Filii tui,
atque heredes simus regni aeterni tui.
Nunc supplices rogamus, Pater,
ut nos mittas ad faciendum opus
quod nobis praeparasti,
ad te diligendum et ministrandum,
testes fideles Christi Domini nostri;
Cui cum Spiritu Sancto, et tibi
sit omnis honor et gloria
nunc et in saecula. Amen.

Episcopus si praesens, aut Presbyter, populum benedicat

Diaconus, aut Celebrans, populum dimittit cum his verbis

Diaconus Procedamus in nomine Christi.
Populus Deo gratias.

vel

Diaconus Ite in pace, ut Dominum diligis ac serviatis.
Populus Deo gratias.

vel

Diaconus Procedamus in mundum, gaudentes in virtute Spiritus.
Populus Deo gratias.

vel

Diaconus Benedicamus Domino.
Populus Deo gratias.

A Vigilia Paschali usque ad Dominicam Pentecostes "Alleluia, alleluia" coniungatur ad dimissionem.

Populus sic respondeat Deo gratias. Alleluia, alleluia.

Formulae Alterae
Magnae Gratiarum Actionis

Prex Eucharistica B

Populus usque stet. Celebrans, sive episcopus sive presbyter, versus ad eos, canit aut dicit

Dominus vobiscum.
Populus Et cum spiritu tuo.
Celebrans Sursum corda.
Populus Habemus ad Dominum.
Celebrans Gratias agamus Domino Deo nostro.
Populus Dignum et iustum est.

Deinde, versus ad Mensam Sanctam, Celebrans cum Praefatione pergit.

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine, sancte Pater, omnipotens, aeterne Deus:

Omnibus Dominicis hic Propria Praefatio canitur vel dicitur, et aliis occasionibus sicut assignatis.

Et ideo cum angelis et archangelis, cum thronis et dominationibus, cumque omni militia caelestis exercitus, hymnum gloriae tuae canimus, sine fine dicentes:

Celebrans et Populus

Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus Sabaoth.
Pleni sunt caeli et terra gloria tua.
Osanna in excelsis.
Benedictus qui venit in nomine Domini.
Osanna in excelsis.

Deinde, populo stante vel genuflexo, Celebrans pergit

Tibi gratias agimus, Deus, propter bonitatem et caritatem quas nobis in creatione exhibuisti; in Israel plebis tuae vocatione; in Verbo tuo per prophetas locuto; et maxime in Verbo carne facto, Iesu Filio tuo. Quem, in his novissimis diebus, incarnatum ex Maria Virgine, nobis misisti Salvatorem et Redemptorem mundi. In quo, nos liberasti a malo et dignos habuisti astare coram te. In quo, nos ex errore in veritatem, ex peccato in iustitiam, ex morte in vitam tulisti.

Ad verba sequentia de pane, Celebrans eum in manus accipiat, vel ei manum imponat; et ad verba de calice, eum in manum accipiat, etiam quidque vasum quo insit vini aliquod consecrandi, vel eis manum imponat.

Qui nocte antequam pro nobis mortuus est accepit panem; et tibi gratias agens, fregit, deditque discipulis suis dicens, "Accipite et manducate: Hoc est enim Corpus meum, quod pro vobis datur. Hoc facite in meam commemorationem."

Simili modo, postquam cenatum est, accepit calicem; et gratias agens, dedit illis, dicens, "Bibite ex eo omnes: Hic est enim Sanguis meus Novi Testamenti, qui pro vobis et pro multis effunditur, in remissionem peccatorum. Hoc facite, quotiescunque biberitis, in meam commemorationem."

Unde, secundum mandatum eius, Pater:

Celebrans et Populus dicunt

Mortem eius recordamur,
et resurrectionem confitemur,
exspectantes eum in gloria adventurum;

Deinde Celebrans pergit

Et tibi, Domine omnium, ex creatione tua hunc panem et vinum donantes, sacrificium nostrum laudis et gratiarum actionis offerimus.

Mitte, clementissime Deus, quaesumus, Spiritum Sanctum tuum in has oblationes ut Sacramentum Corporis Christi et Sanguinis fiant novi Testamenti. Nos cum Filio tuo in sacrificio eius consocia ut, per Spiritum Sanctum sanctificati, per eum accepti fiamus. Cum plenitudo temporis venerit, omnia sub Christum subiice, et adfer nos ad illam patriam caelestem ubi, cum [_____, et] omnibus sanctis, hereditatem filiorum tuorum adeamus; per Iesum Christum Dominum nostrum, primogenitum omnis creaturae, caput Ecclesiae, et causam salutis nostrae.

Per ipsum, et cum ipso, et in ipso, est tibi Deo Patri omnipotenti, in unitate Spiritus Sancti, omnis honor et gloria, per omnia saecula saeculorum. *AMEN.*

Praeceptis salutaribus moniti, et divina institutione formati, audemus dicere,

Deinde dicitur Pater Noster (in pagina 364 Libri Precum Publicarum)

Prex Eucharistica C

In hac oratione, versus in italicis a Populo recitantur.

Populus usque stet. Celebrans, sive episcopus sive presbyter, versus ad eos, canit aut dicit

Dominus vobiscum.
Populus Et cum spiritu tuo.
Celebrans Sursum corda.
Populus Habemus ad Dominum.
Celebrans Gratias agamus Domino Deo nostro.
Populus Dignum et iustum est.

Deinde, versus ad Mensam Sanctam, Celebrans cum Praefatione pergit.

Omnipotens Deus, Rex Universi, dignus es gloriam et laudem accipere.
Gloria tibi in saecula.

Mandato tuo, omnia facta sunt: magnum expansum caelorum, orbes lactaei, stellae, planetae, et haec terra fragilis, patria insula nostra.
Propter voluntatem tuam, erant et creata sunt.

Ex elementis primoribus humanum genus generasti, et nos cum donis memoriae, rationis et sollertiae beasti. Nos rectores creationis fecisti, sed discivimus a te, et fiduciam tuam prodidimus.
Miserere, Domine, quoniam in conspectu tuo peccatores sumus.

Identidem, nos tibi revocasti. Per prophetas et sapientes Legem tuam iustam revelasti. Ubi venit plenitudo temporis misisti Filium tuum, factum ex muliere,
ut expleverit Legem tuam, et nobis viam libertatis et pacis aperuerit.
Sanguine suo, nos reconciliavit.
Livore eius, sanati sumus.

Et ideo, laudamus te, nos iungentes cum choro caelesti,
cum prophetis, apostolis et martyribus, cum omnibus in omni saeculo qui spe tibi conversi sunt, ad annuntiandum cum eis gloriam tuam, sine fine dicentes:

Celebrans et Populus

Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus Sabaoth.
Pleni sunt caeli et terra gloria tua.
Osanna in excelsis.
Benedictus qui venit in nomine Domini.
Osanna in excelsis.

Deinde, populo stante vel genuflexo, Celebrans pergit

Itaque, coram te, Pater, nos qui per eum redempti sumus, et ex aqua et Spiritu Sancto nova plebs facti sumus, haec dona offerimus. Quae sanctifica, quaesumus, per Spiritum Sanctum tuum ut Corpus et Sanguis fiant Domini nostri Iesu Christi.

Ad verba sequentia de pane, Celebrans eum in manus accipiat, vel ei manum imponat; et ad verba de calice, eum in manum accipiat, etiam quidque vasum quo insit vini aliquod consecrandi, vel eis manum imponat.

Qui eadem nocte qua tradebatur, accepit panem; et benedixit, fregit,
deditque amicis suis, dicens, "Accipite et manducate: Hoc est enim Corpus meum, quod pro vobis datur. Hoc facite in meam commemorationem."

Simili modo, postquam cenatum est, accepit vini calicem;
gratias egit, et dixit, "Bibite ex eo omnes: Hic est enim Sanguis meus Novi Testamenti, qui pro vobis et pro multis effunditur, in remissionem peccatorum. Hoc facite, quotiescunque biberitis, in meam commemorationem."

Nunc memores operis eius redemptionis, et tibi offerentes hoc sacrificium laudis,
Mortem eius et resurrectionem celebramus,
diem adventus eius expectantes.

Domine Deus Patrum; Deus Abrahae, Isaac, et Iacobi; Deus Pater Domini nostri Iesu Christi: Oculos nostros aperi ad conspiciendum manum tuam in mundo circa nos operantem. Libera nos ab arrogantia adveniendi nostri ad hanc Mensam ut solatium tantum accipiamus, sed non virtutem; veniam tantum, sed non renovationem. Gratia huius Sanctae Communionis nos faciat unum corpus, unum spiritum in Christo, ut mundo digne serviamus in nomine eius.
Domine Resurrecte, nobis in fractione Panis cognoscas.

Suscipe, Pater, has orationes et laudes, per Iesum Christum Pontificem magnum nostrum, cui, tecum et cum Spiritu Sancto, Ecclesia tua honorem, gloriam, et cultum adfert, per omnia saecula saeculorum. *AMEN.*

Praeceptis salutaribus moniti, et divina institutione formati, audemus dicere,

Deinde dicitur Pater Noster (in pagina 364 Libri Precum Publicarum)

Prex Eucharistica D

Populus usque stet. Celebrans, sive episcopus sive presbyter, versus ad eos, canit aut dicit

Dominus vobiscum.
Populus Et cum spiritu tuo.
Celebrans Sursum corda.
Populus Habemus ad Dominum.
Celebrans Gratias agamus Domino Deo nostro.

Populus Dignum et iustum est.

Deinde, versus ad Mensam Sanctam, Celebrans cum Praefatione pergit.

Vere dignum est tibi gratias agere, vere iustum est te glorificare, Pater sancte, quia unus es Deus vivus et verus, qui es ante saecula et permanes in aeternum, inaccessibilem lucem inhabitans;

Sed et qui unus bonus atque fons vitae cuncta fecisti, ut creaturas tuas benedictionibus adimpleres multasque laetificares tui luminis claritate.

Et ideo coram te innumerae astant turbae angelorum, qui die ac nocte serviunt tibi et, vultus tui gloriam contemplantes, te incessanter glorificant. Cum quibus et nos et, per nostram vocem, omnis quae sub caelo est creatura Nomen tuum in exsultatione confitemur, canentes:

Celebrans et Populus

Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus Sabaoth.
Pleni sunt caeli et terra gloria tua.
Osanna in excelsis.
Benedictus qui venit in nomine Domini.
Osanna in excelsis.

Deinde, populo stante vel genuflexo, Celebrans pergit

Confitemur tibi, Pater sancte, quia magnus es et omnia opera tua in sapientia et caritate fecisti. Hominem ad tuam imaginem condidisti, eique commisisti mundi curam universi, ut, tibi soli Creatori serviens, creaturis omnibus imperaret. Et cum amicitiam tuam, non oboediens, amisisset, non eum dereliquisti in mortis imperio. Omnibus enim misericorditer subvenisti, ut te quaerentes invenirent. Sed et foedera pluries hominibus obtulisti eosque per prophetas erudisti in exspectatione salutis.

Et sic, Pater sancte, mundum dilexisti, ut, completa plenitudine temporum, Unigenitum tuum nobis mitteres Salvatorem. Qui, incarnatus de Spiritu Sancto et natus ex Maria Virgine, in nostra condicionis forma est conversatus per omnia absque peccato; salutem evangelizavit pauperibus, redemptionem captivis, maestis corde laetitiam. Ut tuam vero dispensationem impleret, in mortem tradidit semetipsum ac, resurgens a mortuis, mortem destruxit vitamque renovavit.

Et, ut non amplius nobismetipsis viveremus, sed sibi qui pro nobis mortuus est atque surrexit, a te, Pater, misit Spiritum Sanctum primitias credentibus, qui, opus suum in mundo perficiens, omnem sanctificationem compleret.

Ad verba sequentia de pane, Celebrans eum in manus accipiat, vel ei manum imponat; et ad verba de calice, eum in manum accipiat, etiam quidque vasum quo insit vini aliquod consecrandi, vel eis manum imponat.

Ipse enim, cum hora venisset ut glorificaretur a te, Pater sancte, ac dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos: et cenantibus illis accepit panem, et tibi gratias agens fregit, deditque discipulis suis, dicens, "Accipite et manducate: Hoc est enim Corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem."

Simili modo accipens calicem, ex genimine vitis repletum, gratias egit, deditque discipulis suis, dicens, "Bibite ex eo omnes: Hic est enim Sanguis meus novi Testamenti, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Hoc facite, quotiescunque biberitis, in meam commemorationem."

Unde et nos, Domine, redemptionis nostrae memoriale nunc celebrantes, mortem Christi eiusque decensum ad inferos recolimus, eius resurrectionem et ascensionem ad tuam dexteram profitemur, expectantes ipsius adventum in gloria; et offerentes tibi, ex donis tuis nobis donatis, hunc panem et calicem, laudamus te et benedicimus te.

Celebrans et Populus dicunt

Laudamus te, benedicimus te,
gratias agimus tibi,
et supplicamus tibi, Domine Deus noster.

Deinde Celebrans pergit

Quaesumus, Domine, ut in tua bonitate et misericordia Spiritus Sanctus tuus super nos descendat, et super haec munera, illa sanctificans manifestansque sancta sanctis, panem vitae et calicem salutis, Corpus et Sanguinem Filii tui Iesu Christi.

Concede benignus omnibus qui ex hoc uno pane participabunt et calice, ut, in unum corpus a Sancto Spiritu congregati, in Christo hostia viva perficiantur, ad laudem gloriae tuae.

Recordare, Domine, Ecclesiae tuae unius sanctae catholicae et apostolicae, per sanguinem Christi tui redemptae, ut unitatem eius reveles, fidem custodias, et eam in pace conserves.

[Omnium recordare, qui in Ecclesia tua ministrant: (in primis famuli tui, Episcopi Praesidentis nostri *N.*, Episcopi nostri *N.*, et Episcoporum ordinis universi, sed et totius cleri.)]

[Recordare cuncti populi tui, et omnium qui te quaerunt corde sincero.]

[Recordare, _____ .]

[Memento etiam illorum, qui obierunt in pace Christi tui, et omnium defunctorum, quorum fidem tu solus cognovisti.]

Nobis omnibus concede, ut caelestem hereditatem consequi valeamus cum beata Virgine Maria, cum patriarchis et prophetis, cum apostolis et martyribus, cum omnibus sanctis qui

olim invenerunt gratiam apud te, quibuscum in communione te laudamus et glorificamus per Iesum Christum Dominum nostrum Filium tuum.

Per ipsum, et cum ipso, et in ipso, est tibi Deo Patri omnipotenti, in unitate Spiritus Sancti, omnis honor et gloria per omnia saecula saeculorum. *AMEN*.

Praeceptis salutaribus moniti, et divina institutione formati, audemus dicere,

Deinde dicitur Pater Noster (in pagina 364 Libri Precum Publicarum)

Sententiae ad Offertorium

Ut supra in Ritu I

Propriae Praefationes

Ut supra in Ritu I

Orationes Populi

Formula I

Diaconus vel alius dicit

Toto corde et tota mente, Dominum deprecemur, dicentes, Kyrie eleison.

Pro pace caelesti, et misericordia Dei, et salute animarum nostrarum, Dominum deprecemur.
Kyrie eleison.

Pro pace mundi, et salute Ecclesiae sanctae Dei, et unitate omnium gentium, Dominum deprecemur.
Kyrie eleison.

Pro Episcopo nostro, et universo clero cum populo, Dominum deprecemur.
Kyrie eleison.

Pro Praesidente nostro, ductoribus nationum, et omnibus magistratibus, Dominum deprecemur.
Kyrie eleison.

Pro hac urbe, omnibus communitatibus, et pro omnibus in eis inhabitantibus, Dominum deprecemur.
Kyrie eleison.

Pro caelo opportuno, et frugibus abundantibus, Dominum deprecemur.
Kyrie eleison.

Pro terra bona a Deo data, et pro nobis ut sapientiam et voluntatem ad eam conservandam habeamus, Dominum deprecemur.
Kyrie eleison.

Pro eis qui iter per terram, per aquam, et per caelum faciunt, Dominum deprecemur.
Kyrie eleison.

Pro senibus et infirmis, viduis et orbis, atque aegris et afflictis, Dominum deprecemur.
Kyrie eleison.

Pro _____ , Dominum deprecemur.
Kyrie eleison.

Pro pauperibus et oppressis, laboris privatis et egentibus, captivis vel in carcere detentis, et omnibus hos curantibus, Dominum deprecemur.
Kyrie eleison.

Pro omnibus in spe resurrectionis obitis, et omnibus defunctis, Dominum deprecemur.
Kyrie eleison.

Pro liberatione a cunctis periculis, violentiis, iniuriis, et ignominiis, Dominum deprecemur.
Kyrie eleison.

Pro absolutione et remissione omnium peccatorum nostrorum et offensionum, Dominum deprecemur.
Kyrie eleison.

Ut in fide et in spe vitas nostras conficiamus, sine dolore et sine opprobrio, Dominum deprecemur.
Kyrie eleison.

Custodi nos, libera nos, et in misericordia tua protege nos, Domine, per gratiam tuam.
Kyrie eleison.

In communione [_____, et omnium] sanctorum, nosmetipsos et totam vitam nostram Christo Deo nostro commendemus.
Tibi, Domine Deus noster.

Silentium.

Celebrans Collectam ad finem addit.

Formula II

In silentio post quodque iussum, Populus orationes suas offerunt, vel secreto vel clare.

Preces vestras requiro pro plebe Dei per totum orbem terrarum dispersa; pro Episcopo (Episcopis) _____ ; pro hac congregatione; et pro omnibus ministris et fidelibus.
Orate pro Ecclesia.

Silentium.

Preces vestras requiro pro pace; pro bona voluntate inter nationes; et pro salute omnium hominum.
Orate pro iustitia paceque.

Silentium.

Preces vestras requiro pro pauperibus, infirmis, esurientibus, oppressis, et in carcere detentis.
Orate pro eis qui sunt in angustiis vel periculis constituti.

Silentium.

Preces vestras requiro pro omnibus quaerentibus Deum, vel cognitionem eius altiorem.
Orate ut illum inveniant et inveniantur ab illo.

Silentium.

Preces vestras requiro pro defunctis [praesertim _____].
Orate pro eis qui obiverunt.

Silentium.

Congregati preces vel gratiarum actiones ex praesentibus requirant, dicentes

Preces vestras requiro pro _____ .

Gratiarum actionem vestram requiro pro _____ .

Silentium.

Laudate Deum propter eos in omnibus aetatibus in quibus Christus honoratus est [praesertim _____ hodie commemoratum (*vel* commemoratam)].
Orate ut gratiam habeamus ad glorificandum Christum in nostra aetate.

Silentium.

Celebrans cum Collecta concludit.

Formula III

Ductor et Populus orant cum versiculis et responsionibus

Pater, oramus pro sancta Ecclesia Catholica tua;
Ut unum simus.

Concede ut omne membrum Ecclesiae vere et humiliter tibi serviat;
Ut Nomen tuum ab omnibus hominibus glorificetur.

Oramus pro omnibus episcopis, presbyteris, et diaconis;
Ut ministri fideles sint Verbi tui et Sacramentorum.

Oramus pro omnibus gubernatoribus et magistratibus in nationibus mundi;
Ut in mundo iustitia sit et pax.

Da nobis gratiam ad faciendum voluntatem tuam in omnibus nostris operibus;
Ut opera nostra in conspectu tuo placeant.

Miserere eorum qui propter dolorem vel adverstitatem patiuntur;
Ut ab afflictione sua liberentur.

Requiem aeternam dona defunctis;
Et lux perpetua luceat eis.

Laudamus te pro sanctis tuis qui in gaudium introierunt;
Nos quoque participes simus regni caelestis tui.

Oremus pro necessitatibus nostris et illis aliorum.

Silentium.

Populus petitiones suas addat.

Celebrans cum Collecta concludit.

Formula IV

Diaconus vel alius dicit

Oremus pro Ecclesia et pro mundo.

Omnipotens Deus, concede ut omnes Nomen tuum confitentes in veritate tua coniungantur, in caritate tua vivant, et gloriam tuam manifestent in mundo.

Silentium.

Domine, in misericordia tua
Suscipe deprecationem nostram.

Dirige populum huius terrae, et omnium nationum, in vias iustiae pacisque; ut nos invicem honoremus et bono publico serviamus.

Silentium.

Domine, in misericordia tua
Suscipe deprecationem nostram.

Dona nobis reverentiam terrae, creationis tuae ipsius, ut copiis eius recte utamur ad ministrandos alios et ad honorem tuam gloriamque.

Silentium.

Domine, in misericordia tua
Suscipe deprecationem nostram.

Benedic omnes quorum vitae arte cum nostris coniunctae sunt, et concede ut Christo in illis serviamus, et invicem diligamus sicut nos diligit.

Silentium.

Domine, in misericordia tua
Suscipe deprecationem nostram.

Consolare sanaque omnes patientes in corpore, mente, vel anima; da eis fortitudinem et spem in mediis adversitatibus eorum, et fer eis laetitiam salutis tuae.

Silentium.

Domine, in misericordia tua
Suscipe deprecationem nostram.

Ad misericordiam tuam commendamus omnes defunctos, ut voluntas tua pro eis expleatur; et oramus ut participes simus, cum omnibus sanctis, regni tui aeterni.

Silentium.

Domine, in misericordia tua
Suscipe deprecationem nostram.

Celebrans cum Collecta concludit.

Formula V

Diaconus vel alius dicit

In pace Dominum deprecemur, dicentes, Kyrie eleison.

Pro Ecclesia sancta Dei, ut veritate et caritate impleatur, et sine crimine in die adventus tui inveniatur, te, Domine, deprecamur.

Ad hoc et post omnem petitionem Populus respondit, dicens

Kyrie eleison.

Pro *N*. Episcopo Praesidenti nostro, pro *N*. Episcopo nostro (*vel* Episcopis nostris), pro omnibus episcopis et aliis ministris, et pro cuncta plebe sancta Dei, te, Domine, deprecamur.

Pro omnibus Deum timentibus, et in te, Domine Christe, credentibus, ut discidia nostra desistant, et omnes unum sint sicut tu et Pater unum estis, te, Domine, deprecamur.

Pro missione Ecclesiae, ut fideliter testificans Evangelium praedicet ad fines terrarum, te, Domine, deprecamur.

Pro nondum credentibus, et pro eis qui fidem perdiderunt, ut lucem Evangelii accipiant, te, Domine, deprecamur.

Pro pace mundi, ut spiritus diligens et patientiens in nationibus et gentibus crescat, te, Domine, deprecamur.

Pro magistratibus [praesertim _____], ut iustitiae serviant, et dignitatem libertatemque omnis hominis foveant, te, Domine, deprecamur.

Pro omnibus in hac civitate inhabitantibus et laborantibus [praesertim _____], te, Domine, deprecamur.

Pro benedictione super omnem laborem humanum, et pro usu recto copiarum creationis, ut mundus ab paupertate, fame, et calamitatibus liberetur, te, Domine, deprecamur.

Pro pauperibus, oppressis, infirmis, et omnibus patientibus; pro fugis, in carcere detentis, et omnibus in periculo; ut alleventur et protegantur, te, Domine, deprecamur.

Pro *hac congregatione* [pro praesentibus et absentibus], ut a duritia cordis liberemur, et gloriam tuam manifestemus in omnibus operibus nostris, te, Domine, deprecamur.

Pro inimicis nostris et eis qui nobis nocere volunt; et pro omnibus quos laesimus vel offendimus, te, Domine, deprecamur.

Pro nobis ipsos; pro remissione peccatorum nostrorum, et pro gratia Sancti Spiritus ad emendandas vitas nostras, te, Domine, deprecamur.

Pro omnibus ad orationes nostras commendatis; pro familiis nostris, amicis, et proximis; ut ab anxietate liberati, in laetitia, pace, saluteque vivant, te, Domine, deprecamur.

Pro _____ , te, Domine, deprecamur.

Pro omnibus in communione Ecclesiae tuae defunctis, et omnibus quorum fidem tu solus cognovisti, ut, cum omnibus sanctis, in illo loco requiescant, ubi luctus ultra non est neque dolor, sed vita sempiterna, te, Domine, deprecamur.

In communione gaudentes [semper beatae Mariae Virginis, (*beati* vel *beatae N.*) et] omnium sanctorum, nosmetipsos et totam vitam nostram Christo Deo nostro commendemus.
Tibi, Domine Deus noster.

Silentium.

Celebrans cum Collecta concludit, vel sequenti

Quia tua est maiestas, O Pater, et Fili, et Spiritus Sancte;
tuum est regnum, et potestas, et gloria,
nunc et in saecula saeculorum. *Amen.*

Fomula VI

Ductor et Populus orant cum versiculis et responsionibus

In pace, te deprecamur, Domine Deus.

Silentium

Pro omnibus in vita quotidiana eorum et operibus;
Pro familiis nostris, amicis, et proximis, et pro solitariis.

Pro hac civitate, natione, et pro mundo;
Pro omnibus iustitiam, libertatem, pacemque sectantibus.

Pro iusto idoneoque usu creationis tuae;
Pro victimis famis, timoris, iniustitiae, et oppressionis.

Pro omnibus constitutis in periculo, dolore, vel aliquo genere adversitatis;
Pro eis qui infirmis, amicorum inopibus, et egentibus ministrant.

Pro pace ac unitate Ecclesiae Dei;
Pro omnibus Evangelium praedicantibus, et omnibus Veritatem quaerentibus.

Pro [*N.* Episcopo Praesidenti nostro, et *N.* (*N.*) Episcopo nostro (*vel* Episcopis nostris); et pro] omnibus episcopis et aliis ministris;
Pro omnibus Deo servientibus in eius Ecclesia.

Pro necessitatibus propriis huius congregationis.

Silentium

Populus petitiones suas addant

Domine, audi nos;
Quia magna est misericordia tua.

Tibi gratias agimus, Domine, pro omnibus bonis huius vitae.

Silentium

Populus gratiarum actiones suas addant

Te, Deus Rex noster, exaltabimus;
Et laudabimus Nomen tuum in saecula saeculorum.

Oramus pro omnibus defunctis, ut locum in regno tuo aeterno habeant.

Silentium

Populus petitiones suas addant

Domine, misericordia tua sit super eos;
Qui tibi fidunt.

Te deprecamur etiam pro remissione peccatorum nostrorum.

Silentium sequatur

Ductor et Populus

Miserere nobis, clementissime Pater;
in misericordia tua, dimitte nobis peccata nostra,
cognita et incognita,
operis et omissionis;
et sic nos sustine per Spiritum tuum
ut vivamus et tibi serviamus in novitate vitae,
ad honorem et gloriam Nominis tui;
per Iesum Christum Dominum nostrum. Amen.

Celebrans cum absolutione vel Collecta apta concludit.

Collecta ad finem Orationum

1

Domine, adesto piis Ecclesiae tuae precibus; et praesta, ut, quod fideliter petimus, efficiter consequamur, ad gloriam Nominis tui; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

2

Pater caelestis, qui in Nomine Filii tui quod rogamus exaudire promisisti: Suscipe, quaesumus, et exple deprecationes nostras, neque ut in ignorantia nostra petamus, neque ut in improbitate nostra mereamur, sed ut nos cognovisti et diligis in Filio tuo Iesu Christo Domino nostro. *Amen.*

3

Omnipotens aeterne Deus, qui omnes in caelo et terra gubernas: Adesto piis plebis tuae precibus, et confirma nos ad faciendam voluntatem tuam; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

4

Omnipotens Deus, cui patet quod opus sit nobis anteaquam petamus: Adiuva nos ad rogandum solum quod est secundum voluntatem tuam; et illa bona quae petere non audemus, et pro caecitate nostra non possumus, tu ea nobis largiri digneris; propter dignitatem Filii tui Iesu Christi Domini nostri. *Amen.*

5

Domine Deus noster, suscipe pias deprecationes plebis tuae; in abundantia misericordiae tuae, clementer respice nos et omnes qui, auxilium quarentes, ad te convertuntur; quia tu es benignus, animas diligens, et tibi gloriam tribuimus, Pater, et Fili, et Spiritus Sancte, nunc et in saecula. *Amen.*

6

Domine Iesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis: pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: ne respicias peccata nostra, sed fidem Ecclesiae tuae; eamque secundum voluntatem tuam pacificare et coadunare digneris; qui vivis et regnas, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

7

Accelera, Domine, adventum regni tui; et concede nobis, famulis tuis, qui nunc ex fide vivimus, ut Filium tuum adventum in maiestate gloriosa laete conspiciamus; per Iesum Christum, Mediatorem nostrum unicum et Advocatum. *Amen.*

8

Omnipotens Deus, qui nos unum cum sanctis tuis in caelo et in terra Spiritu Sancto tuo fecisti: Concede propitius ut, in peregrinatione terrestri nostra, hac caritatis precumque communione semper adiuvemur, atque nos ipsos testimonio potestati et misericordiae tuae eorum circumdatos esse cognoscamus; per Dominum nostrum Iesum Christum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Communio in Temporibus Singularibus

Haec forma destinata est ad usum cum eis qui propter causam rationalem in celebratione publica Eucharistiae adesse non possunt.

Cum homines diu adesse non possint, decet ut sacerdos se disponat ad celebrandam Eucharistiam interdum in ordine cum eis, Proprio Diei utens, vel uno designato pro Occasionibus Diversis. Si opus est abbreviare liturgiam, licet ut sacerdos celebrationem incipiat cum Offertorio, sed decet imprimis recitare lectionem ex Evangelio.

In aliis temporibus, vel cum optetur, hi communicentur ex Sacramento reservato, cum usu formae sequentis.

Decet parochienses socios cum eis, et cognatos, et amicos adesse, si possunt, ad communicandum.

Celebrans, sive sacerdos sive diaconus, recitat lectionem Scripturae aptam ad diem vel ad occasionem, vel unam ex sequentibus

Sic enim dilexit Deus mundum ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam aeternam. *Ioh 3:16*

Dixit autem eis Iesus, Ego sum panis vitae; qui veniet ad me non esuriet, et qui credit in me non sitiet umquam. *Ioh 6:35*

Dixit Iesus, Ego sum panis vivus qui de caelo descendi; si quis manducaverit ex hoc pane vivet in aeternum; et panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita. Caro enim mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem in me manet et ego in illo. *Ioh 6:51-52, 56-57*

Dixit Iesus, Manete in me et ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semet ipso nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis. Ego sum vitis vos palmites. In hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum adferatis, et efficiamini mei discipuli. Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos; manete in dilectione mea. *Ioh 15:4-5a, 8-9*

Post Lectionem, Celebrans breviter explicet.

Orationes aptae offerantur, cum sequenti terminantes vel cum alia Collecta.

Omnipotens Pater, cuius dilectus Filius, in nocte ante passionem, Sacramentum sui Corporis et Sanguinis instituit: Concede propitius ut idem grate accipiamus in memoriam eius qui in his sacrosanctis mysteriis pignus aeternae vitae nobis donat; per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Confessio Peccati sequatur. Sequens vel alia forma adhibeatur.

Clementissime Deus,
confitemur quia peccavimus in te
cogitatione, verbo, et facto,
opere et omissione.
Te non ex animo dileximus;
Neque proximos nostros sicut nos ipsos.
Vere nos paenitet et humiliter paenitentiam agimus.
Propter Filium tuum Iesum Christum,
miserere nobis et dimitte peccata nostra;
ut in voluntate tua gaudeamus,
et in viis tuis ambulemus,
ad gloriam Nominis tui. Amen.

Sacerdos solus pronuntiat

Misereatur vestri Omnipotens Deus, dimittat vobis omnia peccata vestra per Christum Dominum nostrum, confirmet in omni bono, et virtute Spiritus Sancti ad vitam perducat aeternam.. *Amen.*

Diaconus, hac forma utens, supponit "nostri" pro "vestri" et "nobis" pro "vobis."

Deinde Pax Domini *dicatur*

Oratio Dominica dicitur, Celebrante incipiente

Oremus cum verbis quae Salvator noster Christus nos docuit.

Pater noster, qui es in caelis,
  sanctificetur nomen tuum,
  adveniat regnum tuum,
  fiat voluntas tua,
    sicut in caelo et in terra.
Panem nostrum quotidianum da nobis hodie,
Et dimitte nobis debita nostra,
  sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.

Et ne nos inducas in tentationem,
sed libera nos a malo.
Quia tuum est regnum, et potestas, et gloria
in saecula. Amen.

Celebrans dicat Invitationem sequentem

Dona Dei pro Plebe Dei.

et addat Accipite haec, in memoriam quod Christus mortuus sit pro vobis: fide illum edite, in cordibus vestris, cum gratiarum actione.

Sacramentum ministratur cum his vel aliis verbis

Corpus (Sanguis) Domini nostri Iesu Christi custodiat te in vitam aeternam. [*Amen.*]

Una ex orationibus consuetis post communionem dicitur, vel sequens

Clementissime Pater, tibi laudes et gratiarum actiones offerimus propter hanc Sacram Communionem Corporis et Sanguinis dilecti Filii tui Iesu Christi, pignus redemptionis nostrae; et oramus ut nobis ferat veniam peccati nostri, virtutem in infirmitate nostra, et salutem aeternam; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Liturgia concluditur cum benedictione vel dimissione

Benedicamus Domino.
Deo gratias.

Ordo ad Celebrandum Sanctam Eucharistiam

Hic ritus praeparatione accurata eget a Sacerdote et aliis participibus.

Non est destinatus ad usum pro celebatione principali Dominicali vel hebdomadali Sanctae Eucharistiae.

Populus et Sacerdos

Congregant in Nomine Domini

Pronuntiant Verbum Dei et Respondent

Pronuntiatio et responsio includant lectiones, cantus, colloquium, saltatus, musica, alias formas artis, silentium. Lectio ex Evangelio semper includitur.

Orant pro Mundo et Ecclesia

Pacem Offerunt

Hic vel alibi in officio, omnes inter se salutent in nomine Domini.

Mensam Parant

Quidam praesentes mensam parant; super quam panis, calix vini, et aliae oblationes ponuntur.

Gratias Agunt

Magna Gratiarum Actio a Sacerdote dicitur in nomine congregationis, secundum unam ex precibus eucharisticis praebitis.

Populus respondet, dicens, Amen!

Panem Fregunt

Dona Dei Partiunt

Corpus et Sanguis Domini in modo pio ministrantur; postquam omnes communicaverunt, aliquod Sacramentum restans consumetur.

Cum cena publica, vel Agapé, in celebratione includitur, hic sequitur.

Ad Magnam Gratiarum Actionem

In Gratias Agendo, Celebrans utitur una ex Precibus Eucharisticis in Ritu Primo vel Ritu Secundo datis, vel una ex formis sequentibus.

Forma 1

Celebrans Dominus vobiscum.
Populus Et cum spiritu tuo.
Celebrans Sursum corda.
Populus Habemus ad Dominum.
Celebrans Gratias agamus Domino Deo nostro.
Populus Dignum et iustum est.

Celebrans Deo Patri gratias agit pro opere eius in creatione et pro revelatione ipsius ad populum eius;

Coram Deo recordatur, si decet, occasionem peculiarem quae celebratur;

Includit vel aptat Propriam Praefationem diei, si velit.

Si Sanctus includitur, introducitur cum his vel similibus verbis

Et ideo, nos cum sanctis et angelis iungimus in pronuntiando gloriam tuam, canentes (dicentes),

Celebrans et Populus

Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus Sabaoth.
Pleni sunt caeli et terra gloria tua.
Osanna in excelsis.
Benedictus qui venit in nomine Domini.
Osanna in excelsis.

Nunc Celebrans Deum laudat pro salute mundi per Iesum Christum Dominum nostrum.

Prex pergitur cum his verbis

Supplices ergo te, Domine, deprecamur, ut haec munera, quae tibi sacranda detulimus, Spiritu Sancto sanctificare digneris, ut Corpus et Sanguis fiant nobis Domini nostri Iesu Christi.

Ipse enim in qua nocte qua tradebatur accepit panem et benedixit, fregit, deditque amicis suis, dicens, "Accipite et manducate: Hoc est enim Corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem."

Simili modo, postquam cenatum est, accipiens calicem, et gratias egit, dicens, "Bibite ex eo omnes; Hic est enim Sanguis meus novi Testamenti, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Hoc facite, quotiescunque biberitis, in meam commemorationem."

Nunc, Pater, celebramus memoriam Filii tui. Per hunc panem sanctum et calicem, sacrificium mortis eius annuntiamus, et resurrectionem pronuntiamus, donec veniat.

Per hanc Sacram Communionem nos congrega in unum corpus in Filio tuo Iesu Christo. Fac nos sacrificium vivens laudis.

Per ipsum, et cum ipso, et in ipso, est tibi Deo Patri omnipotenti, in unitate Spiritus Sancti, omnis honor et gloria, per omnia saecula saeculorum. *AMEN.*

Forma 2

Celebrans Gratia Domini nostri Iesu Christi et caritas Dei
et communicatio Spiritus Sancti sit omnibus vobiscum.
Populus Et cum spiritu tuo.
Celebrans Sursum corda.
Populus Habemus ad Dominum.
Celebrans Gratias agamus Domino Deo nostro.
Populus Dignum et iustum est.

Celebrans Deo Patri gratias agit propter opere eius in creatione et pro revelatione ipsius ad populum eius;

Coram Deo recordatur, si decet, occasionem peculiarem quae celebratur;

Includit vel aptat Propriam Praefationem diei, si velit.

Si Sanctus includitur, introducitur cum his vel similibus verbis

Et ideo, nos cum sanctis et angelis iungimus in pronuntiando gloriam tuam, canentes (dicentes),

Celebrans et Populus

Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus Sabaoth.
Pleni sunt caeli et terra gloria tua.
Osanna in excelsis.
Benedictus qui venit in nomine Domini.
Osanna in excelsis.

Nunc Celebrans Deum laudat pro salute mundi per Iesum Christum Dominum nostrum.

In eadem nocte qua tradebatur ad passionem mortemque, Dominus noster Iesus Christus accepit panem; et tibi gratias agens, fregit, deditque discipulis suis dicens, "Accipite et manducate: Hoc est enim Corpus meum, quod pro vobis datur. Hoc facite in meam commemorationem."

Simili modo, postquam cenatum est, accepit calicem; et gratias agens, dedit illis, dicens, "Bibite ex eo omnes: Hic est enim Sanguis meus Novi Testamenti, qui pro vobis et pro multis effunditur, in remissionem peccatorum. Hoc facite, quotiescunque biberitis, in meam commemorationem."

Memores et eius passionis et mortis, celebrantes et resurrectionem et ascensionem, exspectamus adventum eius in gloria.

Accipe, Domine, sacrificium nostrum laudis, hanc memoriam redemptionis nostrae.

Mitte Spiritum Sanctum tuum in haec munera ut fiant nobis Corpus et Sanguis Filii tui. Et concede nobis qui hunc panem manducant et calicem bibant ut vita tua et bonitate impleantur.

Deinde Celebrans orat ut omnes accipiant beneficia operis Christi, et renovationem Spiritus Sancti.

Prex concluditur cum his vel similibus verbis.

Quae omnia a te petimus per Iesum Christum Filium tuum. Per ipsum, et cum ipso, et in ipso, est tibi Deo Patri omnipotenti, in unitate Spiritus Sancti, omnis honor et gloria, per omnia saecula saeculorum. *AMEN*.

Praecepta Adiuncta

Mensa Sancta mundo et albo linteamine in tempore celebrationis tecta est.

Si Litania Magna statim ante Eucharistiam canitur vel dicitur, cum *Kyrie Eleison* concluditur, et Eucharistia cum Salutatione et Collecta Diei incipitur. Tunc licet Orationes Populi post Symbolum omittere.

Psalmus introitus cum *Gloria Patri* concludatur.

Kyrie eleison canatur vel dicatur in modo triplo, vel sextuplo, vel nonuplo. Trisagion, *Sanctus Deus*, canatur vel dicatur in modo triplo, vel modo antiphonali.

Gloria in excelsis, vel hymnus suppositus, canitur vel dicitur a Die Nativitatis usque ad Festum Epiphaniae; Dominicis a Die Paschae usque ad Dominicam Pentecostes, quotidie in Hebdomade Paschali, et Die Ascensionis; et aliis temporibus ad libitum; nisi in Dominica vel feria Adventus vel Quadragesimae.

Decet Lectiones recitari ad ambonem, et Evangelium ad eundem, vel ad pulpitum, vel in media congregatione. Decet Lectiones et Evangelium recitari e libro habenti vel libris habentibus decentem magnitudinem dignitatemque.

Si linguae congregationis diversae sunt, lector a celebrante designatus Evangelium recitet secundum linguam aliam, pro Evangelio lingua principali liturgiae recitato, vel praeter Evangelium lingua principali liturgiae recitatum.

Si nulla est Communio, omnia usque ad Orationes Populi dicantur. (Si Confessio Peccati includitur, officium cum Ordine Paenitentiali incipitur.) Deinde hymnus vel antiphona canatur, et oblationes populi accipiantur. Deinde officium concludatur cum Oratione Dominica; et cum *Gratia* aut benedictione, vel cum *Pax Domini*.

In absentia sacerdotis, omnia supra data, nisi benedictio, a diacono dicantur, vel, diacono absente, a lectore laico.

Salutatio, "Pax Domini sit semper vobiscum," ad cunctam congregationem pronuntiatur. In salutatione sequenti inter singulos, quaelibet verba salutationis apta adhibeantur. Ad libitum, *Pax* dicatur ad tempus administrationis Sacramenti (ante Invitationem aut postea).

Nuntii necessarii ante liturgiam, vel post Symbolum, vel ante Offertorium, vel ad finem liturgiae annuntientur.

Diaconi opus est Mensam ad celebrationem parare, parando panem et vinum ponendoque super Mensam. Consuetum est ut paulum aquae cum vino misceatur. Diaconus ab aliis ministris adiuvetur.

In Magna Gratiarum Actione, decet in Altare calicem unicum stare et ampullam vini, si requiritur, e qua calices adiuncti post Fractionem Panis implebuntur.

Antiphona sequens ad Fractionem Panis adhibeatur:

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
miserere nobis.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
miserere nobis.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,

dona nobis pacem.

Dum populus ad Communionem accipiendum appropinquat, celebrans utroque specie Sacramentum accipit. Deinde episcopi, presbyteri, et diaconi ad Mensam Sanctam communicant, et deinde populus.

Debet cuique communicanti ut detur accipere separatim Panem consecratum et Vinum. Sed Sacramentum utroque specie simul accipiatur, iuxta modum ab episcopo approbatum.

Si celebrans a diacono vel alio sacerdote adiuvatur, consuetum est ut ministret celebrans Panem consecratum et adiutor Calicem. Si plures diaconi vel sacerdotes adsunt, quidam Panem ministant et alii Vinum. Si numerus diaconorum et sacerdotum non sufficit, laici ab episcopo secundum canonem approbati Calicem ministrent.

Si Panis consecratus vel Vinum non sufficit pro communicantibus, celebrans ad Mensam Sanctam redit, et plus unius speciei vel amborum consecrat, dicens

Exaudi nos quaesumus, caelestis Pater, et benedicere ac sanctificare digneris, per Verbum tuum et Spiritum Sanctum, hunc panem (hoc vinum), ut Sacramentum Corporis (Sanguinis)
insuper fiat Filii tui Iesu Christi Domini nostri, qui panem (calicem) accepit, dicens, "Hoc est enim Corpus meum." ("Hic est enim Sanguis meus.") *Amen.*

vel celebrans plus utriusque speciei consecret, recitans verba Precis Eucharisticae a verbis post *Sanctus*, usque ad Invocationem (vel in Prece Eucharistica C, ad historiam Institutionis).

Si ministerium sacerdotis obtineri non potest, episcopus, ad libitum, diacono potestatem det ad Sacram Communionem ministrandum e Sacramento reservato in modo sequenti:

1. Post Liturgiam Verbi (et postquam oblationes populi acceptae sunt), diaconus Sacramentum consecratum in Altare reverenter imponit, dum hymnus ad communionem canatur.

2. Deinde Oratio Dominica dicitur, diacono incipiente, "Oremus cum verbis quae Salvator noster Christus nos docuit."

3. Deinde, sine fractione Panis, diaconus cum liturgia pergit usque ad finem orationis post communionem, et deinde populum dimittit.

Si quis Panis consecratus restat, vel Vinum, nisi qui ad Communionem aegrotorum requiritur, vel aliorum qui propter rationem gravem ad celebrationem adesse non possunt, vel requiritur ad ministrationem Communionis congregationi a diacono in absentia sacerdotis, celebrans vel diaconus, et alii communicantes, reverenter illum manducant et bibunt, vel post Communionem populi vel post Dimissionem.

Hymnus ante orationem post communionem canatur, vel postea.

Rubricae Disciplinariae

Si quis ad Communionem accedere intendens fuerit manifeste criminosus; sacerdos, eius rei certior factus, advocet eum privatim et commonefaciat ne ullo modo audeat accedere ad Mensam Sanctam, donec se vitam suam revera paenitenter correxisse.

Eundem ordinem sacerdos prosequetur si quis proximum iniuria affecerit, et congregatio per eum offensa fuerit, eo Communionem accipiendum interdicens, donec pro iniuria facta satisfecisse ostenderit, vel ad minimum se hoc facturum professus fuerit.

Et quemque admonebit privatim sacerdos eorum, inter quos intelligit esse simultates ac odia, nec permittet eos Communionem accipere, donec certior redditus fuerit de eorum reconciliatione. Quod si altera pars dixerit se velle ex animo alteri ignoscere, et ei etiam satisfacere, et altera noluerit accipere satisfactionem, sacerdos admittet Communioni paenitentem, ablegato pertinace.

In tali casu, necesse est ut sacerdos episcopum certiorem faciat, ante quatuordecim dies exactos, de rationibus pro Communione retinendo.

Officia Pastoralia

De Officio

In cursu progressus Christiani, decet eos in infantia baptizatos, cum volentes et recte parati sint, affirmationem fidei maturam publicamque facere et ad officia Baptismatis sui se committere impositionemque manuum ab episcopo accipere.

Etiam eos qui ut adulti baptizati sunt, nisi baptizati cum impositione manuum episcopi, decet affirmationem publicam fidei facere et ad officia Baptismatis sui coram episcopo se committere et impositionem manuum accipere.

Cum nullum Baptisma agitur, ministrentur ritus Confirmationis, Receptionis, et Reaffirmationis Promissionum Baptismalium secundum formam infra ordinatam.

Licet canere hymnum, Gloria in excelsis, statim post versicula incipientia et ante salutationem, id est Dominus vobiscum.

Symbolum Nicaenum in hoc officio ne dicatur.

Decet ut oblationes panis et vini a novissime confirmatis offerantur.

Confirmatio
cum formulis pro Acceptatione et pro Reaffirmatione Promissionum Baptismalium

Hymnus, psalmus, vel antiphona canatur.

Populo stante, Episcopus dicit

Benedictus Deus: Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus.
Populus Et benedictum regnum eius, nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

Pro verbis supra, a Pascha usque ad Dominicam Pentecostes

Episcopus Alleluia. Christus surrexit.
Populus Surrexit Dominus vere. Alleluia.

In Quadragesima, et aliis occasionibus paenitentialibus

Episcopus Benedictus Dominus qui dimittit omnia peccata nostra.
Populus In saeculum misericordia eius.

Deinde Episcopus pergit

Unum Corpus et unus Spiritus est;
Populus Et una spes vocationis nostrae;
Episcopus Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma;
Populus Unus Deus et Pater omnium.

Episcopus Dominus vobiscum.
Populus Et cum spiritu tuo.
Episcopus Oremus.

Collecta Diei

Populus Amen.

Lectiones

Populus considit. Una lectio recitetur vel duae, sicut assignatur, Lectore incipiente

Lectio (de libro *N.* *vel* de epistola ad *N.*)

Post quamque lectionem, Lector dicat

Verbum Domini.
Populus Deo Gratias.

aut Lector dicat Hic finitur Lectio (Epistola)

Silentium sequatur.

Psalmus, hymnus, vel antiphona sequatur quamque lectionem.

Deinde, omnibus stantibus, Diaconus vel Sacerdos legit Evangelium, sic incipiens

Lectio Sancti Evangelii Domini nostri Iesu Christi
secundum (Mattheum *vel* Marcum *vel* Lucam *vel* Iohannem).
Populus Gloria tibi, Domine.

Evangelio finito, lector dicit

Evangelium Domini.
Populus Laus tibi, Christe.

Sermo

Praesentatio et Examinatio Candidatorum

Episcopus dicit

Candidati nunc praebebuntur.

Praebentes *Hos* praebeo pro Confirmatione.

vel *Hos* praebeo accipiendos in hanc Communionem.

vel *Hos* praebeo qui volunt reaffirmare suos promissiones baptismales.

Episcopus candidatos rogat

Reaffirmatis renunciationem mali?

Candidatus Reaffirmo.

Episcopus

Renovatis Iesu Christo votum?

Candidatus

Renovo, et gratia Dei eum sequar Salvatorem meum Dominumque.

Omnibus praebitis, Episcopus congregationem alloquitur, dicens

Qui has promissiones intuemini, vultis agere omnia vestra in potentia ad adiuvandum *hos* in vita *eorum* in Christo?

Populus Volumus.

Deinde Episcopus dicit, his vel similibus verbis,

Nos iungamus cum *eis* Christo se *committentibus*, testamento baptismali nostro renovando.

Testamentum Baptismale

Episcopus Creditis in Deum Patrem?
Omnes Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem caeli et terrae.

Episcopus Creditis in Iesum Christum, Filium Dei?
Omnes Credo in Iesum Christum Filium eius unicum Dominum nostrum;
Qui conceptus est de Spiritu Sancto,
natus ex Maria Virgine,
passus sub Pontio Pilato,
crucifixus, mortuus, et sepultus.
Descendit ad inferos.
Tertia die resurrexit a mortuis.
Ascendit ad caelos,
sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.
Inde venturus est iudicare vivos et mortuos.

Episcopus Creditis in Deum Spiritum Sanctum?
Omnes Credo in Spiritum Sanctum,
sanctam Ecclesiam catholicam,
sanctorum communionem,
remissionem peccatorem,
carnis resurrectionem,
et vitam aeternam. Amen.

Episcopus Vis perseverare in doctrina apostolorum et communione, in fractione panis, et in orationibus?
Omnes Volo, Deo adiuvante.

Episcopus Vis perseverare in repugnando malo, et, quotiescunque in peccatum caderitis, paenitentiam agere, et ad Dominum te revertere?
Omnes Volo, Deo adiuvante.

Episcopus Vis verbo et opere annuntiare Evangelium Dei in Christo?
Omnes Volo, Deo adiuvante.

Episcopus Vis quaerere Christum in omnibus, proximum tuum sicut teipsum diligens?
Omnes Volo, Deo adiuvante.

Episcopus Vis sectari iustitiam et pacem inter omnes, et respicere dignitatem cuiusque hominis?
Omnes Volo, Deo adiuvante.

Orationes pro Candidatis

Deinde Episcopus congregationi dicit

Oremus pro *his* qui *renovaverunt* votum Christo.

Deinde Episcopus dicit

Omnipotens Deus, tibi gratias agimus quod per mortem resurrectionemque Filii tui Iesu Christi peccatum vicisti et ad te ipsum nos adduxisti, atque per Spiritum Sanctum signando ad ministerium tuum nos obligasti. Renova in *his famulis tuis* testamentum quod cum *eis* fecisti in Baptismate *eorum*. *Eos* mitte in virtute eiusdem Spiritus ad faciendum ministerium quod pro *eis* exposuisti; per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, nunc et in saecula. *Amen*.

Ad Confirmationem

Confirma, Domine, *N*. servum tuum (*vel* ancillam tuam) Spiritu Sancto tuo; ei da potestatem ad ministerium tuum; et eum sustine omnibus diebus vitae. *Amen*.

vel

Protege, Domine, *N*. servum hunc (*vel* ancillam hanc) tua caelesti gratia, ut perseveret tuus in omnem aetatem, et in dies singulos multiplica in eo Spiritum Sanctum tuum magis magisque, donec pervenerit ad tuum regnum sempiternum. *Amen*.

Ad Acceptationem

N., te membrum noscimus unius sanctae catholicae et apostolicae Ecclesiae, et accipimus in societatem huius Communionis. Te benedicat, conservet, et custodiat Deus, Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus. *Amen.*

Ad Reaffirmationem

N., Spiritus Sanctus qui opus bonum in te incepit, te dirige sustineatque in ministerio Christi et regni eius. *Amen.*

Episcopus concludit cum hac oratione

Omnipotens et immortalis Deus, sit tua paterna manus semper super eos; sit Spiritus Sanctus tuus semper cum eis; et sic ducas eos in cognitionem et obsequium Verbi tui, ut in hac vita tibi serviant, et in vita venturi saeculi tecum inhabitent; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Deinde Pax Domini offertur

Episcopus Pax Domini sit semper vobiscum.
Populus Et cum spiritu tuo.

Officium pergitur cum Orationibus Populi vel Offertorio Eucharistiae, in qua oportet ut episcopus celebrans principalis sit.

Si nulla est celebratio Eucharistiae, officium pergitur cum Oratione Dominica et devotionibus aliis ab episcopo ordinatis.

Decet ut Episcopus oleum Chrismatis ad usum in Baptismate consecret, dicens orationem in pagina 307 [Libri Precum Publicarum].

Forma pro Dedicatione ad Ministerium Christianum

Licet uti hac forma cum quidam velit facere vel renovare dedicationem ad ministerium Christi in mundo, vel secundum condiciones generales, vel in suscipiendo opere speciali.

Necessarium est ut qui vult facere vel renovare dedicationem antea preparet, in consultatione cum celebrante, Actionem Dedicationis, quae licet esse in forma vel propositi vel catenae questionum responsionumque, et oportet semper includere reaffirmationem promissionum baptismalium.

Ante Offertorium Eucharistiae, hic a celebrante vocatus adit, et, coram congregatione stans, Actionem Dedicationis facit.

Postea Celebrans sic vel similiter dicit

Te ducat et confirmet Spiritus Sanctus, ut in hoc, et in omnibus, voluntatem Dei exsequaris in ministerio regni Christi eius. *Amen.*

In nomine huius congregationis te commendo ad hoc opus, et tibi promitto orationes nostras, confirmationem, et subsidium.

Deinde Celebrans dicit hanc orationem vel aliam aptam

Oremus.

Omnipotens Deus, benigne respice *hunc* qui nunc *reaffirmavit* dedicationem *eius* ad sequendum Christum et ad ministrandum in nomine eius. Da *ei* fortitudinem, patientiam, et visionem; et nos confirma in nostra vocatione Christiana testimonii ad mundum, et ministerii ad alios; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Oratio pro opere speciale quod ille faciet addatur.

Liturgia pergitur cum Pax Domini *et Offertorio.*

De Officio

Matrimonium Christianum est pactum sollemne publicumque inter virum et mulierem coram Deo. In Ecclesia Episcopali requiritur ut saltem unus Christianus baptizatus sit; et duo saltem testes ritum testentur; et matrimonium legibus civilibus iuribusque canonicis huius Ecclesiae accommodetur.

Presbyter vel episcopus plerumque praesidet Celebrationi et Benedictioni Nuptiarum, quoniam tales ministri solum habent pronuntiandae benedictionis nuptialis potestatem, et Sanctam Eucharistiam celebrandae.

Si et episcopus et presbyter ministrantes adsunt, oportet episcopum benedictionem pronuntiare et Eucharistiae praesidere.

Diaconus, vel sacerdos adiuvans, admonitionem dicat, Declarationem Consensionis roget, Evangelium recitet, et in Eucharistia serviat.

Si sub lege civili licet ut diaconi nuptias peragant, et nullus presbyter vel episcopus inveniatur, diaconus utatur officio sequenti, benedictionem nuptialem omittens Orationes sequentem.

Decet ut Lectio ex Veteri Testamento et Epistola a laicis recitentur.

In hortatione incipienti (in signo *N.N.*), omnia nomina eorum in matrimonio coniungendorum annuniantur. Postea, praenomina sola adhibentur.

Praecepta adiuncta in pagina 437 [Libri Precum Publicarum] dantur.

Celebratio et Benedictio Nuptiarum

Ad tempus designatum, par matrimonio coniungendum, cum testibus, in ecclesia vel alio loco apto se congregat.

Dum introeunt, hymnus, psalmus, vel antiphona canatur, vel melos.

Deinde Celebrans, versus populum et par matrimonio coniungendum, muliere ad dexteram stante et viro ad sinistram, congregationem alloquitur, dicens

Dilectissimi: hic coram Deo convenimus ut testes agentes benedicamus coniunctionem huius viri et huius mulieris in Sacro Matrimonio. Iugum pactumque matrimonii a Deo institutum est in creatione, et hunc statum vitae Dominus noster Iesus Christus sua praesentia et primo miraculo ornavit in nuptiis in Cana Galilaeae. Quod mysterium coniunctionis Christi cum Ecclesia nobis significat, et in Sacra Scriptura tamquam honorabilis in omnibus commendatur.

Coniugium uxoris et mariti in anima, corpore, et mente ad laetitiam mutuam a Deo destinatur; ad auxilium et solatium quae alter alteri donat tam in prosperis quam in adversis; et, Deo volente, ad procreationem prolis, et educationem eorum in cognitione dilectioneque Domini. Matrimonium igitur decet ingredi nec temere nec leviter, sed reverenter, prudenter, et secundum causas propter quas a Deo institutum est.

In hoc sacrosanctum coniugium ut coniungantur, *N.N.* et *N.N.* nunc adveniunt. Quare si quis iustam causam indicare possit, ob quam legitime coniungi non debeant, aut modo eloquatur, aut posthac in perpetuum taceat.

Deinde Celebrans personas coniungendas sic alloquitur

Vos iubeo et admoneo, hic coram Deo, ut si alter vestri quodvis noverit impedimentum quod matrimonium inter vos legitime, et secundum Verbum Dei, contrahendum prohibeat, modo confiteatur.

Declaratio Consensionis

Celebrans ad mulierem dicit

N., vis habere hunc virum in maritum tuum; ut in pactione matrimonii simul vivatis? Vis eum diligere, consolari, honorare et custodire sanum et infirmum, omnes alios repudiare, et illi fidelis esse, quamdiu vita utriusque vestrum duraverit?

Respondet Mulier

Volo.

Celebrans ad virum dicit

N., vis habere hanc mulierem in uxorem tuam; ut in pactione matrimonii simul vivatis? Vis eam diligere, consolari, honorare et custodire sanam et infirmam, omnes alias repudiare, et illi fidelis esse, quamdiu vita utriusque vestrum duraverit?

Respondet Vir

Volo.

Celebrans congregationem alloquitur, dicens

Qui has promissiones intuemini, vultis agere omnia vestra in potentia ad sustinendum utrosque in matrimonio?

Populus Volumus.

Si praesentatio erit vel donatio ad matrimonium, hic facitur. Vide paginam 437 [Libri Precum Publicarum].

Hymnus, psalmus, vel antiphona sequatur.

Liturgia Verbi

Deinde Celebrans populo dicit

Dominus vobiscum.
Populus Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Clementissime et immortalis Deus, qui masculum et feminam creasti nos ad imaginem tuam: Misericorditer respice hunc virum et hanc mulierem qui ad te veniunt gratiam tuam quaerentes, atque gratia tua eos adiuva, ut promissiones ac vota qui faciunt vera fidelitate et constanti caritate honorent et observent; per Iesum Christum Salvatorem nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Una ex lectionibus sequentibus Sacrae Scripturae recitatur, vel plures. Si Communio celebratur, lectio Evangelii semper Lectiones concludit.

Gen 1:26-28 (Masculum et feminam creavit eos)

Gen 2:4-9, 15-24 (Homo adherebit uxori suae et erunt duo in carne una)
Cant 2:10-13; 8:6-7 (Aquae multae non potuerunt extinguere caritatem)
Tob 8:5b-8 (Tu fecisti Adam de limo terrae dedistique ei adiutorium Evam)

I Cor 13:1-13 (Caritas patiens est, benigna est)
Eph 3:14-19 (Pater ex quo omnis paternitas in caelis et in terra nominatur)
Eph 5:1-2, 21-33 (Ambulate in dilectione sicut et Christus dilexit nos)
Col 3:12-17 (Super omnia autem haec caritatem quod est vinculum perfectionis)
I Io 4:7-16 (Diligamus invicem quoniam caritas ex Deo est)

Inter Lectiones, Psalmus, hymnus, vel antiphona canatur vel dicatur.
Psalmi apti sunt 67, Deus misereatur, 127, Nisi Dominus, et 128, Beati omnes [Vulgata 66, 126, et 127].

Cum lectio Evangelii legenda sit, Diaconus vel Minister designatus, omnibus stantibus, dicit

Lectio Sancti Evangelii Domini nostri Iesu Christi
secundum (Mattheum *vel* Marcum *vel* Lucam *vel* Iohannem).
Populus Gloria tibi, Domine.

Matt 5:1-10 (Beatitudines)
Matt 5:13-16 (Vos estis lux ... Sic luceat lux vestra)
Matt 7:21, 24-29 (Adsimilabitur viro sapienti qui aedificavit domum suam super petram)
Marc 10:6-9, 13-16 (Iam non sunt duo sed una caro)
Io 15:9-12 (Diligatis invicem sicut dilexi vos)

Evangelio finito, Lector dicit

Evangelium Domini.
Populus Laus tibi, Christe.

Homilia vel alia responsio Lectionibus sequatur.

Matrimonium

Vir, versus ad mulierem, dexteram eius dextera sua tenens, dicit

In Nomine Dei, ego, *N.*, accipio te, *N.*, in uxorem meam, ut habeam et retineam ab hoc die, tam in prosperis quam in adversis, sive ditiorem sive pauperiorem, sive sanam sive infirmam, ut te diligam et foveam, donec mors nos separaverit: quod votum meum sollemne est.

Deinde, manibus retractis, Mulier, usque versas ad virum, dexteram eius dextera sua accipit, dicens

In Nomine Dei, ego, *N.*, accipio te, *N.*, in maritum meum, ut habeam et retineam ab hoc die, tam in prosperis quam in adversis, sive ditiorem sive pauperiorem, sive sanum sive infirmum, ut te diligam et foveam, donec mors nos separaverit: quod votum meum sollemne est.

Deinde manus retrahunt.

Sacerdos sic roget benedictionem Dei super annulum vel annulos

Benedic, Domine, hunc annulum (*vel* hos annulos) ut signum sit (*vel* signa sint) votorum per quae hic vir et haec mulier inter se coniunxerunt; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Alter annulum in digito annuloferenti manus alterius ponit, dicens

N., hunc annulum tibi dono tamquam signum voti mei, et cum omnibus quae sum, et omnibus quae habeo, te honoro, in Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti (*vel* in Nomine Dei).

Deinde Celebrans, iungens dextras mariti et uxoris, dicit

N. et *N.* votis sollemnibus inter se commissos, cum manuum coniunctione et cum donatione et acceptione annuli (*vel* annulorum), pronuntio maritum et uxorem esse, in Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.

Quos Deus coniunxit, homo non separet.

Populus Amen.

Preces

Omnibus stantibus, Celebrans dicit

Oremus cum verbis quae Salvator noster nos docuit.

Populus et Celebrans dicunt

Pater noster, qui es in caelis,
  sanctificetur nomen tuum,
  adveniat regnum tuum,
  fiat voluntas tua,
    sicut in caelo et in terra.
Panem nostrum quotidianum da nobis hodie,
Et dimitte nobis debita nostra,
  sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.
Et ne nos inducas in tentationem,
  sed libera nos a malo.

Quia tuum est regnum, et potestas, et gloria
in saecula. Amen.

Si Communio sequitur, Oratio Dominica hic omittatur.

Diaconus vel alius designatus orationes sequentes recitat, quibus Populus respondet, dicens Amen.

Si nulla est communio, una ex orationibus omittatur, vel plures.

Oremus.

Aeterne Deus, creator et servator omnis vitae, auctor salvationis, et donator omnis gratiae: Benigne respice mundum quem fecisti, et pro quo Filius tuus vitam suam obtulit, praesertim hunc virum et hanc mulierem quos unam carnem facias in Sacro Matrimonio. *Amen.*

Dona eis sapientiam devotionemque in ordine vitae mutuae, ut alter alteri sit virtus in necessitate, consiliarius in dubitatione, consolator in dolore, comes in gaudio. *Amen.*

Concede ut voluntates eorum in voluntate tua sic coniungantur, et spiritus in Spiritu tuo, ut tecum et invicem in caritate paceque crescant omnibus diebus vitae. *Amen.*

Dona eis gratiam, cum invicem offenderint, ad culpam cognoscendam et confitendam, et ad alterius veniam tuamque petendam. *Amen.*

Fac vitam mutuam eorum signum caritatis Christi ad hunc pravum fractumque mundum, ut unitas alienationem superet, venia culpam sanet, et gaudium desperationem vincat. *Amen.*

Concede eis, si vis, donum et hereditatem prolis, et gratiam ut eos educant ad te cognoscendum, diligendum et tibi serviendum. *Amen.*

Dona eis tantam perfectionem amoris mutui ut in caritate curaque pro aliis se offerant. *Amen.*

Concede omnibus maritis et uxoribus qui haec vota intuiti sunt ut vitas suas corroboratas inveniant et fidelitates confirmatas. *Amen.*

Concede ut vincula humanitatis mutuae nostrae, per quae omnes filii tui invicem coniungunt, et vivi cum mortuis, gratia tua sic mutentur, ut voluntas tua fiat in terra sicut in caelo; ubi, Pater, cum Filio tuo et Spiritu Sancto, vivis et regnas in unitate perfecta, nunc et in saecula saeculorum. *Amen.*

Benedictio Matrimonii

Populus usque stat. Maritus et uxor genuflectunt, et Sacerdos unam ex orationibus sequentibus dicit

Clementissime Deus, tibi gratias agimus quoniam in caritate misericordi tua nobis misisti Iesum Christum in nos adventurum, ex matre humana naturum, et viam crucis fecisti viam vitae. Et nunc tibi gratias agimus quoniam coniugium viri et mulieris consecrasti in Nomine eius. Virtute Spiritus Sancti, effunde abundantiam benedictionis tuae super hunc virum et hanc mulierem. Eos defende ab omni inimico. Duc eos in omni pace. Caritas cuiusque pro altero sit signum super corde, penula super humeris, coronaque super fronte. Eos benedic in opere eorum societateque; in dormiendo exsuscitandoque; in gaudiis doloribusque; in vita morteque. Postremo, in misericordia tua, fer eos ad illam mensam ubi sancti tui semper convivant in patria tua caelesti; per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen*.

vel

Deus qui pactionem matrimonii sic consecrasti ut in ea significetur coniunctio spiritualis Christi cum Ecclesia: Mitte benedictionem tuam super hos famulos tuos ad inter se diligendum, honorandum, et fovendum, sic in patientia et fidelitate, in sapientia et vera pietate; ut domus eorum portus sit benedictionis et pacis; per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, nunc et in saecula saeculorum. *Amen*.

Etiamtum marito uxoreque genuflectentibus, Sacerdos hanc benedictionem addit

Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus, vos benedicat, conservet, et custodiat; Misericors Dominus vos suo favore respiciat, et repleat omni benedictione spirituali et gratia, ut sic una in hac praesenti vita vivere possitis, et in futuro saeculo vitam habeatis aeternam. *Amen*.

Pax

Celebrans populo dicat

Pax Domini sit semper vobiscum.
Populus Et cum spiritu tuo.

Deinde mariti nuper coniuncti inter se salutant, postea salutationes in tota congregatione offerantur.

Si Communio non sequitur, comitatus nuptialis ex ecclesia exit. Hymnus, psalmus, vel antiphona canatur, vel melos canatur.

Ad Eucharistiam

Liturgia pergitur cum Offertorio, in quo mariti nuper coniuncti oblationes panis et vini offerant.

Praefatio de Nuptiis

In Communione, decet ut mariti nuper coniuncti Communionem imprimis accipiant, post ministros.

Pro oratione consueta post communionem, sequens dicitur

Deus, donator omnium verorum et dulcium et clementium: Tibi gratias agimus quod nos vinxisti in his sacrosanctis mysteriis Corporis et Sanguinis Filii tui Iesu Christi. Concede ut *N.* et *N.*, nunc coniuncti in Sacro Matrimonio, per Spiritum Sanctum unius cordis et unius animae fiant, in fidelitate et pace vivant, et consequantur illa gaudia parata pro omnibus qui te diligunt; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Dum comitatus nuptialis ex ecclesia exit, hymnus, psalmus, vel antiphona canatur; vel melos canatur.

Benedictio
Matrimonii Civilis

Ritus incipitur sicut praescriptus pro celebrationibus Sanctae Eucharistiae, cum Collecta designata et Lectionibus designatis in officio Nuptiali.

Post Evangelium (et homiliam), maritus et uxor stant coram Celebrante, qui eos sic vel similiter alloquitur

N. et *N.*, hodie hic convenistis ad quaerendum benedictionem Dei et Ecclesiae eius in matrimonium vestrum. Requiro, igitur, ut promittatis, Deo adiuvante, explere officia quae Matrimonium Christianum poscit.

Celebrans virum alloquitur, dicens

N., accepisti *N.* in uxorem tuam. Promittis eam diligere, consolari, honorare et custodire sanam et infirmam, omnes alias repudiare, et illi fidelis esse, quamdiu vita utriusque vestrum duraverit?

Maritus respondet Do fidem.

Celebrans uxorem alloquitur, dicens

N., accepisti *N.* in maritum tuum. Promitto eum diligere, consolari, honorare et custodire sanum et infirmum, omnes alios repudiare, et illi fidelis esse, quamdiu vita utriusque vestrum duraverit?

Uxor respondet Do fidem.

Celebrans congregationem alloquitur, dicens

Qui has promissiones intuemini, vultis facere omnia secundum potentiam vestram ad sustinendum utrosque in matrimonio?

Populus Volumus.

Si annulus benedicetur vel annuli benedicentur, uxor manum extendit (et maritus manum extendit) ad Sacerdotem qui dicit

Benedic, Domine, hunc annulum (*vel* hos annulos) ut signum sit (*vel* signa sint) votorum per quae hic vir et haec mulier inter se coniunxerunt; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Deinde Celebrans, iungens dextras mariti et uxoris, dicit

Quos Deus coniunxit, homo non separet.

Congregatio respondit Amen.

Officium pergitur cum Orationibus in pagina 428 [Libri Precum Publicarum].

Ordo Nuptiarum

Si optabile est celebrare nuptias in alio modo quam illo praebito in pagina 423 [Libri Precum Publicarum], hic Ordo adhibetur.

Celebrans plerumque est presbyter vel episcopus. Si sub lege civili, et si nullus presbyter vel episcopus inveniatur, diaconus sicut celebrans agat, sed sine benedictione nuptiali pronuntianda.

Cum legibus Civilibus et iuribus canonicis huius Ecclesiae observatis, vir et mulier, cum testibus suis, familiis, et amicis in ecclesia conveniunt vel in alio loco apto.

1. Doctrina Ecclesiae de Sacro Matrimonio, sicut in formulariis et iuribus canonicis huius Ecclesiae declarata, breviter exponitur.

2. Propositum viri et mulieris ad introendum statum matrimonii, atque consensus eorum sponte datus, aperte confirmatur.

3. Una Lectio, vel plures, de quibus semper oportet ut una sit ex Sacra Scriptura, antecedat commutationem promissionum. Si Communio celebratur, semper oportet includere Lectionem ex Evangelio.

4. Promissiones viri et mulieris faciuntur, cum forma sequenti

In Nomine Dei, ego, *N.*, accipio te, *N.*, in (uxorem meam) (maritum meum), ut habeam et retineam ab hoc die, tam in prosperis quam in adversis, sive ditiorem sive pauperiorem, sive (sanam) (sanum) sive (infirmam) (infirmum), ut te diligam et foveam, donec mors nos separaverit: quod votum meum sollemne est.

vel

Ego *N.*, accipio te *N.*, in (uxorem meam) (maritum meum), ut habeam et retineam ab hoc die, tam in prosperis quam in adversis, sive ditiorem sive pauperiorem, sive (sanam) (sanum) sive (infirmam) (infirmum), ut te diligam et foveam, donec mors nos separaverit, iuxta sacrum Dei institutum; et ad hoc do tibi fidem.

5. Celebrans unionem declarat viri et mulieris, sicut mariti et uxoris, in Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.

6. Preces pro marito et uxore offeruntur, pro vita communi, pro societate Christiana, et pro mundo.

7. Presbyter vel episcopus benedictionem sollemnem pronuniat super coniunctos.

8. Si nulla est Communio, officium concluditur cum Pax Domini, et hic imprimis maritus et uxor invicem salutant.

9. Si Communio celebratur, officium pergitur cum Pax Domini et Offertorio. Sancta Eucharistia celebretur iuxta Ritum Primum vel Ritum Secundum in hoc Libro, vel iuxta Ordinem in pagina 401 [Libri Precum Publicarum].

Praecepta Adiuncta

Si denuntiationes de omnibus in Matrimonio coniungendis promulgantur, formula sequens adhibeatur

> Facio denuntiationem Matrimonii inter *N.N.* de _____ et *N.N.* de _____ contrahendi. Si quis vestrum noverit causam aut iustum impedimentum, propter quod isti sacrum Matrimonium contrahere non possint, id indicare debetis. Haec est prima (secunda, *aut* tertia) interrogatio.

Celebratio et Benedictio Nuptiarum adhibeatur cum qualibet liturgia licita Sanctae Eucharistiae. Tunc hoc officium Liturgiae Verbi supponitur, et Eucharistia cum Offertorio incipitur.

Post Declarationem Consensionis si praesentatio in nuptiis facitur, Celebrans rogat

> Quis dat (praebet) hanc mulierem huic viro coniungendam?

vel

> Quis dat (praebet) hanc mulierem et hunc virum ut invicem coniungantur?

Alteri quaestioni, responsio est "Ita ego." Si plures respondunt, una voce respondunt.

Ad Liturgiam Verbi decet virum et mulierem manere in loco ubi lectionem Scripturae commode audire possunt. Ad Altare appropinquent vel ad vota vel ad Benedictionem Matrimonii.

Decet omnes stare usque ad finem Collectae. Sedilia pro comitatu nuptiali parentur, ita ut omnes per Lectiones et homiliam sedeant.

Symbolum Apostolorum post Lectiones recitetur, vel post homiliam si praedicatur.

Si placet, pro annulo aliud symbolum votorum adhibeatur.

Ad Offertorium, decet panem et vinum ad ministros praeberi a nuper coniunctis, qui maneant coram Mensa Domini et Sacram Communionem accipiant ante alios congregatos.

Gratiarum Actio Pro Partu vel Adoptione Parvuli

Simulatque conveniat post partum parvulae, vel post adoptionem parvulae, oportet parentes, cum aliis cognatis, in ecclesiam adveniant ut congregatione salutentur et gratias agunt Deo omnipotenti. Decet ut hoc faciatur ad officium in Dominica. In Eucharistia, decet hoc sequi Orationes Populi antecedentes Offertorium. In Ordine ad Matutinas vel Vespertinas Preces, decet ut hoc faciatur ante finem Officii.

Si optetur, forma breviorem huius officiae adhibeatur, praecipue in valetudinario vel domi; quo casu Celebrans officium incipit cum Gratiarum Actione, vel cum precatione "Deus qui nos docuisti." Lectio Scripturae imprimis legatur. Vel Luc 2:41-51 vel Luc 18:15-17 apta est.

In orationibus, parentes gratias agere velint in verbis suis.

Tempore proprio, Celebrans parentes et cognatos alios cognatasque invitat ad Altare.

Pro Partu Parvuli

Celebrans congregationem alloquitur in his vel similibus verbis

Carissimi: Partus parvuli occasio hilaris sollemnisque est in vita familiae. Et occasio laetitionis est in communitate Christiana. Vos igitur iubeo ut cum *N.* [et *N.*] iungatis, gratias agentes Deo omnipotenti Patri caelesti nostro, Domino omnis vitae, propter donum *N.* filium (filiam) esse [et cum *N.* (et *NN.*), propter fratrem novum (sororem novam)]. Una voce dicamus:

Officium cum Magnificat *pergitur, vel una ex Psalmis in paginis 441-443 [Libri Precum Publicarum].*

Pro Adoptione

Celebrans congregationem alloquitur in his vel similibus verbis

Carissimi: Deo Patri caelesti nostro placuit ut orationes vehementes pro dono parvuli *N.* [et *N.*], membrorum (membri) huius congregationis, concedantur. Vos iubeo ut cum eis (eo *vel* ea) iungatis [et cum *N.* (et *NN.*), qui nunc fratrem novum (sororem novam) habet (habent)] gratias agentes propter curam hilarem sollemnemque quae eorum (eius) est per *N.* advenientem membrum familiae esse. Sed imprimis amici nostri volunt ut nos hic congregati simus testes inceptionis huius cognationis novae.

Celebrans parentem vel parentes rogat

	N. [et *N.*] hoc parvulum ut vestrum accipis (accipitis)?
*Parens (*vel *parentes)*	Accipis (Accipitis.)

Deinde, si anni parvuli sufficunt, Celebrans rogat

	N., hanc mulierem ut matrem accipis?
Parvulus	Accipis.
Celebrans	Hunc virum ut patrem accipis?
Parvulus	Accipis.

Deinde Celebrans parvulum per manum accipiens, parvulum matri vel patri donat, dicens

Tam Deus per adoptionem gratiamque filii sui nos fecit, quam N. sicut filium tuum (filiam tuam) accipiatis.

Deinde unus parens dicit haec vel similes verba, vel ambo

Deus Pater omnium *N.* parvulum nostrum benedicat, et nos qui nomen nostrum ei donaverunt, ut in caritate amoreque una habitemus; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Celebrans dicit

Quoniam Deo placuit donum parvuli *N.* [et *N.*], illo gratias agamus, dicens:

Gratiarum Actio

Canticum Mariae

Magnificat *
  anima mea Dominum,
et exsultavit spiritus meus *
  in Deo salutari meo;
quia respexit humilitatem ancillae suae. *
  Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes:
quia fecit mihi magna qui potens est, *
  et sanctum Nomen eius.
Et misericordia eius in progenies et progenies *
  timentibus eum.
Fecit potentiam in brachio suo, *
  dispersit superbos mente cordis sui.

Deposuit potentes de sede, *
  et exaltavit humiles.
Esurientes implevit bonis, *
  et divites dimisit inanes.
Suscepit Israel puerum suum, *
  recordatus misericordiae,
Sicut locutus est ad patres nostros, *
  Abraham et semini eius in saecula.
Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto: *
  sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum.
  Amen.

vel

Psalmus 116 [Vulgata 115] Dilexi, quoniam

vel

Psalmus 23 [Vulgata 22] Dominus regit me

Deinde Celebrans hanc orationem dicit

Oremus.

Deus qui nos docuisti per beatum Filium tuum ut quicumque suscipit puerum in nomine Christi Christum ipsum suscipiat: Tibi gratias agimus propter benedictionem quam super hanc familiam concedit in puerum eis donante. Laetitiam eorum confirma per sensum vivum prasentiae tuae cum eis, atque virtum tranquillum ac sapientiam patientem eis dona dum laborant hunc puerum ferre ad diligendum omne verum nobileque, iustum purumque, amabile gratiosumque, optimum admirabileque, exemplum sequentes Domini nostri et Salvatoris Iesu Christi. *Amen.*

Orationes

Celebrans unam ex orationibus sequentibus addat, vel plures

Pro tuto partu

Clementissime Deus, tibi gratias ex animo humiliter agimus quia servasti per dolorem anxitatemque parturientis hanc famulam tuam *N.*, qui nunc laudes et gratiarum actiones offere vult. Concede, misericordissime Pater, ut per auxilium tuum in hac vita secundum volutatem tuam fideliter vivat, et postremo gloriae sempiternae in vita venturi saeculi particeps fiat; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Pro parentibus

Omnipotens Deus, vitae caritatisque donator, benedic *N.* et *N.* Dona eis sapientiam devotionemque in ordine vitae mutuae, ut alter alteri sit virtus in necessitate, consiliarius in dubitatione, consolator in dolore, comes in gaudio. Concede ut voluntates eorum in voluntate tua sic coniungantur, et spiritus in Spiritu tuo, ut tecum et invicem in caritate paceque crescant omnibus diebus vitae; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Pro parvulo nondum baptizato vel parvula nondum baptizata

Aeterne Deus, qui promisisti ut pater sis in mille generationes eis tuum diligentibus timentibusque: Benedic hunc parvulum (hanc parvulam) et vitam eius serva; eum (eam) suscipe et ei da potestatem ad tuum suscipiendum, ut per Sacramentum Baptismatis filius (filia) Dei fiat; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Pro parvulo iam baptizato vel parvula iam baptizata

Deus in manus tuas filiam tuam (filium tuum) ponimus. Eam (eum) sustine in successibus defectibusque, in gaudiis doloribusque. Augeatur tam in annis quam in gratia, et in cognitione Salvatoris sui Iesu Christi. *Amen.*

Celebrans familiam benedicat

Deus Pater, qui per Baptisma nos adoptat filios filiasque, gratiam vobis concedat. *Amen.*

Deus Filius, qui domum in Nazareth sanctificavit, caritate vos impleat. *Amen.*

Deus Sanctus Spiritus, qui Ecclesiam unam familiam fecit, in pace vos custodiat. *Amen.*

Pax Domini offeratur.

Minister Congregationis dirigatur ad subinde docendum populum de officio parentium ut prudenter provideant saluti familiae suae, et officio omnium cum in salute ut testamenta faciant, distributionem temporalium ordinantes, non neglegentes, si possit, legata pro rebus religiosis et beneficis.

De Ritu

Ministerium reconciliationis, a Christo Ecclesiae commissum, exercetur per curam quam quisque Christianus habet pro aliis, per preces publicas Christianorum ad liturgiam congregatorum, et per sacerdotium Ecclesiae ministrorumque eius absolutionem pronuntiantium.

Reconciliatio Paenitentis omnibus eam volentibus patet; quae non definitur solum ad tempora aegrotationis. Confessiones semper et ubique audiantur.

Duae formae aequae officii hic praebentur ad necessitates paenitentium. Absolutio in his officiis solum ab episcopo vel presbytero pronuntiari potest. Christianus alius rogetur confessionem audire, sed oportet manifestare paenitenti ut absolutio non pronunietur; loco eius, declaratio veniae praebetur.

Si confessio auditur in aedificio ecclesiastico, confessor in cancello sedeat, vel in loco seposito pro secreto maiore, et paenitens prope genuflectit. Si utilius videtur, confessor et paenitens coram considant pro colloquio spirituali tendente ad absolutionem vel declarationem veniae.

Cum paenitens confessus sit omnia peccata gravia conscientiam perturbantia et indicium verae paenitentiae exhibuerit, sacerdos tale consilium quale necessarium est et hortatum offert, deinde absolutionem pronuntiat. Ante absolutionem, pro signo paentientiae et gratiarum actione, sacerdos dirigat paenitentem ad recitandum psalmum, precem, vel hymnum, vel ad faciendum aliquod opus.

Dicta in confessione non plerumque postea disseruntur. Silentium confessionis pro confessore sacrosanctum est, et nullo modo licet eum solvere.

Reconciliatio Paenitentis

Forma I

Paenitens incipit

Iube benedicere, quod peccavi.

Sacerdos dicit

Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis ut vere et humiliter confitearis peccata tua: In Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. *Amen.*

Paenitens

Confiteor Deo omnipotenti, Ecclesiae eius, et tibi, quia peccavi nimis cogitatione, verbo, opere et omissione, mea culpa; praesertim _____ . Propter haec, et omnia peccata alia quorum nunc recordare non possum, vere ex animo doleo. Deum rogo ut mei misereatur. Firmiter intendo emendare vitam meam, et humiliter veniam peto a Deo et Ecclesia eius, et a te quaero consilium, directionem, et absolutionem.

Ad hoc Sacerdos consilium, directionem, et consolationem offerat.

Deinde Sacerdos hanc absolutionem pronuntiat.

Dominus noster Iesus Christus, qui dedit potestatem Ecclesiae absolvendi a peccatis paenitentes et credentes illi, ipse ex infinita misericordia indulgeat tibi peccata tua; et ego, vero auctoritate ipsius mihi commissa, absolvo te ab omnibus peccatis: In Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. *Amen.*

vel hanc

Dominus noster Iesus Christus, qui se obtulit ut Patri sacrificetur pro nobis, et qui dedit potestatem Ecclesiae dimittendi peccata, per ministerium meum absolvat te gratia Spiritus Sancti, et te restituat in pace perfecta Ecclesiae. *Amen.*

Sacerdos addit

Dominus dimisit omnia peccata tua.

Paenitens Deo gratias.

Sacerdos concludit

Ite (*vel* mane) in pace, et ora pro me, peccatore.

Declaratio Veniae
ad usum a Diacono vel Laico

Dominus noster Iesus Christus, qui se obtulit ut Patri sacrificetur pro nobis, dimittit peccata tua gratia Spiritus Sancti. *Amen.*

Forma II

Sacerdos et Paenitens sic incipit

Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam;
secundum multitudinem miserationum tuarum
dele iniquitatem meam.
Amplius lava me ab iniquitate mea
et a peccato meo munda me.
Quoniam iniquitatem meam ego cognosco,
et peccatum meum contra me est semper.

Sancte Deus, Sancte Fortis, Sancte Immortalis,
miserere nobis.

Paenitens Ora pro me, peccatore.

Sacerdos

Illuminet cor tuum Deus in caritate sua, ut recorderis in veritate omnium peccatorum tuorum et misericordiae eius indefectibilis. *Amen.*

Sacerdos recitet unam vel plures ex his vel aliae aptae sententiae Scripturae, incipiens

Audite verbum Dei omnibus qui ad eum vere se vertunt.

Venite ad me omnes qui laboratis, et onerati estis, et ego vos requiescere faciam. *Mt. 11:28*

Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. *Ioh. 3:16*

Fidelis sermo, et omni observatione dignissimus, Christus Iesus venit in hunc mundum, ut salvos faceret peccatores. *I Tim. 1:15*

Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum sed etiam pro totius mundi. *I Ioh. 2:1-2*

Deinde Sacerdos pergit

Hic coram Christo, et me ministro eius, cum corde summisso et obsequenti confitere peccata tua Deo omnipotenti, Creatori nostro et Redemptori.

Paenitens dicit

Sancte Deus, Pater caelestis, in imagine et similitudine tua me creasti ex pulvere, et me redemisti a peccato morteque per crucem Filii tui Iesu Christi. Per aquam baptismatis me vestivisti cum vestimento nitenti iustitiae eius, et me constituisti in filiis tuis in regno tuo. Sed hereditatem sanctorum tuorum dissipavi, et vagatus sum longe in terra vasta.

Praesertim, confiteor tibi et Ecclesiae . . .

Hic paenitens confitetur peccata certa.

Et ideo, Domine, ab his et omnibus peccatis quorum nunc recordari non possum, ad te me converto in dolore et paenitentia. Accipe me iterum in bracchia misericordiae tuae, et me restitue in beatam communionem omnium fidelium; per eum in quo mundum redemisti, Filium tuum Iesum Christum Salvatorem nostrum. Amen.

Sacerdos verba consolationis et consilii offerat

Sacerdos

Vis convertere iterum ad Christum Dominum tuum?

Paenitens Volo.

Sacerdos

Donas veniam eis qui peccaverunt in te?

Paenitens Do veniam eis.

Sacerdos

Accipiat misericorditer omnipotens Deus confessionem tuam doloris et fidei, te confirmet in omni bono, et virtute Spiritus Sancti ad vitam perducat aeternam. *Amen.*

Deinde Sacerdos imponit manum in caput paenitentis (vel manum extendit super paenitentem), unam sententiam ex sequentibus dicens

Dominus noster Iesus Christus, qui se obtulit ut Patri sacrificetur pro nobis, et qui dedit potestatem Ecclesiae dimittendi peccata, per ministerium meum absolvat te gratia Spiritus Sancti, et te restituat in pace perfecta Ecclesiae. *Amen*.

vel

Dominus noster Iesus Christus, qui dedit potestatem Ecclesiae absolvendi a peccatis paenitentes et credentes illi, ipse ex infinita misericordia indulgeat tibi peccata tua; et ego, vero auctoritate ipsius mihi commissa, absolvo te ab omnibus peccatis: In Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. *Amen*.

Sacerdos sic concludit

Nunc laetitia est in caelo; quoniam perditus eras, et nunc inveniris; mortuus eras, et nunc vivis in Christo Iesu Domino nostro. Ite (*vel* mane) in pace. Dominus dimisit omnia peccata tua.

Paenitens Deo gratias.

Declaratio Veniae
ad usum a Diacono vel Laico

Dominus noster Iesus Christus, qui se obtulit ut Patri sacrificetur pro nobis, dimittit peccata tua gratia Spiritus Sancti. *Amen*.

Ministratio Infirmis

Casu aegrotationis, oportet ut Minister Congregationis certior faciatur.

Ad ministrationem, una ex partibus officii sequentis adhibeatur vel plures, sicut aptum sit; cum duo vel plures partes simul adhibeantur, in ordine indicato fiat. Oratio Dominica semper includitur.

Semper licet ut Pars Prima huius officii dirigatur a diacono vel laico.

Cum Impositio Manuum vel Unctio agatur in celebratione publica Eucharistiae, decet ut antecedat ministrationem Sacrae Communionis, et commendatur ut agatur statim ante Pax Domini.

Celebrans officum incipit cum sequenti vel alia salutatione

Pax huic domui (loco), et omnibus in ea (eo) habitantibus.

Pars I. Liturgia Verbi

Una ex lectionibus sequentibus Scripturae recititur, vel plures, vel aliae

Ad Quodlibet Tempus

II Cor 1:3-5	(Deus consolatur nos in omni tribulatione)
Ps 91 [*Vulgata 90*]	(Angelis suis mandabit de te)
Luc 17:11-19	(Fides tua te salvum fecit)

De Paenitentia

Heb 12:1-2	(Aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Iesum)
Ps 103 [*Vulgata 102*]	(Propitiatur omnibus iniquitatibus tuis)
Matt 9:2-8	(Remittuntur tibi peccata tua)

Cum Unctione

Iacob 5:14-16	(Infirmatur quis in vobis?)
Ps 23 [*Vulgata 22*]	(Impinguasti in oleo caput meum)
Marc 6:7, 12-13	(Unguebant oleo multos aegrotes)

Cum Communione

I Io 5:13-15	(Ut sciatis quoniam vitam habetis aeternam)
Ps 145:14-22 [*Vulgata 144:14-22*]	(Oculi omnium in te sperant)
Io 6: 47-51	(Ego sum panis vitae)

Post quandam Lectionem, Celebrans breviter illam explicet.

Orationes offerantur secundum occasionem.

Sacerdos suggerat privatim confitendum, si infirmus sentit suam conscientiam gravatum esse aliqua in re, itaque utatur forma Paenitentis Reconciliandi.

Vel confessio generalis sequens dicatur

Clementissime Deus,
confitemur quia peccavimus in te
cogitatione, verbo, et facto,
opere et omissione.
Te non ex animo dileximus;
Neque proximos nostros sicut nos ipsos.
Vere nos paenitet et humiliter paenitentiam agimus.
Propter Filium tuum Iesum Christum,
miserere nobis et dimitte peccata nostra;
ut in voluntate tua gaudeamus,
et in viis tuis ambulemus,
ad gloriam Nominis tui. Amen.

Sacerdos solus dicit

Misereatur vestri omnipotens Deus, dimittat vobis omnia peccata vestra per Christum Dominum nostrum, confirmet in omni bono, et virtute Spiritus Sancti ad vitam perducat aeternam. *Amen.*

Diaconus aut laicus, sequenti forma utens, supponit "nostri" pro "vestri" et "nobis" pro "vobis."

Pars II. Impositio Manuum et Unctio

Si oleum pro Unctione Infirmorum consecrandum est, Sacerdos dicit

Domine, sancte Pater, donator sanitatis salutisque: Mitte Spiritum Sanctum tuum ad sanctificandum hoc oleum; ut, sicut sancti apostoli tui unxerunt multos aegrotos et sanaverunt, etiam qui in fide paenitentiaque accipiunt hanc sanctam unctionem sanentur; per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Antiphona sequens dicitur

Salvator mundi, salva nos,
qui per crucem et pretiosum sanguinem redemisti nos:
Adiuva nos, te rogamus, Domine.

Sacerdos manus imponit infirmo, dicens unum ex sequenti

N., tibi impono manus in Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, Dominum nostrum Iesum Christum rogans ut praesentia sua te sustineat, omnem morbum corporis et animae expellat, et tibi donet illam victoriam vitae pacisque quae tibi potestatem facit ad ei serviendum, et nunc et in saecula saeculorum. *Amen.*

vel

N., tibi impono manus in Nomine Domini nostri Iesu Christi, eum rogans ut te sustineat et gratia sua te impleat, et potestatem sanantem caritatis eius cognoscas. *Amen.*

Si homo unguendus est, Sacerdos intingit pollicem in oleo sancto, et in fronte infirmi signum crucis facit, dicens

N., te oleo unguo in Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. *Amen.*

Tam hoc oleo sancto in externo ungueris, quam Pater noster caelestis tibi concedat interiorem unctionem Sancti Spiritus. Ex misericordia sua immensa, tibi dimittat peccata tua, te liberet a dolore, et te recreet in salutem virtutemque; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Si opus est ut diaconus vel laicus unguat, oleo utatur ab episcopo vel presbytero consecrato.

Si Communio non sequitur, Oratio Dominica hic dicitur.

Sacerdos concludit

Omnipotens Deus, qui est fortitudo omnium in se sperantium, cui omnia in caelo et in terra et subtus terram oboediunt, nunc et semper sit tibi protector, et faciat ut cognoscas et sentias, quod non sit aliud nomen datum sub caelo hominibus, in quo et per quod tu recipias salutem et sanitatem, praeter Nomen Domini nostri Iesu Christi. *Amen.*

Pars III. Sancta Communio

*Si Eucharistia celebranda est, Sacerdos incipit cum [*Pax Domini *et] Offertorio.*

*Si Communio ministranda est ex Sacramento reservato, forma pro Communio in Temporibus Specialibus adhibetur, ab [*Pax Domini *et] Oratione Dominica in pagina 398 [Libri Precum Publicarum].*

Si infirmus accipere vel Panem consecratum vel Vinum non potest, decet ut Sacramentum ministretur solum sub una specie.

Una ex orationibus consuetis post communionem dicitur, vel sequens

Clementissime Pater, tibi gratias agimus et laudes propter hanc Sacram Communionem Corporis et Sanguinis dilecti Filii tui Iesu Christi, pigneris redemptionis nostrae; et te rogamus ut per eam peccata nostra dimittantur, virtus in nostra infirmitate donetur, et salus aeterna; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Officium concluditur cum benedictione vel dimissione

Benedicamus Domino.
Deo gratias.

Si homo vult Sacramentum accipere, sed, causa aegrotationis gravissimae vel infirmitatis corporalis, neque edere Panem neque bibere Vinum potest, oportet Celebranti hominem certiorem facere ut beneficia omnia Communionis accipiantur, quamquam Sacramentum non ore accipiatur.

Orationes pro Infirmis

Pro Infirmo vel Infirma

Pater miserationum, Deus omnis consolationis, unice adiutor in tempore necessitatis: humiliter te petimus ut famulum tuum aegrotum (*vel* famulam tuam aegrotam) *N.* respicias et visites, atque ei succurras pro quo (*vel* qua) orationes nostrae desideratae sunt. Per oculos misericordiae tuae eum (*vel* eam) respice; cognitione bonitatis tuae consoleris; a tentationibus adversarii eum (*vel* eam) conserva; et da ei patientiam in afflictione eius. In tempore bona tua, ad salutem eum (*vel* eam) recura, et fac ei facultatem ut residuum vitae peragat in timore tui et ad gloriam tuam; et denique concede ut tecum inhabitet in vita aeterna; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Pro Recreatione Aegrotantis

Deus, virtus infirmorum et consolatio dolentium: Suscipe benigne orationes nostras, et concede famulo tuo (*vel* famulae tuae) *N.* adiutorium potestatis tuae, ut aegrotatio eius in salutem mutetur, et dolor noster in laetitiam; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

vel

Deus potestatum caelestium, qui per virtutem mandati tui a corporibus nostris omnem morbum et omnem aegrotationem expellis: In bonitate tua adesto famulo tuo (*vel* famulae tuae) *N.*, ut infirmitas eius deportetur et virtus recreetur; et, salute renovata, benedicet sanctum Nomen tuum; per Iesum Christum Dominum nostrum. Amen.

Pro Parvulo Infirmo vel Parvula Infirma

Pater caelestis, invigila nobiscum parvulo tuo (*vel* parvelae tuae) *N.*, et concede ut recreetur ad illam salutem perfectam quam tu solus donas; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

vel

Domine Iesu Christe, Pastor Bone ovium, qui in bracchia sua agnos congregas et in sinu fers: ad curam clementem tuam hunc parvulum (*vel* hanc parvulam) *N.* commendamus. Alleva dolorem eius, et eum (*vel* eam) ab omni periculo protege, ad dona tua laetitiae

virtutisque restitue, et ad vitam tibi ministerii subleva. Audi nos, quaesumus, propter Nomen pretiosum tuum. *Amen*.

Ante Sectionem

Omnipotens Deus, Pater noster caelestis, clementer confirma famulum tuum (*vel* famulam tuam) *N*. in medio dolore eius, et benedic instrumenta pro sanatione eius adhibita. Imple cum fiducia cor eius ut, etiamsi subinde timeat, tamen tibi fideat; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen*.

vel

Confirma, Deus, famulum tuum (*vel* famulam tuam) *N*. ad facienda illa quae facere oportet et ad ferenda illa quae ferre oportet.; ut, gratias sanantes tuas accipiens per sollertiam chirugorum et ancillantium, ad utilitatem in hoc mundo cum corde grato restituatur; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen*.

Pro Virtute et Confidentia

Pater caelestis, donator vitae salutisque: Consolare et alleva famulum aegrotum (*vel* famulam aegrotam) *N*., et virtutem ad sanandum dona eis qui eum (*vel* eam) in necessitate ministrent, ut confirmetur in infirmitate eius et fidat curae clementi tuae; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen*.

In Articulo Mortis

Cum homo in extremis sit, oportet ut Minister Congregationis certior faciatur, ut ministrationes Ecclesiae parentur.

Oratio pro Homine in Extremis

Omnipotens Deus, respice hunc famulum tuum (*vel* hanc famulam tuam), cubantem in debilitate magna, et eum (*vel* eam) confirma promissione vitae aeternae data in resurrectione Filii tui Iesu Christi Domini nostri. *Amen.*

Litania in Tempore Mortis

Si potest, decet membra familiae et amicos congregari ad Litaniam recitandam.

Deus Pater,
*Miserere famuli tui (*vel *famulae tuae)*

Deus Fili,
*Miserere famuli tui (*vel *famulae tuae)*

Deus Spiritus Sancte,
*Miserere famuli tui (*vel *famulae tuae)*

Sancta Trinitas, unus Deus,
*Miserere famuli tui (*vel *famulae tuae)*

Ab omni malo, peccato, et tribulatione,
*Libera eum (*vel *eam), Domine.*

Per Incarnationem tuam, per Crucem et Passionem, per pretiosam Mortem et Sepulturam,
*Libera eum (*vel *eam), Domine.*

Per gloriosam Resurrectionem tuam et Ascensionem, et per Adventum Spiritus Sancti,
*Libera eum (*vel *eam), Domine.*

Te rogamus, Domine Christe, nos peccatores exaudi: Ut animam famuli tui (*vel* famulae tuae) a potestate mali, et a morte perpetua, liberare velis,
Te rogamus audi nos.

Ut omnia peccata eius condonare velis,
Te rogamus audi nos.

Ut ei locum refrigerii, et beatitudinis perpetuae, concedere velis,
Te rogamus audi nos.

Ut ei laetitiam et gaudium in regno tuo, cum sanctis in lumine, donare velis,
Te rogamus audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
Miserere eius.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
Miserere eius.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
Dona ei pacem.

Kyrie eleison.
Christe eleion.
Kyrie eleison.

Officians et Populus

Pater noster, qui es in caelis,
  sanctificetur nomen tuum,
  adveniat regnum tuum,
  fiat voluntas tua,
    sicut in caelo et in terra.
Panem nostrum quotidianum da nobis hodie,
Et dimitte nobis debita nostra,
  sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.
Et ne nos inducas in tentationem,
  sed libera nos a malo.

Officians hanc Collectam dicit

Oremus.

Libera famulum tuum (*vel* famulam tuam), Rex Domine Christe, ab omni malo, et solve ab omni vinculo; ut requiescat cum omnibus sanctis tuis in aeternis tabernaculis; ubi vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Commendatio in Articulo Mortis

Profiscere, anima Christiana, de hoc mundo;
in nomine Dei Patris omnipotentis qui te creavit;
in nomine Iesu Christi, qui te redemit;
in nomine Spiritus Sancti, qui te sanctificat.
Hodie sit in pace locus tuus,
  et habitatio tua in Paradiso Dei.

Oratio Commendatoria

In manus tuas, misericors Salvator, servum tuum (*vel* ancillam tuam) *N.* commendamus. Agnosce, humiliter te petimus, ovem ovilis tui, agnum gregis tui, peccatorem a temetipso redemptum. Suscipe eum (*vel* eam) in bracchia misericordiae tuae, in beatam requiem pacis sempiternae, et in communionem gloriosam sanctorum in lumine. *Amen.*

Anima eius et animae omnium defunctorum, per misericordiam Dei, requiescant in pace. *Amen.*

Orationes ad Vigiliam

Decet familiam et amicos convenire pro orationibus ante funus. Psalmi apti, Lectiones, et Collectae (e.g. ex officio Sepulturae) adhibeantur. Litania in Tempore Mortis dicatur, vel sequens

Carissimi: Dominus noster Iesus Christus ipse dixit, Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Oremus, igitur, pro fratre (sorore) *N.*, ut a laboribus eius requiescat, et in lucem sabbatorum Dei introeat.

Suscipe, Domine, famulum tuum (famulam tuam), ad te redeuntem.
In manus tuas, Domine,
fratrem nostrum (sororem nostram) N. commendamus.

Lava eum (eam) in fonte sancto vitae perpetuae, et indue ei vestem ad nuptias caelestes.
In manus tuas, Domine,
fratrem nostrum (sororem nostram) N. commendamus.

Audiat verba tua invitationis, Venite benedicti a Patre meo.
In manus tuas, Domine,
fratrem nostrum (sororem nostram) N. commendamus.

Te coram contempletur, Domine, et beatitudinem requiei perfectae gustet.
In manus tuas, Domine,
fratrem nostrum (sororem nostram) N. commendamus.

Angeli eum (eam) circumveniant, et in pace sancti salutent.
In manus tuas, Domine,
fratrem nostrum (sororem nostram) N. commendamus.

Officians sic concludit

Omnipotens Deus, Pater noster in caelo, apud quem omnes vivunt in Domine morientes: Suscipe fratrem nostrum (sororem nostram) *N.* in atria habitationis tuae caelestis. Cor eius et anima nunc in gaudio tibi resonent, Domine Deus vivens, Deus viventium; per Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Ad Acceptionem Corporis

Forma sequens adhibeatur quandocumque corpus in ecclesiam fertur.

Celebrans corpori occurrit ad portam ecclesiae, dicens

Cum fide in Iesu Christo, accipimus corpus fratris nostri (sororis nostrae) *N.* ad sepulturam. Oremus cum confidentia ad Deum, Donatorem vitae, ut eum (eam) suscitet ad perfectionem in communione sanctorum.

Silentium sequatur; postea Celebrans dicit

Libera famulum tuum (*vel* famulam tuam), Rex Domine Christe, ab omni malo, et solve ab omni vinculo; ut requiescat cum omnibus sanctis tuis in aeternis tabernaculis; ubi vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Oremus etiam pro omnibus lugentibus, ut sollicitudinem in Deum proiciant, et consolationem eius caritatis sentiant.

Silentium sequatur; postea Celebrans dicit

Omnipotens Deus, clementer respice dolores famulorum tuorum pro quibus oramus. Misericorditer, Domine, memento eorum; nutri eos cum patientia; confirma eos cum cognitione bonitatis tuae; et dona eis pacem; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Si officium Sepulturae non statim sequitur, corpus tum fertur in ecclesiam, dum psalmus aptus vel antiphona canatur vel dicatur. Devotiones aptae, exempli gratia illae ad Vigiliam designatae in pagina 465 [Libri Precum Publicarum], sequantur.

Cum ordo Sepulturae Mortui statim sequatur, officium pergitur sicut in pagina 469 vel 491 [Libri Precum Publicarum].

Congregatus Cereum Paschalem accensum ferens praeveniat exsequias in ecclesiam.

De Officio

Oportet ut mors membri Ecclesiae quam primum nuntiatur Ministro Congregationis, in consultatione quocum decet facere dispositiones pro funere.

Christiani baptizati apte sepeliuntur ex ecclesia. Oportet ut officium agatur in tempore cum congregatio adesse potest.

Oportet ut arca claudatur ante officium, et postea clausa manet. Decet ut pallio obtegatur vel alio tegimine apto.

Si opus est, vel optabile, omne officium Commendationis ad Sepulturam, vel pars, dicatur in ecclesia. Si potius sit, officium Commendationis ad Sepulturam agatur ante officium in ecclesia, vel ante cremationem.

Plerumque sacerdos praesidet officio. Decet episcopo, si adsit, praesidere Eucharistiae et pronuntiare Commendationem.

Decet ut Lectio ex Veteri Testamento, et Epistola, a laicis recitetur.

Nisi sacerdos adesse potest, diaconus vel laicus officio praesidat.

In sepultura parvuli, lectiones ex Lamentationibus, I Iohanne, et Iohanne 6, cum Psalmo 23, *Dominus regit me* [*Vulgata 22*], commendantur.

Solet ut celebrans corpori occurrat et praeeat in ecclesiam vel ad sepulchrum.

Antiphonae ad initium officii canuntur vel dicuntur dum corpus fertur in ecclesiam, vel dum ministri introeunt, vel a celebrante stanti in loco consueto.

Ad Sepulturam Mortuorum

Omnes stant dum una vel plures ex antiphonis sequentibus canuntur vel dicuntur

Ego sum resurrectio et vita;
Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet;
et omnis qui vivit et credit in me, non morietur in aeternum.

Scio enim quod Redemptor meus vivit
et in novissimo super pulvere stabit;
et post pellem meam hanc, quam abstraxerunt,
et de carne mea videbo Deum.
Quem visurus sum ego ipse,
et oculi mei conspecturi sunt,
et non alienum.

Nemo enim nostrum sibi vivit
et nemo sibi moritur.
Sive enim vivimus, Domino vivimus,
sive morimur, Domino morimur.
Sive ergo vivimus, sive morimur,
Domini sumus.

Beati mortui qui in Domino moriuntur a modo;
etiam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis.

vel

Media vita in morte sumus;
quem quaerimus adiutorem,
nisi te, Domine,
qui pro peccatis nostris iuste irasceris?

Sancte Deus, Sancte fortis,
Sancte et misericors Salvator,
amarae morti ne tradas nos.

Tu, Domine, qui cognoscis occulta cordium nostrorum,
noli claudere aures tuae misericordiae ad preces nostras;
sed parce nobis, sanctissime Deus.

Sancte Deus, Sancte fortis,
Sancte et misericors Salvator,
amarae morti ne tradas nos.

O iudex aequissime,
ne derelinquas nos
in hora mortis nostrae.

Sancte Deus, Sancte fortis,
Sancte et misericors Salvator,
amarae morti ne tradas nos.

Celebrans dicit unam ex Collectis sequentibus, incipiens

Dominus vobiscum.
Populus Et cum spiritu tuo.
Celebrans Oremus.

Silentium sequatur; post quod Celebrans dicit unam ex Collectis sequentibus

Ad Sepulturam Adulti vel Adultae

Deus, qui per gloriosam resurrectionem Filii tui Iesu Christi mortem destruxisti et vitam ac immortalitatem exhibuisti: Concede ut famulum tuum (*vel* famulam tuam) *N.*, cum eo resurrectum (*vel* resurrectam), virtutem praesentiae eius cognoscat et in gloria eius sempiterna gaudeat; qui tecum vivit et regnat, in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

vel

Deus, cuius miserationes innumerabiles sunt: Suscipe orationes nostras pro famulo tuo (*vel* famula tua) *N.*, et concede ei ut in regionem lucis gaudiique introeat, in communione sanctorum tuorum; per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, nunc et in saecula saeculorum. *Amen.*

vel

Deus gratiae et gloriae, quo coram recordamur fratrem nostrum (*vel* sororem nostram) *N.* Tibi gratias agimus quia eum (*vel* eam) nobis dedisti ut eum (*vel* eam) cognoscamus et diligamus comitem per nostram peregrinationem terrestrem. In misericordia immensa tua, nos lugentes consoleris. Da nobis fidem ad videndam in morte portam vitae sempiternae, ut cum tranquilla fiducia cursum in terra continuemus, donec per vocationem tuam iterum coniungamur cum eis qui nobis praeierunt; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Ad Sepulturam Parvuli vel Parvulae

Deus, cuius beatus Filius parvulos complexus benedixit: Da nobis gratiam, quaesumus, ut hunc puerum (*vel* hanc puellam) committamus in curam tuam dilectionemque indefectibilem,

et fer nos omnes in regnum tuum caeleste; per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, nunc et in saecula saeculorum. *Amen*.

Celebrans addat orationem sequentem

Misericordissime Deus, cuius sapientia superat nostrum intellectum: Age clementer de *NN. dolentibus*. Circumda *eis* caritatem tuam, ut desiderio suo non *obruantur*, sed *habeant* fiduciam in bonitate tua, et virtutem in diebus venturis; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen*.

Populus considit.

Una ex lectionibus sequentibus Sacrae Scripturae recitatur, vel plures. Si Communio celebratur, lectio Evangelii semper Lectiones concludit.

Ex Veteri Testamento

Is 25:6-9 (Praecipitabit mortem in sempiternum)
Is 61:1-3 (Ut consolarer omnes lugentes)
Lam 3:22-26,31-33 (Bonus est Dominus sperantibus in eum animae quaerenti illum)
Sap 3:1-5, 9 (Iustorum animae in manu Dei sunt)
Iob 19:21-27a (Scio enim quod redemptor meus vivat)

Post Lectionem ex Veteri Testamento, canticum aptum vel unus ex Psalmis sequentibus canatur vel dicatur.

Psalmus aptus, vel hymnus, vel canticum sequatur. Psalmi sequentes apti sunt: 42:1-7, Quemadmodum; 46, Deus noster refugium; 90:1-12, Domine, refugium; 121, Levavi oculos; 130, De profundis; 139:1-11, Domine, probasti [Vulgata 41, 45, 89, 120, 129, 138].

Ex Novo Testamento

Rom 8:14-19, 34-35, 37-39 (Ad futuram gloriam quae revelabitur)
I Cor 15:20-26, 35-38, 42-44, 53-58 (Surgit in incorruptione)
II Cor 4:16-5:9 (Quae autem non videntur aeterna sunt)
I Io 3:1-2 (Similes ei erimus)
Apoc 7:9-17 (Absterget Deus omnem lacrimam)
Apoc 21:2-7 (Ecce nova facio omnia)

Psalmus aptus, vel hymnus, vel canticum sequatur. Psalmi sequentes apti sunt: 23, Dominus regit me; 27, Dominus illuminatio; 106:1-5, Confitemini Domino; 116, Dilexi, quoniam [Vulgata 22, 26, 105, 114].

Evangelium

Deinde, omnibus stantibus, Diaconus vel Minister designatus Evangelium recitat, sic incipiens

Lectio Sancti Evangelii Domini nostri Iesu Christi

secundum (Mattheum *vel* Marcum *vel* Lucam *vel* Iohannem).
Populus Gloria tibi, Domine.

Io 5:24-27 (Qui verbum meum audit et credit ei qui misit me habet vitam aeternam)
Io 6:37-40 (Omne quod dat mihi Pater ad me veniet)
Io 10:11-16 (Ego sum pastor bonus)
Io 11:21-27 (Ego sum resurrectio et vita)
Io 14:1-6 (In domo Patris mei mansiones multae sunt)

Evangelio finito, Lector dicit

Evangelium Domini.
Populus Laus tibi, Christe.

Homilia predicetur a Celebrante, vel membro familiae, vel amico.

Symbolum Apostolorum dicatur, omnibus stantibus. Celebrans his vel similibus verbis Symbolum introducat.

In fiducia vitae aeternae nobis donatae in baptismate, proclamemus fidem nostram, dicentes,

Celebrans et Populus

Credo in Deum, Patrem omnipotentem,
creatorem caeli et terrae;
Et in Iesum Christum Filium eius unicum Dominum nostrum;
Qui conceptus est de Spiritu Sancto,
natus ex Maria Virgine,
passus sub Pontio Pilato,
crucifixus, mortuus, et sepultus.
Descendit ad inferos.
Tertia die resurrexit a mortuis.
Ascendit ad caelos,
sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.
Inde venturus est iudicare vivos et mortuos.
Credo in Spiritum Sanctum,
sanctam Ecclesiam catholicam,
sanctorum communionem,
remissionem peccatorem,
carnis resurrectionem,
et vitam aeternam. Amen.

Nisi est Communio, Oratio Dominica hic dicitur, et officium pergitur cum Orationibus Populi, vel cum una prece vel pluribus precibis aptis (vide paginas 503-505 Libri Precum Publicarum).

Si Communio est, una ex formis sequentibus Orationum Populi dicitur, vel forma in pagina 465 [Libri Precum Publicarum].

Orationum Populi Forma I

Populus ad omnem petitionem respondit dicens Amen.

Diaconus vel alius ductor dicit

In pace, oremus ad Dominum.

Omnipotens Deus, qui electos tuos coniunxisti in una communione societateque, in corpore Filii tui Christi Domini nostri mystico incorporatos; Concede, quaesumus, toti Ecclesiae in paradiso et in terra, lucem tuam et pacem. *Amen.*

Concede omnibus in mortem Christi et resurrectionem baptizatis ut moriantur peccato et ad novitatem vitae surgunt, et per sepulchrum et portam mortis cum eo ad nostram resurrectionem laetam transeamus. *Amen.*

Concede nobis qui adhuc in peregrinatione sumus, per fidem ambulantes, ut Spiritus Sanctus tuus nos perducat in sanctitate et iustitia omnibus diebus vitae. *Amen.*

Concede fideli plebi tuae veniam et pacem, ut ab omnibus peccatis nostris purgemur, et anima tranquilla tibi serviamus. *Amen.*

Concede omnibis lugentibus fiduciam certam in cura paterna tua, ut, omnem dolorem eorum tibi proicientes, consolationem caritatis tuae sentiant. *Amen.*

Fortitudinem et fidem da orbis, ut virtutem habeant obviam ire diebus venturis in solatio rationabilis sanctaeque spei, laete expectantes vitam aeternam cum eis quos diligunt. *Amen.*

Adiuva nos, quaesumus, in mediis rebus quas non intellegere possumus, ut credamus et fidamus communioni sanctorum, remissioni peccatorum, et resurrectioni ad vitam aeternam. *Amen.*

Concede nobis gratiam ad committendum *N.* caritati perpetuae tuae; suscipe eum (*vel* eam) in bracchia sua misericordiae, et eius memento secundum favorem quem donas plebi tui. *Amen.*

Concede ut, in cognitione et caritate tui crescens, a virtute ad virtutem in vita ministerii perfecti procedat in regno tuo caelesti. *Amen.*

Concede nobis ut, cum omnibus in spe resurrectionis defunctis, habeamus consummationem et beatudinem nostram in gloria tua aeterna perpetuaque, et, cum [beata (*vel* beato) *N.* et] omnibus sanctis, accipiamus coronam vitae quam omnibus promisisti qui participes sunt victoriae Filii tui Iesu Christi; qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Orationum Populi Forma II

Pro fratre nostro (*vel* sorore nostra) *N*., oremus ad Dominum nostrum Iesum Christum qui dixit, Ego sum Resurrectio et Vita.

Domine, qui consolatus es Martham et Mariam in dolore eorum; adesto nobis qui pro *N*. lugemus, et absterge lacrimas ab oculis eorum qui flent.
Domine, exaudi nos.

Qui flevisti in sepulchro Lazari, amici tui; in dolore nostro nos consoleris.
Domine, exaudi nos.

Qui mortuos suscitasti ad vitam; fratri nostro (*vel* sorori nostrae) dona vitam aeternam.
Domine, exaudi nos.

Qui promisisti paradisum latroni qui paenitentiam egit; fer fratrem nostrum (*vel* sororem nostram) ad gaudia caeli.
Domine, exaudi nos.

Frater noster (*vel* soror nostra) in Baptismate lautus (*vel* lauta) est, et per Spiritum Sanctum unctus (*vel* uncta) est; concede ut particeps sit communionis omnium tuorum sanctorum.
Domine, exaudi nos.

Corpore tuo et Sanguine nutritus (*vel* nutrita) est: Dona ei locum ad mensam tuam in regno tuo caelesti.
Domine, exaudi nos.

Confirma nos mortem fratris nostri (*vel* sororis nostrae) dolentes; Sit fides nobis solatium et aeterna vita nobis spes.

Silentium sequatur.

Celebrans concludit cum oratione sequenti vel alia

Domine Iesu Christe, tibi commendamus fratrem nostrum (*vel* sororem nostram) *N*., qui renatus (*vel* renata) est per aquam et Spiritum in Sancto Baptismate. Mors eius nos admoneat ut mortem viceris, et occasio sit qua fiduciam nostram renovemus in caritate Patris tui. Da nobis, quaesumus, fidem ad sequendum quo praeiisti; ubi vivis et regnas cum Deo Patre, in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

vel

Pater omnium, ad te oramus pro *N*, et pro eis quos diligimus sed non ultra videmus. Requiem aeternam dona eis, et lux perpetua luceat eis. Anima eius, et animae omnium defunctorum, per misericordiam Dei, requiescant in pace. *Amen.*

Nisi est Communio, officium pergitur cum Commendatione vel in Ecclesia vel ad Sepulturam.

Ad Eucharistiam

Liturgia pergitur cum Pax Domini *et Offertorio.*

Prefatio de Commemoratione Mortuorum

Pro oratione consueta post communionem, sequens dicitur

Omnipotens Deus, tibi gratias agimus quod in caritate immensa tua nos pascere dignatus es spirituali cibo potuque Corporis et Sanguinis Filii tui Iesu Christi, quodque gustum convivii caelestis tui nobis donasti. Concede ut hoc Sacramentum nobis sit consolatio in afflictione, et pignus hereditatis nostrae in illo regno ubi mors ultra non est, neque luctus neque clamor, sed plenitudo gaudii cum omnibus sanctis tuis; per Iesum Christum Salvatorem nostrum. *Amen.*

Si corpus non adsit, liturgia pergitur cum [benedictione et] dimissione.

Nisi corpus in ecclesia ipsa sepeliendum sit, haec Commendatio adhibetur.

Commendatio in Ecclesia

Celebrans et alii ministri locis eorum accedunt.

Haec antiphona, vel alia apta, vel hymnus, canatur vel dicatur.

Requiem dona, Christe, servis tuis (*vel* servae tuae *vel* servo tuo) cum sanctis tuis,
ubi luctus ultra non est neque dolor,
neque clamor, sed vita sempiterna.

Tu solus immortalis, creator et factor humani generis;
et mortales sumus, facti ex pulvere, et in pulverem revertemur.
Quoniam sic edixisti cum me creavisses, dicens,
"Pulvis es, et in pulverem reverteris."
Nos omnes in pulverem descendemus;
sed etiam ad sepulchrum cantum nostrum canemus: Alleluia, alleluia, alleluia.

*Requiem dona, Christe, servis tuis (*vel *servae tuae* vel *servo tuo) cum sanctis tuis,*
ubi luctus ultra non est neque dolor,
neque clamor, sed vita sempiterna.

Celebrans ad corpus versus dicit

In manus tuas, misericors Salvator, servum tuum (*vel* ancillam tuam) *N*. commendamus. Agnosce, humiliter te petimus, ovem ovilis tui, agnum gregis tui, peccatorem redimendi tui. Suscipe eum (*vel* eam) in bracchia misericordiae tuae, in beatam requiem pacis sempiternae, et in communionem gloriosam sanctorum in lumine. *Amen*.

Celebrans, vel Episcopus si adsit, benedicat populum, et Diaconus vel alius Minister dimittat eos, dicens

Procedamus in nomine Christi.
Deo gratias.

Dum corpus ex ecclesia fertur, hymnus, vel una ex his antiphonis canatur vel dicatur, vel plures

Christus a mortuis surrexit, mortem morte opprimens, et vitam eis qui in sepulchro dormiunt donans.

Sol iustitiae gloriose surrexit, illuminans hos qui in tenebris et in umbra mortis sedent.

Dominus diriget pedes nostros in viam pacis, quoniam sustulit peccata mundi.

Christus aperiet credentibus in Nomine suo regna caelorum, dicens, Venite benedicti Patris mei possidete paratum vobis regnum.

In paradisum deducant te angeli; in tuo adventu suscipiant te martyres, et perducant te in civitatem sanctam Ierusalem.

vel una ex his Canticis

Canticum Zachariae, *Benedictus*
Canticum Simeonis, *Nunc dimittis*
Invitatorium Paschale, *Pascha nostrum*

Commendatio ad Sepulturam

Antiphona sequens canitur vel dicitur, vel una ex eis in paginis 491-492 [Libri Precum Publicarum]

Omne quod dat mihi Pater ad me veniet;
et eum qui venit ad me non eiciam foras.

Qui suscitavit Iesum Christum a mortuis
vivificabit et mortalia corpora nostra,
propter inhabitantem Spiritum suum in nobis.

Propter hoc laetatum est cor meum et exultavit lingua mea;

insuper et caro mea requiescet in spe.

Notas mihi fecisti vias vitae;
adimplebis me laetitia cum vultu tuo,
delectatio in dextera tua usque in finem.

Deinde, dum terra in arcam inicitur, Celebrans haec verba dicit

Cum certa et constanti spe resurrectionis ad vitam aeternam, fratrem nostrum (*vel* sororem nostram) *N*. Deo Omnipotenti commendamus; et corpus eius sepulchro committendum curamus; terram terrae, cinerem cineribus, pulverem pulveribus. Benedicat ei Dominus et custodiat eum (*vel* eam), ostendat Dominus faciem suam ei et misereatur eius, convertat Dominus vultum suum ad eum (*vel* eam) et det ei pacem. *Amen*.

Celebrans dicit

Dominus vobiscum.
Populus Et cum spiritu tuo.
Celebrans Oremus.

Populus et Celebrans dicunt

Pater noster, qui es in caelis,
sanctificetur nomen tuum,
adveniat regnum tuum,
fiat voluntas tua,
sicut in caelo et in terra.
Panem nostrum quotidianum da nobis hodie,
Et dimitte nobis debita nostra,
sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.
Et ne nos inducas in tentationem,
sed libera nos a malo.
Quia tuum est regnum, et potestas, et gloria
in saecula. Amen.

Deinde Celebrans dicat

Omnipotens Deus, Deus spirituum omnis carnis, qui per vocem de caelo dixisti, Beati mortui qui in Domino moriuntur: Multiplica, quaesumus, eis, qui requiescunt in Christo, benedictiones innumeras caritatis tuae, ut opus bonum quod coepisti in eis perficiatur usque in diem Christi Iesu. Etiam, Pater caelestis, per misericordiam tuam concede, ut nos qui tibi serviunt hic in terra, in fine participes fiamus hereditatis sanctorum in lumine; propter Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen*.

Pro hac oratione, vel praeter hanc orationem, Celebrans utatur qualibet Oratione infra Adiuncta.

Deinde dicatur

Requiem aeternam dona ei, Domine:
Et lux perpetua luceat ei.

Anima eius, et animae omnium defunctorum, per misericordiam Dei, requiescant in pace.
Amen.

Celebrans populum his verbis dimittit

Alleluia. Christus surrexit.
Populus Surrexit Dominus vere. Alleluia.
Celebrans Procedamus in nomine Christi.
Populus Deo gratias.

vel sequentibus verbis

Deus pacis, qui eduxit de mortuis pastorem magnum ovium in sanguine testamenti aeterni Dominum nostrum Iesum: Aptet vos in omni bono ut faciatis voluntatem eius, faciens in vobis quod placeat coram se; per Iesum Christum, cui gloria in saecula saeculorum. *Amen.*

Consecratio Sepulchri

Si sepulchrum in loco est quem non antehac consecratus est ad sepulturam Christianam, Sacerdos utatur oratione sequenti vel ante officium Commendationis, vel in alio tempore opportuno

Deus, cuius beatus Filius in sepulchro in horto positus est: Benedic, quaesumus, hoc sepulchrum, et concede ei cuius corpus hic sepelitur (sepelietur) ut in paradiso cum Christo inhabitet, et in regnum tuum caeleste adveniat; per Filium tuum Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Orationes adiunctae

Omnipotens Deus, apud quem vivunt spiritus illorum qui hinc decesserunt in Domine, et quocum animae fidelium laetitia et felicitate fruuntur: Gratias agimus tibi ex animo propter bona exempla omnium famulorum tuorum, qui cursum suum in fide perfecerunt, et nunc requiem et refrigerium inveniunt. Concede ut nos, una cum omnibus vita defunctis in vera fide Nominis tui, consequamur perfectam consummationem et beatudinem in tua perpetua et sempiterna gloria. *Amen.*

Deus, dierum perpetuorum, et miserationum innumerabilium: Da nobis, quaesumus, sensum altum brevitatis et incerti humanae vitae; et Spiritus Sanctus tuus nos perducat in sanctitate et iustitia omnibus diebus vitae; ut, cum tibi serviverimus in nostra aetate, congregemur ad populum nostrum, conscientiae bonae testimonium habentes, in communione Ecclesiae Catholicae, in fiducia fidei certae, in consolatione spei rationabilis reliogiosae et sanctae, in

favore tecum, Deo nostro, atque in caritate perfecta cum mundo. Quae omnia rogamus per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Deus, Rex sanctorum, laudamus et glorificamus sanctum Nomen tuum propter omnes famulos tuos qui cursum suum in fide et timore tui perfecerunt: propter beatam Mariam Virginem; propter sanctos patriarchos, prophetas, apostolos, et martyres; et propter alios famulos tuos iustos, nobis cognitos incognitosque; et oramus ut, exemplis eorum confirmati, precibus eorum adiuti, et communione eorum corroborati, nos quoque participes fiamus hereditatis sanctorum in lumine; per merita Filii tui Iesu Christi Domini nostri. *Amen.*

Domine Iesu Christe, qui morte tua mortis stimulum delevisti: Concede nobis famulis tuis tantam gratiam ad sequendum in fide quo anteisti, ut denique in te tranquille dormiamus, et in similitudine tua excitemur; propter misericordiam tuam. *Amen.*

Pater omnium, tibi oramus pro eis quos diligimus sed non ultra videmus. Dona eis pacem; lux perpetua luceat eis; et, in sapientia tua diligenti potestateque omnipotenti, perfice in eis bonum propositum tuae voluntatis perfectae; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Misericors Deus, Pater Domini nostri Iesu Christi qui est Resurrectio et Vita: Humiliter petimus, ut nos a morte peccati resuscites ad vitam iustitiae; ut cum ex hac vita emigraverimus, requiescamus in eo, et ad resurrectionem accipiamus illam benedictionem quam dilectissimus Filius tuus pronuntiabit, Venite benedicti Patris mei; possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Quod concede, misericors Pater, per Iesum Christum, Mediatorem nostrum et Redemptorem. Amen.

Omnipotens aeterne Deus, tibi laudem altissimam et gratias sinceras agimus propter gratiam mirabilem virtutemque in omnibus sanctis tuis manifestatam, qui vasa electa gratiae tuae fuerunt, et luces mundi in generatione sua; humiliter supplicantes ut nobis dones gratiam ad sequendum exemplum eorum constantiae in fide, et oboedientiae mandatis sacris tuis, ut in die resurrectionis generalis, nos, cum omnibus in corpore Filii tui mystico incorporatis, ad dexteram eius ponamur, et illam audimus vocem laetissimam eius, dicentis, Venite benedicti Patris mei possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Quod, Pater, largiri digneris, propter Iesum Christum unicum nostrum Mediatorem et Advocatum. *Amen.*

In manus tuas, Domine, servum tuum (*vel* ancillam tuam) *N.* commendamus, fratrem nostrum carum (*vel* sororem nostram caram), sicut in manus fidelis Creatoris et Salvatoris misericordissimi, precantes ut in conspectu tuo pretiosus (*vel* pretiosa) sit. Lava, quaesumus, eum (*vel* eam) in sanguine illius Agni immaculati qui occisus est ad tollenda peccata mundi; ut, quaecunque labes, quas contraxeit hac in media vita terrena, purgentur et auferantur, atque is (*vel* ea) purus immaculatusque (*vel* pura immaculataque) coram te introducatur; per merita unici Filii tui Iesu Christi Domini nostri. *Amen.*

Memento, Domine, famuli tui (*vel* famulae tuae) secundum favorem quem fers plebi tui; et concede ut, in cognitione et caritate tui crescens, a virtute ad virtutem in vita ministerii perfecti procedat in regno tuo caelesti. *Amen*.

Omnipotens Deus, Pater noster caelestis, in cuius manibus sunt vivi et mortui: Tibi gratias agimus propter omnes famulos tuos qui animas dederunt pro nostra patria. Concede eis misericordiam tuam et lucem praesentiae tuae; et da nobis tantam cognitionem vividam tuae voluntatis iustae, ut opus quod in eis incepisti perficiatur; per Filium tuum Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen*.

Domine Iesu Christe, Fili Dei vivi, pone, quaesumus, passionem, crucem, et mortem tuam inter iudicium tuum et animas nostras, nunc et in hora mortis nostrae. Largiri digneris misericordiam et gratiam vivis; veniam requiemque defunctis; Ecclesiae tuae sanctae pacem concordiamque; et nobis peccatoribus vitam ac gloriam sempiternam; qui vivis et regnas, cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen*.

Concede, Domine, omnibus orbis spiritum fidei et fortitudinis, ut virtutem habeant ad vitam agendam diebus venturis cum constantia et patientia; non dolentes sicut et ceteri qui spem non habent, sed grate recordantes bonitatem tuam immensam, et laete exspectantes vitam aeternam cum eis quos diligunt. Quod petimus in Nomine Iesu Christi Salvatoris nostri. *Amen*.

Omnipotens Deus, Pater miserationum et donator solatii: Age clementer, quaesumus, de omnibus lugentibus; ut, omnes sollicitudines in te proicientes, consolationem caritatis tuae cognoscant; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen*.

Ordo Sepulturae

Cum, propter rationes pastorales, neuter ritus sepulturae in hoc Libro aptus existimatur, forma sequens adhibetur.

1. Corpus accipitur. Celebrans occurrat corpori et id perducat in ecclesiam vel sacellum, vel corpus ponatur in loco antequam congregatio convenerit.

2. Antiphonae ex Sacra Scriptura vel psalmi canantur vel dicantur, vel hymnus canatur.

3. Preces offerantur pro orbis.

4. Una lectio ex Sacra Scriptura recitatur, vel plures. Psalmi, hymni, vel antiphonae sequantur lectiones. Si Communio celebrabitur, ultima Lectio ex Evangelio legitur.

5. Homilia lectiones sequatur, et Symbolum Apostolorum recitetur.

6. Preces, Orationem Dominicam includentes, offeruntur pro defunctis, pro lugentibus, et pro societate Christiana, recordantes promissiones Dei in Christo de vita aeterna.

7. Defunctus Deo commendatur, et corpus committitur ad locum requiei. Commendatio faciatur vel in loco ubi officium antecedens peractum est, vel ad sepulchrum.

8. Communio, si celebretur, antecedit commendationem, et incipitur cum Pax Domini et Offertorio Eucharistiae. Quaelibet prex eucharistica licita adhibeatur.

N.B.

Liturgia pro defunctis Paschalis est. Tota significatio eius invenitur in resurrectione. Quod Iesus a mortuis suscitatus est, nos quoque suscitabuntur.

Liturgia igitur laetitia notatur, in certa fide quia "neque mors neque vita neque angeli neque principatus neque instantia neque futura neque fortitudines neque altitudo neque profundum neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei quae est in Christo Iesu Domino nostro."

Haec laetitia, autem, dolorem humanum non facit inchristianum. Caritas eadem quam inter nos habemus in Christo dolorem altum fert cum mors nos separat. Iesus ipse flevit ad sepulchrum amici sui. Ergo, quamquam gaudemus quia dilectus noster propius ad Dominum introiit, tamen lugemus una cum lugentibus.

Liturgiae Episcopales

Praefatio Rituum Ordinationis

Sacrae Scripturae et veteres auctores Christiani manifestant exstitisse in Ecclesia ex apostolorum temporibus ministeria diversa. Praecipue, ex Novi Testamenti temporibus, tres ordines diversi ministrorum ordinatorum proprii fuerunt Ecclesiae sanctae catholicae Christi. Imprimis, est ordo episcoporum qui opus apostolicum continuant in Ecclesiam perducendo, procurando, et eius unitatem conservando. Deinde, cum eis consociati sunt presbyteri, vel seniores ordinati, in temporibus posterioribus sacerdotes vulgo nominati. Cum episcopis, participes sunt ducendi Ecclesiam, faciendi eius opus missionale pastoraleque, et praedicandi Verbum Dei et ministrandi Sacramenta sancta. Tertio, sunt diaconi adiuvantes epicopos presbyterosque in his omnibus operibus. Et cura specialis est diaconorum ministrare in nomine Christi pauperibus, aegris, patientibus, et inopibus.

Homines, ab Ecclesia electi et noti ad ministerium ordinatum a Deo vocari, his sacris ordinibus admittuntur per preces sollemnes cum impositione manuum episcopalium. Erat, et est, consilium mensque huius Ecclesiae tenere et conservare hos tres ordines; et ad hoc, haec officia ordinationis et consecrationis designantur. Nulli licet officia episcopi, presbyteri, aut diaconi in hac Ecclesia exsequi, nisi sic ordinatus erit, aut talem ordinationem iam accepit cum impositione manuum episcoporum qui ipsi legitime idonei sunt ad conferendum Ordines Sacros.

Cognoscitur et affirmatur ut ministerium triplum non solum pertineat ad hac partem Ecclesiae catholicae Christi, sed est donum a Deo datum pro nutriendo plebem eius et pronuntiando ubique Evangelium. Itaque modus ordinandi in hac Ecclesia talis erit qui Christianis plerumque notus est, et noscitur aptus esse ad conferendum ordines sacros episcopi, presbyteri, et diaconi.

De Ordinatione Episcopi

Secundum consuetum antiquum, decet, si possit, ut episcopi ordinentur Dominicis et aliis festis Domini nostri vel festis apostolorum vel evangelistarum.

Cum episcopus ordinetur, Episcopus Praesidens Ecclesiae, vel episcopus ab Episcopo Praesidenti designatus, praesidet ut consecrator principalis. Duo saltem alii episcopi ut conconsecratores agunt. Legatis presbyterorum, diaconorum, et laicorum dioecesis pro quo episcopus novus consecrandus est, officia apta in liturgia assignantur.

Ab initio liturgiae usque ad Offertorium, consecrator principalis ad faldistorium prope ab plebe positum praesidet, ita ut omnes videre audireque quae fiant possint. Alii episcopi, vel quotquot commodum sit, ad dexteram sinistramque consecratoris principalis.

Episcopus electus veste linea vel alba indutus est, sine stola, nec liripipio, nec aliis ornamentis de gradibus vel ordinibus ecclesiasticis vel academicis.

Ubi episcopus electus praebetur, omnia nomina eius (signo *N.N.* designata) recitantur. Postea decet praenomine, secundum quod appellari velit, illum appellare.

Ad Offertorium, decet ut familia vel amici eius nuper ordinati panem et vinum ad Altare ferant.

Familia eius nuper ordinati Communionem ante alios congregatos accipiat. Semper oportet ut occasio communicandi plebi donetur.

Praecepta adiuncta in pagina 552 [Libri Precum Publicarum] dantur.

Ordinatio Episcopi

Hymni, psalmi, vel antiphonae canantur in introitu episcoporum et aliorum ministrorum.

Populo stante, Episcopus designatus dicit

Benedictus Deus: Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus.
Populus Et benedictum regnum eius, nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

Pro verbis supra, a Pascha usque ad Dominicam Pentecostes

Episcopus Alleluia. Christus surrexit.
Populus Surrexit Dominus vere. Alleluia.

In Quadragesima, et aliis occasionibus paenitentialibus

Episcopus Benedictus Dominus qui dimittit omnia peccata nostra.
Populus In saeculum misericordia eius.

Deinde Episcopus dicit

Omnipotens Deus, cui omne cor patet, et omnis voluntas loquitur, et quem nullum latet secretum: Purifica per infusionem Sancti Spiritus cogitationes cordis nostri, ut te perfecte diligere, et sanctum Nomen tuum digne laudare mereamur; per Christum Dominum nostrum. *Amen*.

Praesentatio

Episcopi et populus considunt. Pro dioecese quidam, et Presbyteri et Laici, coram Episcopo Praesidenti stantes, episcopum electum praebent, dicentes

N., Episcope in Ecclesia Dei, clerus et populus Dioecesis *N*., moderationi Sancti Spiritus fidentes, *N.N.* episcopum et pastorem primatum elegerunt. Te rogamus, igitur, ut manus super eum imponas et in virtute Spiritus Sancti eum consecres episcopum in una, sancta, catholica, et apostolica Ecclesia.

Deinde Episcopus Praesidens dirigit ut testimonia electionis legantur.

His lectis, Episcopus Praesidens promissionem sequentem Episcopi electi requirit

In Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, ego, *N.N.*, Episcopus Ecclesiae in *N.* electus, sollemniter comfirmo me credere Sacras Scripturas Veteris et Novi Testamenti Verbum Dei esse, et omnia ad salutem necessaria continere; et solemniter iuro me doctrinae, disciplinae, et cultui obsequi Ecclesiae Episcopalis.

Deinde Episcopus electus Declarationi antecedenti chirographum suum subscribit coram omnibus praesentibus. Testes quoque signaturas addunt.

Omnes stent.

Deinde Episcopus Praesidens verba sequentia dicit, vel similia, et responsionem populi petit.

Fratres et sorores in Christo Iesu, testimonium datum audivistis quod *N.N.* episcopus Ecclesiae Dei recte et legitime electus est ad serviendum in Dioecese *N.* Quod aptus est vobis confirmatum est, atque Ecclesia eum huic sacrae curae approbavit. Nihilominus, si quis e vobis causam cognovit propter quam non debeat pergere, nunc illa aperiatur.

Si nullum impedimentum offertur, Episcopus Praesidens pergit

Vultis ut *N.* episcopum ordinemus?

Populus cum his verbis vel similibus respondit

Ita volumus.

Episcopus Praesidens interrogat

Vultisne sustinere *N.* sicut episcopum?

Populus cum his verbis vel aliis

Volumus.

Deinde Episcopus Praesidens dicit

Scripturae nobis narrant quod Christus Salvator noster pernoctabat in oratione priusquam duodecim apostolos suos eligeret et emitteret. Simili modo, apostoli orabant priusquam Matthiam unum collegii eorum constituerent. Nos, igitur, exempla eorum sequentes, orationes nostras omnipotenti Deo offeramus priusquam *N.* ad opus illud ordinemus ad quod ipsum a Spiritu Sancto vocatum esse confidimus.

Omnes genuflectunt, et Homo designatus Litaniam pro Ordinationibus dirigit, vel aliam litaniam legitimam. Ad finem litaniae, post Kyrie eleison*, Episcopus Praesidens stat et dicit Collectam Diei, vel Collectam sequentem, vel ambas, sic incipiens*

Dominus vobiscum.

Populus Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus, incommutabilis virtus et lumen aeternum, respice propitius ad totius Ecclesiae sacramentum, et opus salutis humanae perpetuae dispositionis effectu tranquillius operare; totusque mundus experiatur et videat deiecta erigi, inveterata renovari et per ipsum Christum redire omnia in integrum, a quo sumpsere principium; qui vivit et regnat in saecula saeculorum. *Amen*.

Liturgia Verbi

Tres lectiones recitentur. Laici Lectionem ex Testamento Veteri et Epistolam recitent.

Lectiones fere ex tabula sequenti eliguntur, et extendantur ad libitum. Festo Maiori vel Dominica, Episcopus Praesidens Lectiones ex Proprio Diei eligat.

Lectio ex Veteri Testamento Is 61:1-8, *vel* Is 42:1-9
Psalmus 99, *Dominus regnavit*, *vel* 40:1-14, *Deus, auribus*, *vel* 100, *Iubilate Deo*
[*Vulgata 98, vel 39:1-14, vel 99*]
Epistola Heb 5:1-10, *vel* I Tim 3:1-7, *vel* 2 Cor 3:4-9

Lector incipit

Lectio (de libro N. *vel* de epistola ad N.)

Caput er versus annuntientur.

Post quamque lectionem, Lector dicat

Verbum Domini.
Populus Deo Gratias.

aut Lector dicat Hic finitur Lectio (Epistola)

Silentium sequatur.

Psalmus, hymnus, vel antiphona sequatur quamque lectionem.

Deinde, omnibus stantibus, Diaconus vel Sacerdos recitat Evangelium, sic incipiens

Lectio Sancti Evangelii Domini nostri Iesu Christi
secundum (Mattheum *vel* Marcum *vel* Lucam *vel* Iohannem).

Populus Gloria tibi, Domine.

Io 20:19-23, *vel* Io 17:1-9, 18-21, *vel* Luc 24:44-49a

Evangelio finito, Lector dicit

Evangelium Domini.
Populus Laus tibi, Christe.

Sermo

Post Sermonem, Congregatio hymnum canit.

Examinatio

Omnes considunt praeter episcopum electum qui versus ad episcopos stat. Episcopus Praesidens episcopum electum alloquitur.

Frater mi, populus te elegit et, electionem tuam acclamans, fidem in te affirmavit. Episcopus in Ecclesia sancta Dei unus cum apostolis esse vocatur in annuntiando resurrectionem Christi et Evangelium interpretando, et testificari principatum Christi, Domini Dominantium, et Regis Regum.

Vocaris custodire fidem, unitatem, disciplinamque Ecclesiae; celebrare administrationem Sacramentorum Novi Testamenti et suppeditare; presbyteros diaconosque ordinare et ordinationis episcoporum particeps esse; et in omnibus pastor fidelis et exemplar salutare esse pro toto grege Christi.

Cum collegis episcopalibus, particeps eris ducendi Ecclesiam per totum mundum dispersam. Hereditas tua est fides patriacharum, prophetarum, apostolorum, et martyrum, et eorum omnis aetatis qui ad Deum in fide se converterunt. Laetitia tua erit ut eum sequaris qui non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis.

Persuasum est tibi, ut te ad episcopatum vocaverit Deus?

Responsio Ita mihi persuasum est.

Quaestiones sequentes episcopo electo ponuntur ab uno vel pluribus aliorum episcoporum.

Episcopus Accipies hanc vocationem et explebis hanc fiduciam Christo oboediens?
Responsio Christo oboediam, et ministrabo in nomine eius.

Episcopus Vis fidelis esse in orando, et in Sacrae Scripturae studendo, ut sensum Christi habeas?
Responsio Volo, quoniam ille adiutor meus est.

Episcopus Vis annuntiare et interpretare Evangelium Christi, mentes illuminans et conscientiam excitans populi tui?
Responsio Volo, in virtute Spiritus.

Episcopus Ut pontifex et pastor, vis confirmare et sustinere omnes baptizatos in gratiis eorum et ministeriis, pascere eos ex divitiis gratiae Dei, orare pro eis sine fine, et celebrare cum eis sacramenta redemptionis nostrae?
Responsio Volo, in nomine Christi Pastoris et Episcopi animarum nostrarum.

Episcopus Vis custodire fidem, unitatem, et disciplinam Ecclesiae?
Responsio Volo, pro caritate Dei.

Episcopus Vis particeps esse cum collegis episcopalibus in ductu totius Ecclesiae; sustinere presbyteros tecum consociatos et cum eis consiliari; ducere et confirmare diaconos et omnes alios et alias qui in Ecclesia ministrant?
Responsio Volo, gratia mihi data.

Episcopus Vis miserere omnium, misericordiam pauperibus et alienis concedere, et defendere eos qui nullum adiutorem habent?
Responsio Volo, pro Christo Iesu.

Omnes stant. Deinde Episcopus Praesidens dicit

N., per has promissiones Deo te ipsum commisisti, ad serviendum Ecclesiae eius in episcopatu. Ergo te imploramus, electum fidei Ecclesiae praesidem, ut nos ducas in confitendo illam fidem.

Episcopus electus

Credo in unum Deum.

Deinde una voce omnes canunt vel dicunt

Credo in unum Deum,
Patrem Omnipotentem,
factorem caeli et terrae,
visibilium omnium et invisibilium;

Et in unum Dominum Iesum Christum,
Filium Dei unigenitum,
et ex Patre natum ante omnia saecula,
Deum de Deo, Lumen de Lumine,

Deum verum de Deo vero,
genitum non factum,
consubstantialem Patri,
per quem omnia facta sunt;
qui propter nos homines et propter nostram salutem
descendit de caelis,
et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine,
et homo factus est;
crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato;
passus et sepultus est;
et resurrexit tertia die secundum Scripturas,
et ascendit in caelum,
sedat ad dexteram Patris;
et iterum venturus est cum gloria, iudicare vivos et mortuos,
cuius regni non erit finis;

Et in Spiritum Sanctum, Dominum et Vivificantem,
qui ex Patre Filioque procedit;
qui cum Patre et Filio simul adoratur
et conglorificatur;
qui locutus est per Prophetas;
Et unam sanctam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam;
Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum;
Et exspecto resurrectionem mortuorum,
et vitam venturi saeculi. Amen.

Consecratio Episcopi

Omnibus usque stantibus, episcopus electus genuflectit coram Episcopo Praesidenti. Episcopi alii stant ad sinistram dexteramque Episcopi Praesidentis.

Hymnus, Veni Creator Spiritus, *vel hymnus*, Veni Sancte Spiritus, *canitur.*

Tempus ad orationem secretam sequitur, usque stante populo.

Deinde Episcopus Praesidens hanc Orationem Consecrationis incipit

Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis qui in excelsis habitas et humilia respicis, qui cognoscis omnia antequam nascantur: Tibi gratias agimus quoniam praedestinasti ex principio genus hereditates esse testamenti Abrahae, prophetas, principes, et sacerdotes constituens, et sanctuarium tuum sine ministerio non derelinquens. Te laudamus etiam ut ex initio saeculi bene tibi placuerit in his quos elegisti praedicari.

Nunc Episcopus Praesidens et Episcopi alii manus super caput episcopi electi imponunt, simul dicentes

N. fac igitur, Pater, episcopum in Ecclesia tua. Effunde super *eum* virtutem quae a te est, principalis Spiritus quem dedisti dilecto Filio tuo Iesu Christo, quod donavit sanctis apostolis qui constituerunt Ecclesiam per singula loca, sanctificationem tuam in gloriam et laudem indeficientem Nomini tuo.

Episcopus Praesidens sic pergit

Da cordis cognitor Pater super hunc servum tuum quem elegisti ad episcopatum pascere gregem Christi, et primatum sacerdotii tibi exhibere sine reprehensione servientem noctu et die in ministerio reconciliationis, et veniam pronuntiare in Nomine tuo, et offere dona sancta, et prudenter praeesse vitae operique Ecclesiae. In omnibus, coram te oblationem placitam offerat vitae mundae, mansuetae, sanctaeque; per Puerum tuum Iesum Christum, cui tecum, et Spiritu Sancto, sit gloria et potentia et honor, et nunc et in saecula saeculorum.

Populus clara voce respondet, dicens Amen.

Episcopus novus secundum ordinem episcoporum vestitur.

Scripturae Sacrae cum his verbis donantur

Accipe Sacras Scripturas. Pasce gregem Christi curae tuae commissum, eos custodi et defende in veritate eius, atque ministrum fidelem Verbi sancti eius et Sacramentorum te praebe.

Postea aliae signae officii donentur.

Episcopus Praesidens populo episcopum eorum novum introducit.

Clerus et Populus acclamationes et applausus offerunt.

Pax

Deinde Episcopus novus dicit

Pax Domini sit semper vobiscum.
Populus Et cum spiritu tuo.

Episcopus Praesidens et alii Episcopi novum episcopum salutant.

Populus inter se salutant.

Et Episcopus novus salutat alios clericos, cognatos et cognatas, et congregationem.

Nunc Episcopus novus, si Ordinarius est, ad cathedram episcopalem deducatur.

Ad Celebrationem Eucharistiae

Liturgia pergitur cum Offertorio.

Diaconi Mensam parant.

Deinde it Episcopus novus ad Mensam Domini ut Celebrans principalis et, cum episcopis aliis et prebyteris, celebrationem Eucharistiae continuat.

Post Communionem

Pro oratione consueta post communionem, unus ex episcopis sic populum dirigit

Omnipotens Pater, tibi gratias agimus quod nos pascere dignatus es cibo sancto Corporis et Sanguinis Filii tui, quodque per illum in communione Spiritus Sancti nos coniunxisti. Tibi gratias agimus quod, in nobis, servos fideles producis ad ministerium Verbi tui et Sacramentorum. Te rogamus ut *N.* sit nobis exemplar validum in verbo et opere, in caritate et patientia, et in sanctitate vitae. Concede nobis ut cum *eo* nunc tibi serviamus, et semper in gloria tua gaudeamus; per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, nunc et in saecula saeculorum. Amen.

Episcopus novus populum benedicit, sic incipiens

Adiutorium nostrum in nomine Domini.
Populus Qui fecit caelum et terram.

Episcopus novus Sit nomen Domini benedictum.
Populus Et nunc, et in perpetuum.

Episcopus novus Benedictio, misericordia, et gratia omnipotentis Dei,
Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, sit super vos,
et maneat semper vobiscum. *Amen.*

Diaconus populum dimittit

Procedamus in mundum, gaudentes in virtute Spiritus.
Populus Deo gratias.

A Die Paschae usque ad Dominicam Pentecostes "Alleluia, alleluia" coniungatur ad dismissionem et responsionem.

De Officio

Ubi episcopus Sacras Ordines confert, necesse est ut saltem duo presbyteros adsint.

Ab initio liturgiae usque ad Offertorium, episcopus ad faldistorium positum versus plebem prope exspectantem praesidet, ita ut omnes videre audireque quae fiant possint.

Ordinandus superpelliceo vel alba indutus est, sine stola, nec liripipio, nec aliis ornamentis de gradibus vel ordinibus ecclesiasticis vel academicis.

Ubi ordinandus praebetur, omnia nomina eius (signo *N.N.* designata) recitantur. Postea decet praenomine, secundum quod appellari velit, illum appellare.

Ad Offertorium, decet ut familia vel amici eius nuper ordinati panem et vinum ad Altare ferant.

Ad Magnam Gratiarum Actionem, sacerdos novus et alii sacerdotes cum episcopo in Altare stant, ut socii et conministri Sacramenti, et cum episcopo communicant.

Familia eius nuper ordinati Communionem ante alios congregatos accipiat. Semper oportet ut occasio communicandi plebi donetur.

Praecepta adiuncta in pagina 552 [Libri Precum Publicarum] dantur.

Ordinatio Presbyteri

Hymnus, psalmus, vel antiphona canatur.

Populo stante, Episcopus dicit

Benedictus Deus: Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus.
Populus Et benedictum regnum eius, nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

Pro verbis supra, a Pascha usque ad Dominicam Pentecostes

Episcopus Alleluia. Christus surrexit.
Populus Surrexit Dominus vere. Alleluia.

In Quadragesima, et aliis occasionibus paenitentialibus

Episcopus Benedictus Dominus qui dimittit omnia peccata nostra.
Populus In saeculum misericordia eius.

Deinde Episcopus dicit

Omnipotens Deus, cui omne cor patet, et omnis voluntas loquitur, et quem nullum latet secretum: Purifica per infusionem Sancti Spiritus cogitationes cordis nostri, ut te perfecte diligere, et sanctum Nomen tuum digne laudare mereamur; per Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Praesentatio

Episcopus et populus considunt. Presbyter et Laicus, et alii ad placitum designati, coram Episcopo stantes, ordinandos praebent, dicentes

N., Episcope in Ecclesia Dei, pro clero et populo Dioecesis *N.*, tibi *N.N.* praebemus ut ordinetur presbyter in Ecclesia sancta catholica Christi.

Deinde Episcopus dicit

Electus est secundum canones huius Ecclesiae? Et existimatis ut modus vitae eius aptus sit ad exercitationem huius ministerii?

Praebentes dicunt

Tibi confirmamus eum mandatis canonum satisfecisse, et idoneum esse ad hunc ordinem eum existimamus.

Episcopus ordinando dicit

Vis fidelis esse ad doctrinam, disciplinam, et cultum Christi hac in Ecclesia accepta? Et, secundum canones huius Ecclesiae, vis episcopo tuo et aliis ministris tibi et operi tuo praesidentibus oboedire?

Responsio

Volo, et paratus sum sic facere; et sollemniter confirmo me credere Sacras Scripturas Veteris et Novi Testamenti Verbum Dei esse, et omnia ad salutem necessaria continere; et solemniter iuro me doctrinae, disciplinae, et cultui obsequi Ecclesiae Episcopalis.

Deinde Ordinandus Declarationi antecedenti chirographum suum subscribit coram omnibus.

Omnes stent. Deinde Episcopus populo dicit

Carissimi in Christo, cognovistis momentum huius ministerii, et gravitatem curae vestrae in praebendo *N.N.* sacro sacerdotio ordinandum. Itaque si quis e vobis aliquid impedimentum vel maleficium cognovit propter quod non debeat pergere, nunc accedeat ut illud aperiatur.

Si nullum impedimentum offertur, Episcopus pergit

Est voluntas vestra ut *N.* ordinetur presbyter?

Populus cum his verbis vel similis respondit

Est.

Episcopus interrogat

Vultis *eum* sustinere in hoc ministerio?

Populus cum his verbis vel aliis

Volumus.

Deinde Episcopus populum vocat ad orandum cum his vel similibus verbis

In pace oremus ad Dominum.

Omnes genuflectunt, et Homo designatus Litaniam pro Ordinationibus dirigit, vel aliam litaniam legitimam. Ad finem litaniae, post Kyrie eleison*, Episcopus stat et dicit Collectam Diei, vel Collectam sequentem, vel ambas, sic incipiens*

Dominus vobiscum.
Populus Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus, incommutabilis virtus et lumen aeternum, respice propitius ad totius Ecclesiae sacramentum, et opus salutis humanae perpetuae dispositionis effectu tranquillius operare; totusque mundus experiatur et videat deiecta erigi, inveterata renovari et per ipsum Christum redire omnia in integrum, a quo sumpsere principium; qui vivit et regnat in saecula saeculorum. *Amen.*

Liturgia Verbi

Tres lectiones recitentur. Laici Lectionem ex Testamento Veteri et Epistolam recitent.

Lectiones fere ex tabula sequenti eliguntur, et extendantur ad libitum. Festo Maiori vel Dominica, Episcopus Lectiones ex Proprio Diei eligat.

Lectio ex Veteri Testamento Is 6:1-8, *vel* Num 11:16-17, 24-25
(articulus ultimus omittitur)
Psalmus 43, *Iudica me, Deus*, *vel* 132:8-19, *Surge, Domine* [*Vulgata 42, vel 131:8-18*]
Epistola I Pet 5:1-4,* *vel* Eph 4:7, 11-16, *vel* Phil 4:4-9

* *Hac in lectione pro verbo* seniores, presbyteros *lege.*

Lector incipit

Lectio (de libro N. *vel* de epistola ad N.)

Caput et versus annuntientur.

Post quamque lectionem, Lector dicat

Verbum Domini.
Populus Deo Gratias.

aut Lector dicat Hic finitur Lectio (Epistola)

Silentium sequatur.

Psalmus, hymnus, vel antiphona sequatur quamque lectionem.

Deinde, omnibus stantibus, Diaconus vel Sacerdos recitat Evangelium, sic incipiens

Lectio Sancti Evangelii Domini nostri Iesu Christi
secundum (Mattheum *vel* Marcum *vel* Lucam *vel* Iohannem).
Populus Gloria tibi, Domine.

Matt 9:35-38, *vel* Io 10:11-18, *vel* Io 6:35-38

Evangelio finito, Lector dicit

Evangelium Domini.
Populus Laus tibi, Christe.

Sermo

Deinde Congregatio dicit vel canit Symbolum Nicaenum

Credo in unum Deum,
Patrem Omnipotentem,
factorem caeli et terrae,
visibilium omnium et invisibilium;

Et in unum Dominum Iesum Christum,
Filium Dei unigenitum,
et ex Patre natum ante omnia saecula,
Deum de Deo, Lumen de Lumine,
Deum verum de Deo vero,
genitum non factum,
consubstantialem Patri,
per quem omnia facta sunt;
qui propter nos homines et propter nostram salutem
descendit de caelis,
et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine,
et homo factus est;
crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato;
passus et sepultus est;
et resurrexit tertia die secundum Scripturas,
et ascendit in caelum,
sedat ad dexteram Patris;
et iterum venturus est cum gloria, iudicare vivos et mortuos,
cuius regni non erit finis;

Et in Spiritum Sanctum, Dominum et Vivificantem,
qui ex Patre Filioque procedit;
qui cum Patre et Filio simul adoratur
et conglorificatur;

qui locutus est per Prophetas;
Et unam sanctam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam;
Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum;
Et exspecto resurrectionem mortuorum,
et vitam venturi saeculi. Amen.

Examinatio

Omnes considunt praeter ordinandum qui versus ad episcopum stat.

Episcopus ordinandum alloquitur, dicens

Frater mi, Ecclesia familia Dei est, corpus Christi, et templum Spiritus Sancti. Omnes baptizati vocantur ad Christum declarandum Salvatorem et Dominum, et participes esse renovationis mundi eius. Nunc te vocaris ad laborandum sicut pastor, sacerdos, et doctor, una cum episcopo tuo et compresbyteris, et particeps esse conciliorum Ecclesiae.

Ut presbyter, opus tibi erit pronuntiare verbo et opere Evangelium Iesu Christi, et secundum praecepta eius vitam tuam formare. Te oportet diligere plebem apud quam laboras, et ei servire, aeque curare iuvenes senesque, potentes debilesque, divites pauperesque. Te oportet praedicare, annuntiare peccatoribus paenitentibus veniam Dei, pronuntiare benedictionem Dei, particeps esse administrationis Sancti Baptismatis et celebrationis mysteriorum Corporis et Sanguinis Christi, et fungi aliis ministrationibus tibi commissis.

In omnibus operibus tuis, debes plebem Christi nutrire ex divitiis gratiae eius, et eam confirmare ad glorificandum Deum in hac vita et in vita venturi saeculi.

Frater mi, persuasum est tibi ut tu ad hoc sacerdotium vere a Deo voceris?

Responsio Ita mihi persuasum est.

Episcopus Committis te ipsum, nunc coram Ecclesia, huic fiduciae et curae?
Responsio Me ipsum committo.

Episcopus Vis observare et sequi directionem pastoralem et ductum episcopi tui?
Responsio Volo.

Episcopus Vis instare lectioni et studio sacrarum Scripturarum, et talibus studiis quae te factura sint firmiorem et potentiorem ministrum Christi?
Responsio Volo.

Episcopus Vis contendere ad sic ministrandum Verbum Dei et sacramenta Novi Testamenti, ut caritas reconcilians Christi cognoscatur et accipiatur?

Responsio Volo.

Episcopus Vis te ipsum committere sicut pastor fidelis ad omnes quibus servire vocaris, laborans una cum eis et cum ministris tecum consociatis ad aedificandum familiam Dei?
Responsio Volo.

Episcopus Vis operam dare ut vitam tuam [et illam familiae tuae, *vel* communitatis tuae] secundum Christi doctrinam conformes, ita ut exemplar salutare plebi tuae sis?
Responsio Volo.

Episcopus Vis perserverare in oratione, et palam et clam, petens gratiam Dei, et pro te ipso et pro aliis, omnia opera tua Deo offerens, per intercessionem Iesu Christi, in sanctificatione Spiritus Sancti?
Responsio Volo.

Episcopus Dominus, de cuius munere venit, ut haec omnia facere velis, gratiam et virtutem etiam ad ea exsequenda tibi concedat.
Responsio Amen.

Consecratio Presbyteri

Omnibus usque stantibus, ordinandus genuflectit coram Episcopo; presbyteri stant ad sinistram dexteramque Episcopi.

Hymnus, Veni Creator Spiritus, *vel hymnus*, Veni Sancte Spiritus, *canitur.*

Tempus orationi secretae sequitur, stante usque populo.

Deinde Episcopus hanc Orationem Consecrationis dicit

Deus Pater omnium, te laudamus propter caritatem tuam immensam in nos vocando plebem sanctam esse in regno Filii tui Domini nostri Iesu Christi, qui est imago gloriae tuae aeternae ac invisibilis, primogenitus in multis fratribus, et caput Ecclesiae. Tibi gratias agimus quod per mortem suam mortem vincit, et, in caelum ascendens, dona sua super plebem tuam abundanter effudit, faciens quosdam apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerii in aedificationem corporis sui.

Hic Episcopus manus imponit in caput ordinandi, Presbyteri praesentes quoque manus imponunt. Episcopus simul orat

Itaque Pater, per Iesum Christum Filium tuum, da *N.* Spiritum Sanctum tuum; *eum* gratia potestateque imple, et fac *eum* presbyterum in Ecclesia tua.

Deinde Episcopus pergit

Te, Domine, extollat in medio plebis tuae; sacrificia spiritualia tibi placentia offerat; evangelium salutis fortiter pronuntiet; et sacramenta Novi Testamenti recte administret. Fac *eum* pastorem fidelem, doctorem patientem, et consiliarium sapientem. Concede ei in omnibus sine reprehensione ministrare, ut plebs tua confirmetur et Nomen tuum glorificetur per totum mundum. Quae omnia a te petimus per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum.

Populus clara voce respondet, dicens Amen.

Presbyter novus secundum ordinem presbyterorum vestitur.

Episcopus Bibliam donat ei nuper ordinato, dicens

Accipe hanc Bibliam sicut signum potestatis tibi datae praedicandi Verbum Dei et administrandi sancta Sacramenta. Non obliviscere fiduciae tibi commissae ut presbytero Ecclesiae Dei.

Episcopus salutat novissime ordinatum.

Pax

Deinde Presbyter novus dicit

Pax Domini sit semper vobiscum.
Populus Et cum spiritu tuo.

Presbyteri novissime ordinatum salutant; qui deinde cognatos et alios salutat, sicut convenit. Clerus et Populus inter se salutant.

Ad Celebrationem Eucharistiae

Liturgia pergitur cum Offertorio. Diaconi Mensam parant.

Ad Mensam Domini cum Episcopo et aliis presbyteris stans Presbyter nuper ordinatus Sanctam Eucharistiam concelebrat et Fractionis Panis particeps est.

Post Communionem

Pro oratione consueta post communionem, sequens dicitur

Omnipotens Pater, tibi gratias agimus quod nos pascere dignatus es cibo sancto Corporis et Sanguinis Filii tui, quodque per illum in communione Spiritus Sancti nos coniunxisti. Tibi gratias agimus quod, in nobis, servos fideles producis ad ministerium Verbi tui et Sacramentorum. Te rogamus ut *N.* sit nobis exemplar validum in verbo et opere, in caritate et patientia, et in sanctitate vitae. Concede nobis ut cum *eo* nunc tibi serviamus, et semper in gloria tua gaudeamus; per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, nunc et in saecula saeculorum. Amen.

Episcopus presbyterum novum rogat ut populum benedicat.

Presbyter novus dicit

Benedictio omnipotentis Dei, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, sit super vos, et maneat semper vobiscum. *Amen.*

Diaconus, vel Sacerdos in absentia diaconi, populum dimittit

Procedamus in mundum, gaudentes in virtute Spiritus.
Populus Deo gratias.

A Die Paschae usque ad Dominicam Pentecostes "Alleluia, alleluia" coniungatur ad dismissionem et responsionem.

De Officio

Ubi episcopus Sacras Ordines confert, necesse est ut saltem duo presbyteros adsint.

Ab initio liturgiae usque ad Offertorium, episcopus ad faldistorium positum versus plebem prope exspectantem praesidet, ita ut omnes videre audireque quod facitur possint.

Ordinandus superpelliceo vel alba indutus est, sine liripipio, neque aliis ornamentis de gradibus vel ordinibus ecclesiasticis vel academicis.

Ubi ordinandus praebetur, omnia nomina eius (signo *N.N.* designata) recitantur. Postea decet praenomine, secundum quod appellari velit, illum appellare.

Ad Offertorium, decet ut familia vel amici eius nuper ordinati panem et vinum ad Altare ferant.

Post Sacram Communionem accipiendum, diaconus novus in distributione Sacramenti adiuvat, vel Panem vel Vinum vel ambo ministrans.

Familia eius nuper ordinati Communionem ante alios congregatos accipiat. Semper oportet ut occasio communicandi plebi donetur.

Praecepta adiuncta in pagina 552 [Libri Precum Publicarum] dantur.

Ordinatio Diaconi

Hymnus, psalmus, vel antiphona canatur.

Populo stante, Episcopus dicit

Benedictus Deus: Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus.
Populus Et benedictum regnum eius, nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

Pro verbis supra, a Pascha usque ad Dominicam Pentecostes

Episcopus Alleluia. Christus surrexit.
Populus Surrexit Dominus vere. Alleluia.

In Quadragesima, et aliis occasionibus paenitentialibus

Episcopus Benedictus Dominus qui dimittit omnia peccata nostra.
Populus In saeculum misericordia eius.

Deinde Episcopus dicit

Omnipotens Deus, cui omne cor patet, et omnis voluntas loquitur, et quem nullum latet secretum: Purifica per infusionem Sancti Spiritus cogitationes cordis nostri, ut te perfecte diligere, et sanctum Nomen tuum digne laudare mereamur; per Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Praesentatio

Episcopus et populus considunt. Presbyter et Laicus, et alii ad placitum designati, coram Episcopo stantes, ordinandos praebent, dicentes

N., Episcope in Ecclesia Dei, pro clero et populo Dioecesis *N.*, tibi *N.N.* praebemus ut ordinetur diaconus in Ecclesia sancta catholica Christi.

Deinde Episcopus dicit

Electus est secundum canones huius Ecclesiae? Et existimatis ut modus vitae eius aptus sit ad exercitationem huius ministerii?

Praebentes dicunt

Tibi confirmamus eum mandatis canonum satisfecisse, et idoneum esse ad hunc ordinem eum existimamus.

Episcopus ordinando dicit

Vis fidelis esse ad doctrinam, disciplinam, et cultum Christi hac in Ecclesia accepta? Et, secundum canones huius Ecclesiae, vis episcopo tuo et aliis ministris tibi et operi tuo praesidentibus oboedire?

Responsio

Volo, et paratus sum sic facere; et sollemniter confirmo me credere Sacras Scripturas Veteris et Novi Testamenti Verbum Dei esse, et omnia necessaria ad salutem continere; et solemniter iuro me doctrinae, disciplinae, et cultui obsequi Ecclesiae Episcopalis..

Deinde Ordinandus Declarationi antecedenti chirographum suum subscribit coram omnibus.

Omnes stent. Deinde Episcopus populo dicit

Carissimi in Christo, cognovistis momentum huius minsterii, et gravitatem curae vestrae in praebendo *N.N.* sacro ordini diaconorum ordinandum. Itaque si quis e vobis aliquid impedimentum vel maleficium cognovit propter quod non debeat pergere, nunc accedeat ut illud aperiatur.

Si nullum impedimentum offertur, Episcopus pergit

Est voluntas vestra ut *N.* ordinetur diaconus?

Populus cum his verbis vel similis respondit

Est.

Episcopus interrogat

Vultis *eum* sustinere in hoc ministerio?

Populus cum his verbis vel aliis

Volumus.

Deinde Episcopus populum vocat ad orandum cum his vel similibus verbis

In pace oremus ad Dominum.

Omnes genuflectunt, et Homo designatus Litaniam pro Ordinationibus dirigit, vel aliam litaniam legitimam. Ad finem litaniae, post Kyrie eleison*, Episcopus stat et dicit Collectam Diei, vel Collectam sequentem, vel ambas, sic incipiens*

Dominus vobiscum.
Populus Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus, incommutabilis virtus et lumen aeternum, respice propitius ad totius Ecclesiae sacramentum, et opus salutis humanae perpetuae dispositionis effectu tranquillius operare; totusque mundus experiatur et videat deiecta erigi, inveterata renovari et per ipsum Christum redire omnia in integrum, a quo sumpsere principium; qui vivit et regnat in saecula saeculorum. *Amen*.

Liturgia Verbi

Tres lectiones recitentur. Laici Lectionem ex Testamento Veteri et Epistolam recitent.

Lectiones fere ex tabula sequenti eliguntur, et extendantur ad libitum. Festo Maiori vel Dominica, Episcopus Lectiones ex Proprio Diei eligat.

Lectio ex Veteri Testamento Ier 1:4-9, *vel* Ecclus 39:1-8
Psalmus 84, *Quam dilecta*, *vel* 119:33-40, *Legem pone* [*Vulgata 83, vel 118:33-40*]
Epistola 2 Cor 4:1-6, *vel* 1 Tim 3;8-13, *vel* Act 6:2-7

Lector incipit

Lectio (de libro N. *vel* de epistola ad N.)

Caput et versus annuntientur.

Post quamque lectionem, Lector dicat

Verbum Domini.
Populus Deo Gratias.

aut Lector dicat Hic finitur Lectio (Epistola)

Silentium sequatur.

Psalmus, hymnus, vel antiphona sequatur quamque lectionem.

Deinde, omnibus stantibus, Diaconus vel Sacerdos recitat Evangelium, sic incipiens

Lectio Sancti Evangelii Domini nostri Iesu Christi

secundum (Mattheum *vel* Marcum *vel* Lucam *vel* Iohannem).
Populus Gloria tibi, Domine.

Luc 12:35-38, *vel* Luc 22:24-27

Evangelio finito, Lector dicit

Evangelium Domini.
Populus Laus tibi, Christe.

Sermo

Deinde Congregatio dicit vel canit Symbolum Nicaenum

Credo in unum Deum,
Patrem Omnipotentem,
factorem caeli et terrae,
visibilium omnium et invisibilium;

Et in unum Dominum Iesum Christum,
Filium Dei unigenitum,
et ex Patre natum ante omnia saecula,
Deum de Deo, Lumen de Lumine,
Deum verum de Deo vero,
genitum non factum,
consubstantialem Patri,
per quem omnia facta sunt;
qui propter nos homines et propter nostram salutem
descendit de caelis,
et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine,
et homo factus est;
crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato;
passus et sepultus est;
et resurrexit tertia die secundum Scripturas,
et ascendit in caelum,
sedat ad dexteram Patris;
et iterum venturus est cum gloria, iudicare vivos et mortuos,
cuius regni non erit finis;

Et in Spiritum Sanctum, Dominum et Vivificantem,
qui ex Patre Filioque procedit;
qui cum Patre et Filio simul adoratur
et conglorificatur;
qui locutus est per Prophetas;

Et unam sanctam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam;
Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum;
Et exspecto resurrectionem mortuorum,
et vitam venturi saeculi. Amen.
et vitam venturi saeculi. Amen.

Examinatio

Omnes considunt praeter ordinandum qui versus ad episcopum stat.

Episcopus ordinandum alloquitur, dicens

Frater mi, omnis Christianus vocatur ad Iesum Christum sequendum, Deo Patri serviens, per virtutem Spiritus Sancti. Nunc Deus te vocat ad ministerium speciale servitudinis sub episcopo tuo. In nomine Iesu Christi, tu debes servire omnibus praesertim pauperibus, inopibus, aegrotis, et desolatis.

Ut diaconus in Ecclesia, te oportet studere Sacris Scripturis, quaerere nutrimentum ex eis, et secundum eas vitam tuam conformare. Debes Christum et caritatem salutarem eius declarare, verbo tuo exemploque, illis apud quos habitas et laboras et quibuscum es particeps cultus. Debes Ecclesiae interpretari necessitates, sollicitudines, et spes mundi. Debes epicopum et presbyteros adiuvare in cultu publico et in administratione Verbi Dei et Sacramentorum, et peragere alias curas tibi interdum commissas. Omnibus temporibus, oportet vitam tuam doctrinamque manifestare plebi Christi ut in serviendo inopibus Christo ipsi serviant.

Frater mi, persuasum est tibi ut tu ad vitam opusque diaconi vere a Deo Ecclesiaque voceris?

Responsio Ita mihi persuasum est.

Episcopus Committis te ipsum, nunc coram Ecclesia, huic fiduciae et curae?
Responsio Me ipsum committo.

Episcopus Vis directione pastorali et ductu episcopi tui duci?
Responsio Volo.

Episcopus Vis instare orationi, et lectioni et studio Sacrarum Scripturarum?
Responsio Volo.

Episcopus Vis quaerere Christum in omnibus aliis, paratus adiuvare egentes et eis servire?
Responsio Volo.

Episcopus Vis operam dare ut vitam tuam [et illam familiae tuae, *vel* communitatis tuae] secundum Christi doctrinam conformes, ita ut exemplar salutare plebi omni sis?
Responsio Volo.

Episcopus Vis in omnibus quaerere gloriam non tuam sed Domini Christi?
Responsio Volo.

Episcopus Dominus gratia sua te in ministerio quod tibi imponit sustineat.
Responsio Amen.

Consecratio Diaconi

Omnibus usque stantibus, ordinandus genuflectit coram Episcopo.

Hymnus, Veni Creator Spiritus, *vel hymnus*, Veni Sancte Spiritus, *canitur.*

Tempus orationis tacitae sequitur, stante usque populo.

Deinde Episcopus hanc Orationem Consecrationis dicit

Deus, misericordissime Pater, te laudamus quod Filium tuum Iesum Christum misisti, qui formam servi ad semet ipsum accepit, et humiliavit semet ipsum, factus oboediens usque ad mortem crucis. Te laudamus quod illum exaltasti et fecisti Dominum omnium; et quod per eum cognovimus ut quicunque vult magnus esse debet servus esse omnium. Te laudamus propter ministeria multa in Ecclesia tua, et propter vocandum *hunc famulum tuum* ad ordinem diaconorum.

Hic Episcopus manus imponit in caput ordinandi, orans

Itaque Pater, per Iesum Christum Filium tuum, da *N.* Spiritum Sanctum tuum; *eum* gratia potestateque imple, et fac *eum* diaconum in Ecclesia tua.

Deinde Episcopus pergit

Fac *eum*, Domine, modestum humilemque, potentem constantemque, ad observandum disciplinam Christi. Vita eius et doctrina praecepta tua sic manifestent, ut per *eum* multi ad te cognoscendum et diligendum adveniant. Tam Filius tuus non venit ministrari, sed ministrare, quam hic diaconus ministerii Christi sit particeps, et adveniat ad gloriam perpetuam illi, qui tecum vivit et regnat, in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum.

Populus clara voce respondet, dicens Amen.

Diaconus novus secundum ordinem diaconorum vestitur.

Episcopus Bibliam donat ei nuper ordinato, dicens

Accipe hanc Bibliam sicut signum potestatis tibi datae praedicandi Verbum Dei et adiuvandi in ministratione sanctorum Sacramentorum.

Pax

Deinde Episcopus congregationi dicit

Pax Domini sit semper vobiscum.
Populus Et cum spiritu tuo.

Hic Episcopus et Clerus praesens novissime ordinatum salutant

Diaconus novus cognatos et alios salutat, sicut convenit.

Clerus et Populus inter se salutant.

Ad Celebrationem Eucharistiae

Liturgia pergitur cum Offertorio.

Diaconus nuper ordinatus panem parat, vini satis (et paulum aquae) in calicem infundit, et vasa in Mensam Domini imponit.

Episcopus ad Mensam accedit et inde Magnam Gratiarum Actionem incipit.

Post Communionem

Pro oratione consueta post communionem, sequens dicitur

Omnipotens Pater, tibi gratias agimus quod nos pascere dignatus es cibo sancto Corporis et Sanguinis Filii tui, quodque per illum in communione Spiritus Sancti nos coniunxisti. Tibi gratias agimus quod, in nobis, servos fideles producis ad ministerium Verbi tui et Sacramentorum. Te rogamus ut *N.* sit nobis exemplar validum in verbo et opere, in caritate et patientia, et in sanctitate vitae. Concede nobis ut cum *eo* nunc tibi serviamus, et semper in gloria tua gaudeamus; per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, nunc et in saecula saeculorum. Amen.

Episcopus populum benedicit; deinde Diaconus novus eum dimittit, exhortans

Procedamus in mundum,
gaudentes in virtute Spiritus.
Populus Deo gratias.

A Die Paschae usque ad Dominicam Pentecostes "Alleluia, alleluia" coniungatur ad dismissionem et responsionem.

Litania pro Ordinationibus

Ad usum in Ordinationibus sicut directum. Diebus Quattuor Temporum vel aliis occasionibus, si optetur, decet hanc Litaniam recitari pro Orationibus Populi in Eucharistia vel Officio Divino, vel separatim adhiberi.

Deus Pater,
Miserere nobis.

Deus Fili,
Miserere nobis.

Deus Sancte Spiritus,
Miserere nobis.

Sancte Trinitas, unus Deus,
Miserere nobis.

Te, Domine Christe, deprecamur.
Domine, suscipe deprecationem nostram.

Pro Ecclesia sancta Dei, ut veritate caritateque impleatur, et sine crimine in Die Adventus tui inveniatur,
te, Domine, deprecamur.
Domine, suscipe deprecationem nostram.

Pro omnibus Ecclesiae tuae membris, in vocatione eorum ministerioque, ut tibi in vita iusta piaque serviant,
te, Domine, deprecamur.
Domine, suscipe deprecationem nostram.

Pro *N.* Episcopo Praesidenti nostro, et pro omnibus episcopis, presbyteris, et diaconis, ut caritate tua impleantur, pro veritate esuriant, et iustitiam sitiant,
te, Domine, deprecamur.
Domine, suscipe deprecationem nostram.

Pro *N.*, episcopo (presbytero, diacono) in Ecclesia tua electo,
te, Domine, deprecamur.
Domine, suscipe deprecationem nostram.

Ut curas huius ministerii fideliter perficiat, Ecclesiam tuam aedificet, et Nomen tuum glorificet,
te, Domine, deprecamur.
Domine, suscipe deprecationem nostram.

Pro familia eius [membris domus eius *vel* communitatis eius], ut cum omnibus virtutibus Christianis ornentur,
te, Domine, deprecamur.
Domine, suscipe deprecationem nostram.

Pro omnibus Deum timentibus, et in te, Domine Christe, credentibus, ut discidia nostra desistant, et omnes unum sint sicut te et Pater unum estis,
te, Domine, deprecamur.
Domine, suscipe deprecationem nostram.

Pro missione Ecclesiae, ut fideliter testificans Evangelium praedicet ad fines terrarum,
te, Domine, deprecamur.
Domine, suscipe deprecationem nostram.

Pro nondum credentibus, et pro eis qui fidem perdiderunt, ut lucem Evangelii accipiant, te, Domine, deprecamur.
Domine, suscipe deprecationem nostram.

Pro pace mundi, ut spiritus diligens et patiens in nationibus et gentibus crescat,
te, Domine, deprecamur.
Domine, suscipe deprecationem nostram.

Pro magistratibus [praesertim _____], ut iustitiae serviant, et dignitatem libertatemque omnis hominis foveant,
te, Domine, deprecamur.
Domine, suscipe deprecationem nostram.

Pro benedictione super omnem laborem humanum, et pro usu recto copiarum creationis, ut mundus ab paupertate, fame, et calamitatibus liberetur,
te, Domine, deprecamur.
Domine, suscipe deprecationem nostram.

Pro pauperibus, oppressis, infirmis, et omnibus patientibus; pro fugis, in carcere detentis, et omnibus in periculo; ut alleventur et protegantur,
te, Domine, deprecamur.
Domine, suscipe deprecationem nostram.

Pro nobis; pro remissione peccatorum nostrorum, et pro gratia Sancti Spiritus ad emendandas vitas nostras, te, Domine, deprecamur.
Domine, suscipe deprecationem nostram.

Pro omnibus in communione Ecclesiae tuae defunctis, et omnibus quorum fidem tu solus cognovisti, ut, cum omnibus sanctis, in illo loco requiescant, ubi luctus ultra non est neque dolor, sed vita sempiterna,

te, Domine, deprecamur.
Domine, suscipe deprecationem nostram.

In communione gaudentes [semper beatae Mariae Virginis, (*beati* vel *beatae N.*) et] omnium sanctorum, nosmetipsos et totam vitam nostram Christo Deo nostro commendemus.
Tibi, Domine Deus noster.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.

In ordinationibus, Episcopus, qui praesidet, stans dicit

Dominus vobiscum.
Populus Et cum spiritu tuo.
Episcopus Oremus.

Episcopus dicit Collectam designatam.

Cum haec Litania recitetur aliis occasionibus, Officans cum Collecta apta concludit.

Praecepta Adiuncta

Ad omnes Ordinationes

Licet celebrare Sanctam Eucharistiam iuxta Ritum Primum vel Ritum Secundum. In casu alterutro, rubricae liturgiae ordinationis stant. Epitome Legis, *Gloria in excelsis*, Orationes Populi post Symbolum, Confessio Generalis, et oratio consueta post communionem non adhibentur.

Ad Praesentationem Ordinandi, Declaratio "Confirmo me credere Sacras Scripturas ..." praebenda est ut documentum separatum subscribendum, secundum Articulum VIII Legum huius Ecclesiae et rubricas cuiusque ritus ordinationis. (Si plures sunt ordinandi, cuique exemplar separatum pro chirographo praebetur.)

Hymnus ad Spiritum Sanctum ante Orationem Consecrationis alternis canitur inter episcopum et congregationem, vel in alio modo opportuno.

Si vestimenta vel alia insignia officii dedicanda sunt, tempore opportuno ante liturgiam benedictio agitur. Formula sequens adhibeatur

V. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
R. Qui fecit coelum et terram.
V. Dominus vobiscum.
R. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus semper vivens, cuius potestas infinita est, cum laude et gratiarum actione coram te *haec signa* ponimus ministerii dignitatisque servi tui. Concede ut *N.*, ductui in Ecclesia tua vocatus, *haec signa* ferens, tibi serviat et plenitudinis Spiritus tui vivificientis sit particeps; per Pontificem magnum, pastorem bonum nostri omnium, Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen*.

Ad Ordinationem Episcopi

Post Orationem Consecrationis, dum Episcopus novus secundum ordinem episcoporum vestitur, melos canatur.

Post traditionem Bibliae, et post formulam "Accipe Sacras Scripturas ..." annulum, baculum, mitramque, vel alia insignia officii apta tradantur.

In Prece Eucharistica, decet quosdam episcopos consecrantes, et presbyteros legatos dioecesis, cum episcopo novo ad Altare ut conministros Sacramenti stare.

Episcopus nuper ordinatus, ab aliis ministris adiuvatus, Sacram Communionem populo ministrat. Si necesse est, ministratio ad locos diversos in ecclesia commode separatos agatur.

Post benedictionem pontificalem dimissionemque, hymnus laudis canatur.

Non licet episcopis praesentibus abire antequam Litteras Consecrationis subscripserunt.

Ad Ordinationem Presbyteri

Optionem opportunam presbyteris praesentibus donare oportet ut participes manuum imponendorum sint.

Stola circum cervicem gesta, vel aliud insignium officii presbyteri, in presbyterum novum ponitur postquam tota Oratio Consecrationis dicitur, et statim ante traditionem Bibliae. Deinde alia instrumenta vel signa officii tradantur.

Si plures simul ordinantur, oportet quemque praebentes proprios habere. Ordinandi una praebeantur, vel in ordine, sicut episcopus dirigat. Tunc, ubi necesse est, dicta in modo singulare ordinandum attingentia ad modum pluralem vertantur. Ordinandi simul interrogantur.

In Oratione Consecrationis, episcopus et presbyteri manus imponunt in caput cuiusque ordinandi. In manuum impositione episcopus solus super quemque ordinandum dicit "Pater, per Iesum Christum Filium tuum, da *N*. Spiritum Sanctum tuum; *eum* gratia potestateque imple, et fac *eum* presbyterum in Ecclesia tua." Postquam manus in omnes ordinandos imposuerunt, episcopus pergit "Te, Domine, extollant in medio ..."

Biblia cuique presbytero novo traditur, et verba "Accipe hanc Bibliam" cuique dicuntur.

Omnes nuper ordinandi salutationis *Pax Domini* participes sunt, et episcopo et presbyteris aliis ad Altare pro Magna Gratiarum Actione se coniungunt. Simili modo, omnes presbyteri novi Panem consecratum frangunt et Sacram Communionem accipiunt.

Ad Ordinationem Diaconi

Stola super humero sinistro gesta, vel aliud insignium officii diaconi, in diaconum novum ponitur postquam tota Oratio Consecrationis dicitur, et statim ante traditionem Bibliae.

Si plures simul ordinantur, oportet quemque praebentes proprios habere. Ordinandi una praebeantur, vel in ordine, sicut episcopus dirigat. Tunc, ubi necesse est, dicta in modo singulare ordinandum attingentia ad modum pluralem vertantur. Ordinandi simul interrogantur.

In Oratione Consecrationis, episcopus manus imponit in caput cuiusque ordinandi, et super quemque dicit "Pater, per Iesum Christum Filium tuum, da *N*. Spiritum Sanctum tuum; *eum* gratia potestateque imple, et fac *eum* diaconum in Ecclesia tua." Postquam manus in omnes ordinandos imposuit, episcopus pergit "Fac *eos*, Domine, modest*os* humilesque ..."

Biblia cuique diacono novo traditur, et verba "Accipe hanc Bibliam" cuique dicuntur.

Postquam salutationi *Pax Domini* interfuerunt, diaconi ad Altare pro Offertorio adeunt. Si diaconi plures sunt, quidam in Offertorio adiuvant et alii Sacram Communionem ministrant. Unus, ab episcopo designatus, dimittit.

Si placet, diaconi designentur ad Sacramentum ferendum et Sacram Communionem ministrandam communicantibus qui, propter aegrotationem vel aliam causam gravem, ad ordinationem adesse non possunt.

Si Elementa quae restant pro Communione absentium non requiruntur, decet diaconos vasa ab Altare auferre, Elementa restantia sumere, et vasa in aliquo loco commodo abluere.

Epistola ad Instituendum Ministrum

N.N., Presbyter Ecclesiae Dei, vocatus es laborare una cum Episcopo tuo et Compresbyteris ut pastor, sacerdos, et doctor, et particeps esse conciliorum Ecclesiae.

Nunc, secundum Canones, electus es Deo servire in Ecclesia [Sancti/Sanctae] _____ [in] _____.

Haec epistola signum est ut potestatem plenam auctoritatemque habeas ad exercendum hoc ministerium, privilegia eius curasque accipiens ut sacerdos huius Dioecesis, in communione Episcopi tui.

Nunc, cum te ipsum ad hoc opus commiseris, ne obliviscaris fiduciae eorum qui te elegerunt. Cura aeque iuvenes senesque, potentes debilesque, divites pauperesque. Per verba tua, et in vita tua, Evangelium annuntia. Plebem Christi dilige et ei servi. Eos nutri confirmaque ad Deum glorificandum in hac vita, et vita venturi saeculi.

Dominus de cuius munere venit ut haec omnia facere velis, gratiam et virtutem etiam ad ea exsequenda tibi concedat.

Datum sub manu et sigillo meo, in urbe _____, _____ die _____ mensis _____ anno salutis nostrae et _____ anno consecrationis meae.

✠ _____
Episcopus _____

De Officio

Hic ordo adhibetur cum sacerdos constituitur et inducitur rector parochiae. Et adhibeatur ad sede locandum decanos canonesque ecclesiarum cathedralium, vel ad inaugurationem aliorum ministeriorum, vel dioecesalium vel parochialium, e.g. vicariorum ecclesiarum missionalium et ministrorum adiuvantium. Officium mutatis mutandis tunc aptatur.

Minister principalis plerumque episcopus est; sed, si necesse est, legatus assignetur. Episcopus, si praesens, celebrans principalis est Eucharistiae. In absentia episcopi, sacerdos inducandus celebrans principalis est.

Alii sacerdotes merentes de eadem congregatione, si exstant, quoque cum celebrante principali ad Altare stant, et diaconi secundum ordinem suum adiuvant.

Laici congregationis Lectionem Veteris Testamenti et Epistolam recitant, et alia opera secundum rubricas faciunt. Diaconus vel sacerdos Evangelium recitat. Alii dioecesis clerici celebrationis participes sunt ad exhibendum collegialitatem ministerii cuius participes sunt.

Decet ut ministri aliarum Ecclesiarum invitati huic officio intersint.

Oportet ut minister novus, si diaconus, Evangelium recitet, ad Offertorium elementa paret, ad Altare celebrantem adiuvet, et congregationem dimittat.

Oportet ut laicus instituendus unam e Lectionibus recitet et temporibus aptis adiuvet.

Praecepta adiuncta in pagina 564 [Libri Precum Publicarum] dantur.

Celebratio Ministerii Novi

Hymnus, psalmus, vel antiphona canatur.

Institutio

Aediles coram episcopo cum ministro novo stantes haec verba dicunt, vel similes

N. episcope, hodie convenimus ad salutandum *N.N.*, electum (*vel* electam) *Rectorem* ecclesiae *N.* (*nominis ecclesiae*). Existimamus vere idoneum (*vel* idoneam) esse, et religiose legitimeque electum (*vel* electam).

Episcopus Epistolam Institutionis recitet, vel finem novi ministerii exponat.

Deinde Episcopus dicit

Coram hac congregatione committis te ipsum ad hanc fiduciam curamque?

Minister novus Me ipsum committo.

Deinde Episcopus congregationem alloquitur

Qui hanc novam inceptionem intuemini, vultis *N.* sustinere in hoc ministerio?

Populus Volumus.

Episcopus stans dicit

Orationes nostras Deo offeramus pro cuncta plebe eius, pro hac congregatione, et pro *N.*, *Rectore* eius.

Litania pro Ordinationibus, vel alia litania apta, ab designato dirigitur. Ad finem, Episcopus stans Collectam sequentem dicit, vel aliam, sic incipiens

Dominus vobiscum.
Populus Et cum spiritu tuo.
Episcopus Oremus.

Aeterne Deus, confirma sustineque *N.*, ut cum patientia ac sapientia plebem tuam diligat curetque; et concede ut tibi dona talentaque offerantes una sequantur Iesum Christum; qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Ad Liturgiam Verbi

Lectiones ex tabula sequenti eleguntur, vel secundum praecepta in pagina 565 [Libri Precum Publicarum].

Lectio ex Veteri Testamento Ios 1:7-9, *vel* Num 11:16-17, 24-25a
Psalmus 43, *Iudica me, Deus*, *vel* 132:8-19, *Surge, Domine, vel* 146, *Laudate, anima mea*, *vel* 133, *Ecce, quam bonum*, et 134, *Ecce nunc*, (apti praecipue ad vespertinam)
[*Vulgata 42, vel 131:8-18, vel 132 et 133*]
Epistola Rom 11:1-18, *vel* Eph 4:7, 11-16
Evangelium Io 15:9-16, *vel* Luc 10:1-2, *vel* Io 14:11-15

Sermo

Post Sermonem, et aliquas responsiones, congregatio hymnum canit.

Inductio

Legati congregationis et cleri dioecesis coram episcopo cum ministro novo stant. Quaelibet praesentatio sequens extendatur, omittatur, vel accommodetur, secundum genus novi ministerii, et ordinem ministri. In absentia episcopi, legatus episcopi verba in inclusionibus supponit.

Legati congregationis Bibliam tradunt, dicentes

N., accipe hanc Bibliam, et in nobis (*vel* in hoc loco) sis Verbi praedicator.

Populus Amen.

Episcopus vasum aquae tradit, dicens

N., accipe hanc aquam, et me (*vel* episcopum) baptizare adiuva, Domino nostro oboediens.

Alii stolam, vel aliud signum, tradunt, dicentes

N., accipe *hanc stolam*, et in nobis sis pastor ac sacerdos.

Populus Amen.

Alii librum precum tradunt, vel aliud signum, dicentes

N., accipe *hunc librum*, et in nobis sis precator.

Populus Amen.

Alii oleum tradunt, vel aliud signum, dicentes

N., *hoc oleo* utere, et in nobis sis sanator et reconciliator.

Populus Amen.

Si minister novus est rector vel vicarius parochiae, Aedilis nunc claves ecclesiae tradit, dicens

N., accipe has claves, et portae huius loci omnibus aperiantur.

Populus Amen.

Cleri dioecesis legati Constitutionem et Canones huius Ecclesiae tradunt, dicentes

N., oboedi his Canonibus, et nobiscum conciliorum huius dioecesis sis particeps.

Populus Amen.

Alii Legati congregationis panem et vinum tradunt, dicentes

N., accipe hunc panem et vinum, et in nobis sis ad frangendum Panem et Calicem benedicendum.

Populus Amen.

Deinde Episcopus dicit

N., haec omnia sint signa ministerii mei ac tui (*vel* episcopi ac tui) in hoc loco.

Deinde Minister novus, si sacerdos, in media Ecclesia genuflectat et dicat

Domine Deus meus, non sum dignus ut intres sub tectum meum; sed servum tuum vocasti ad standum in domo tuo, et ministrandum ad altare tuum. Tibi et ministerio tuo me ipsum corpore, mente, spirituque dedi. Imple memoriam meam cum historia operum potentium tuorum; illumina mentem meam luce Spiritus Sancti tui; et proposita cordis mei voluntatisque petant illa quae me facere vis. Fac me instrumentum salvationis tuae pro plebe tua curae meae commissa, et concede mihi ut Sacramenta sancta tua fideliter administrem, et tam vita quam doctrina mea verum vivumque verbum tuum annuntiem. Semper mihi adsis munera ministerii mei agenti. In orando, devotionem meam vivifica; in laudando, caritatem meam gratitudinemque amplifica; in praedicando, da mihi sagacitatem eloquentiamque; et concede ut, per claritatem splendoremque sancti Verbi tui, totus mundus in regnum beatum tuum ducatur. Quae omnia rogo propter Filium tuum, Salvatorem nostrum Iesum Christum. *Amen.*

Deinde Episcopus ministrum novum ad congregationem exhibet, dicens

Rectorem novum vestrum salutate.

Nunc, si decet, familia ministri novi exhibeatur.

Congregatio approbationem manifestat. Licet applaudere.

Episcopus ministrum novum salutat.

Deinde Minister novus populo dicit

Pax Domini sit semper vobiscum.

Populus Et cum spiritu tuo.

Ad Eucharistiam

Liturgia cum Offertorio pergitur.

Episcopus vel, in absentia Episcopi, Sacerdos ministerium novum incipiens ad Mensam Domini ut celebrans principalis accedit, et cum aliis clericis coniunctus, cum Magna Gratiarum Actione Eucharistiae pergit.

Nisi in Festo Maiore, Praefatio Apostolorum et Ordinationum adhibeatur.

Post Communionem

Ad Inductionem presbyteri vel diaconi, pro postcommunione consueta, Episcopus populum dirigit in recitatione orationis sequentis, sed si minister novus laicus est, postcommunio consueta adhibeatur.

Omnipotens Pater, tibi gratias agimus quod nos pascere dignatus es cibo sancto Corporis et Sanguinis Filii tui, quodque per illum in communione Spiritus Sancti nos coniunxisti. Tibi gratias agimus quod, in nobis, servos fideles producis ad ministerium Verbi tui et Sacramentorum. Te rogamus ut *N.* sit nobis exemplar validum in verbo et opere, in caritate et patientia, et in sanctitate vitae. Concede nobis ut cum *eo* nunc tibi serviamus, et semper in gloria tua gaudeamus; per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, nunc et in saecula saeculorum. Amen.

Sacerdos nuper inductus, ad rogationem Episcopi, benedictionem pronuntiet.

Diaconus, vel sacerdos si nullus diaconus adsit, congregationem dimittit.

Praecepta Adiuncta

Oportet ut Institutio, Liturgia Verbi, et Inductio ad aditum cancelli faciantur, vel alio in loco ubi episcopus et alii ministri ab populo clare videantur et audiantur.

Decet ut Epistola Institutionis adhibeatur ad inductionem parochi, decani ecclesiae cathedralis, et aliorum possessionem officii habentium.

Episcopus verba Epistolae Institutionis aptat pro tempore. Aliter, episcopus genus officii et auctoritatis conferendi explicet.

Novus minister ad episcopum ab aedilibus parochiae plerumque praebetur sed, si placet, plures vel alii hoc officium faciant.

Litania canitur vel dicitur populo stante vel genuflectente, sed episcopus ad salutationem et Collectam ad finem Litaniae semper stat. Pro hac collecta, Collecta Diei, vel Collecta temporis, vel alia oratio apta ad occasionem adhibeatur.

Ante Evangelium, una Lectio e Scripturis recitetur, vel duo. Quaelibet Lectio, etiam Evangelium, e Proprio Diei eligatur, vel e lectionibus in officio citatis. Aliae lectiones aptae ad occasionem supponantur. Lectiones aptae in officio ad Ordinationem Diaconi vel in Lectionaria pro Occasionibus Diversis inveniantur.

Sermo ab episcopo praedicetur, vel a ministro novo, vel alio; vel allocutio de opere congregationis et ministri novi habeatur. Legati congregationis vel communitatis, vel episcopus, vel alii praesentes sermoni vel allocutioni respondeant.

Oportet signa tradenda magna satis esse ut ab omnibus videantur, et in Inductione coram congregatione restare. Vestimenta et panis vinumque in Eucharistia sequenti adhibeantur.

Oratio sacerdotis in pagina 562 [Libri Precum Publicarum] apta est solum rectoribus, vicariis ecclesiarum missionalium, ministris in valetudinario, et aliis sacerdotibus similem curam canonicam habentibus.

Pro Magna Gratiarum Actione, quaelibet prex eucharistica licita adhibeatur.

De Officio

Hoc officium ad dedicationem consecrationemque ecclesiae ornamentorumque valet. Partes officii adhibeantur, vel si necesse est, aptentur, ad dedicationem partium aedificii vel ornamentorum quae additae, vel mutatae, vel renovatae sunt. Simili modo partes aptae huius ritus ad dedicationem sacelli vel oratorii intra aedificium alterum adhibeantur. Praecepta ad ritum aptandum occasionibus specialibus in pagina 576 [Libri Precum Publicarum] dantur.

Hoc officium ad dedicationem consecrationemque ecclesiae adhibeatur ad tempus quodlibet postquam aedificium usui constanti sicut locus cultus paratum est.

Officium non praecludit usum aedificii pro finibus scholasticis vel civilibus vel aliis operibus aptis.

Episcopus praesidet. Rector, vel minister qui praeest, ut notum particeps est. Oportet ut ministri proximi participes esse invitentur, et partibus aptis officii delegentur.

Decet ut omnes congregationis, iuvenes senesque, celebrationis participes sint singulatim vel communiter, et architectus, et aedificatores, et musici, et artifices, et patroni, et amici.

Pro ecclesia diu adhibita, vel sacello, ordo specialis in pagina 577 [Libri Precum Publicarum] datur.

Praecepta adiuncta in pagina 575 [Libri Precum Publicarum] dantur.

Dedicatio et
Consecratio Ecclesiae

Die designato, clerus et populus cum episcopo congregant in loco extra ecclesiam vel sacellum.

Omnibus paratis, Episcopus haec verba dicit, vel similia

Per saecula, Deus Omnipotens plebem suam movit ad aedificandum domus orationis et laudis, et ad seponendum locos ad ministerium sui Verbi Sancti et Sacramentorum. Cum gratitudine pro ecclesia (sacello) aedificata(o) [*vel* reaedificata(o) *vel* ornata(o)] *N.* (*nominis ecclesiae*), nunc nos ipsos congregamus ut eam (id) dedicetur consecreturque in Nomine Dei.

Oremus.

Omnipotens Deus, tibi gratias agimus quod nobis fecisti in imagine tua, ut participes simus dirigendi mundum tuum. Accipe opus manuum nostrarum in hoc loco, quod nunc sepositurí sumus ad cultum tuum, ad aedificationem vivorum, et commemorationem mortuorum, ad laudem et gloriam Nominis tui; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Nuntii necesarii hic pronuntientur.

Cum processio accedat ad portam ecclesiae, decet ut cantus et musica offerantur.

Stans ad portam ecclesiae, Episcopus dicit

Porta aperiatur (*vel* portae aperiantur.)

Porta aperitur. Episcopus baculo pastorali signat limen signo crucis, dicens

Pax huic domui, et omnibus introeuntibus eam: ✠ In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. *Amen.*

Processione ecclesiam intrante, Psalmus 122 Laetatus sum *[Vulgata 121] vel alius psalmus aptus canitur. Etiam hymni et antiphonae canantur.*

Congregatione stante, Episcopus incipit Orationem pro Consecratione Ecclesiae

Adiutorium nostrum in nomine Domini.
Populus Qui fecit caelum et terram.
Episcopus Oremus.

Aeterne Pater, vigilans et curans, origo nostra et finem: Cunctum quod sumus et cuncta quae habemus sunt tibi. Nunc accipe nos, hunc locum dedicantes ad quem venimus ut laudemus Nomen tuum, petamus veniam tuam, cognoscamus potestatem salutarem tuam, audiamus Verbum tuum, et Corpore et Sanguine Filii tui nutriamur. Adesto semper ad ducendum et iudicandum, ad illuminandum et benedicendum plebem tuam.

Aedilis vel alius legatus congregationis sic pergit

Domine Iesu Christe, hunc locum fac templum praesentiae tuae et domum orationis. Semper nobis appropinqua ubi te quaerimus in hoc loco. Nos ad te trahe cum advenerimus, vel singulatim vel cum aliis, ut inveniamus solatium et sapientiam, sustineamur et roboremur, gaudeamus et gratias agamus. Hic, Domine Christe, tecum et invicem unum fiamus, ut vitae nostrae serventur et sanctificentur ad ministerium tuum.

Rector vel Minister praesidens sic pergit

Sancte Spiritus, aperi oculos nostros, aures nostras, et corda nostra, ut propiores tibi fiamus per gaudium et dolorem. Mane nobis in plenitudine potestatis tuae dum membra nova familiae tuae adduntur, dum in gratia augemur per annos, cum nuptiis coniungamur, cum ad te convertamur in aegrotatione vel necessitate speciali, et, postremo, cum in manus Patris committamur.

Episcopus sic concludit

Nunc, Pater, Fili, et Spiritus Sancte,
hunc locum sanctifica;
Populus Cuncta enim quae in caelo sunt et in terra tua sunt.
Episcopus Tuum, Domine, est regnum;
Populus Et tu es super omnes principes. Amen.

Episcopus ad Fontem adit, et manum imponit, dicens

Pater, tibi gratias agimus quod per aquas Baptismatis peccato morimur et in Christo renovamur. Concede per Spiritum tuum ut hic baptizandi libertate et splendore filiorum Dei perfruuntur.

V. Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma est;
R. Unus Deus et Pater omnium.

Hunc Fontem dedicamus in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. *Amen.*

Si baptizandi sunt, aqua in Fontem deinde infunditur et officium pergitur secundum praecepta in pagina 575 [Libri Precum Publicarum].

Si nullum Baptisma facitur [*aqua in Fontem infundatur, et*] *Episcopus dicit*

Dominus vobiscum.
Populus Et cum spiritu tuo.
Episcopus Gratias agamus Domino Deo nostro.
Populus Dignum et iustum est.

Versus Fontem, Episcopus dicit

Gratias agimus tibi, omnipotens Deus, pro dono aquae; super quam Spiritus Sanctus inter ipsa mundi primordia ferebatur; per quam filios Israel sicco vestigio transire fecisti, a servitute in Aegypto ad terram promissam eductos; in qua Iesus Filius tuus, a Ioanne baptizatus, Sancto Spiritu est inunctus Christus, ut, per mortem suam et resurrectionem, e captivitate peccati in vitam aeternam nos induceret.

Gratias agimus tibi, Pater, pro aqua baptismatis; in qua cum Christo consepulti sumus in mortem; per quam participes sumus resurrectionis eius; per quam Spiritu Sancto renascimur.

Et ideo, in laeta oboedientia Filio tuo, in consociationem eius illos qui ad eum adveniunt in fide inducimus, eosdem baptizantes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.

Concede, virtute Spiritus Sancti tui, ut illi, hic a peccato abluti et renati, semper maneant in vita resurrectionis Iesu Christi Salvatoris nostri;

Cui cum Spiritu Sancto, et tibi, sit omnis honor et gloria per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

Episcopus ad Ambonem adit et manum imponit, dicens

Pater, cuius aeternum Verbum nos alloquitur per verba Sacrarum Scripturarum; cuius de actibus potentibus et propositis per historiam hic legimus, et de illis quos elegisti sicut actores voluntatis tuae; cuius proposita per revelationem Filii tui inspirati quaerimus in praesens tempus: Da nobis aures ad audiendum et corda ad oboediendum.

V. Conplaceant eloquia oris nostri, et meditatio cordis nostri,
R. In conspectu tuo, Domine Deus noster.

Hunc Ambonem dedicamus in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. *Amen.*

Episcopus ad Pulpitum adit et manum imponit, dicens

Pater, qui in omni saeculo locutus es per voces prophetarum, pastorum, et doctorum, munda vitas et labia eorum qui hic loquntur, ut verbum tuum solum pronuntiatur, et audiatur.

V. Lucerna pedibus nostris verbum tuum,
R. Et lumen semitis nostris.

Hoc Pulpitum dedicamus in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. *Amen.*

Ad Liturgiam Verbi

Tres lectiones recitantur. Laici Lectionem ex Testamento Veteri et Epistolam recitent. Diaconus (vel Sacerdos) recitat Evangelium. Lectiones fere ex tabula sequenti eleguntur; sed Festo Maiori, vel Dominica, vel Festo Patronali, Lectiones ex Proprio Diei eligantur.

Lectio ex Veteri Testamento I Reg 8:22—23, 27b-30, *vel* Sam 6:12-15, 17-19
Psalmus 84, *Quam dilecta*, *vel* 48, *Magnus Dominus* [*Vulgata 83, vel 47*]
Epistola Apoc 21:2-7, *vel* I Cor 3:1-11, 16-17, *vel* I Pet 2:1-9

Si est organum musicae dedicandum, post Epistolam Episcopus adit ad locum aptum et dicit

Pater, quem plebs tua veneremur multis vocibus et sonis, in temporibus laetitiae et doloris: Move nos ad exprimendum mirabilia, potestatem, et gloriam creationis tuae per musicam et cantica quae canimus.

V. Laudate eum in sono tubae;
R. Laudate eum in psalterio et cithara.

Hoc (*vel* hunc *vel* hanc) (*nomen organi*) dedicamus in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. *Amen*.

Musica hic canitur, vel hymnus vel antiphona.

Omnes stant ad Evangelium, pro quo sequens recitetur

Matt 7:13-14, 24-25, *vel* Matt 21:10-14

Sermo vel Homilia

Alia Officia Pastoralia sequantur.

Si Symbolum Apostolorum non antehac dictum est, Symbolum Nicaenum hic dicitur vel canitur.

Diaconus vel membrum congregationis Orationes Populi dirigit.

Post tempus silentii, Episcopus cum orationibus sequentibus concludit

Omnipotens Deus, omnia tempora sunt aetates tuae, et omnes occasiones misericordiam tuam invitant: Suscipe preces et deprecationes nostras in hoc loco oblatas, hodie et temporibus venturis; per Iesum Christum, Mediatorem nostrum et Advocatum. *Amen*.

Tibi, Deus, gratias agimus pro donis plebis tuae, et operibus multarum manuum, quae hunc locum ornaverunt et eum suppeditaverunt ad celebrationem mysteriorum sanctorum tuorum. Accipe benedicque omnia opera nostra, et concede nobis ut in his terrenis ordinem et formam caelestium conspiciamus; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Deinde episcopus dicit

Oremus ad seponendum Altare.

Episcopus ad Mensam adit, et bracchia extendens, dicit

Te laudamus, omnipotens aeterne Deus, quia propter nos et propter salutem nostram, misisti Filium tuum Iesum Christum qui nasceretur in nobis, ut per illum filii tui et filiae fiamus.
Benedictum Nomen tuum, Domine Deus.

Te laudamus pro vita eius in terra, et morte in cruce, per quam sicut sacrificium perfectum sese obtulit.
Benedictum Nomen tuum, Domine Deus.

Te laudamus quia illum ex morte suscitasti, et exaltasti ut noster Sacerdos Summus esset.
Benedictum Nomen tuum, Domine Deus.

Te laudamus quia Spiritum Sanctum tuum misisti ad nos faciendum sanctos, et nos coniungendum in tua Ecclesia sancta.
Benedictum Nomen tuum, Domine Deus.

Episcopus super Mensam manum imponit, et pergit, dicens

Domine Deus, audi nos. Sanctifica hanc Mensam tibi dedicatam. Fiat nobis signum Altaris caelestis ubi sancti et angeli te laudant in saecula. Hic accipe perpetuam memoriam sacrificii Filii tui. Concede omnibus qui edunt et bibunt ad hanc Mensam sanctam ut carne eius et sanguine pascantur et reficiantur, peccata eorum dimittantur, invicem coniungantur, et ad ministerium tuum confirmentur.
Benedictum Nomen tuum, Pater, et Fili, et Spiritus Sancte; nunc et in saecula saeculorum. Amen.

Hic campanae resonentur, (vel tintinnabuli tractentur) et musica canatur. Membra congregationis Altare ornant, vasa super eum imponunt, et candelas accendunt.

Pax

Deinde Episcopus congregationi dicit

Pax Domini sit semper vobiscum.
Populus Et cum spiritu tuo.

Deinde episcopus et alii clerici et populus inter se salutant.

Ad Eucharistiam

Liturgia cum Offertorio pergitur.

Episcopus, vel presbyter designatus, celebrans principalis est.

Praefatio Dedicationis Ecclesiae adhibeatur.

Post orationem post communionem, Episcopus populum benedicit; deinde Diaconus vel Presbyter eum dimittit.

Praecepta Adiuncta

Ordo cunctus officii pro Dedicatione Consecrationeque Ecclesiae adhibeatur ad inaugurationem ecclesiae vel sacelli. Non requiritur ut praedium sine debito vel possessum sit.

Cum clerus et populus ante officium se congregant, decet convenire foris, vel in domo parochiali, vel loco cultus priore, vel loco cultus proximo, vel aedificio alio. Si opportunum est, processio aedificium dedicandum (aedificia dedicanda) circumambulet et deinde ad portam principalem it. Hymni vel psalmi in processione canantur. Decet organis portabilibus canere. Si organum magnum in ecclesia est, decet ut taceat donec dedicetur. Si caelum inclemens est, vel si alia ex causa necesse est, congregatio in ecclesia se congreget; sed episcopus, alii clerici, et aeditui per portam principalem in processione introibunt.

Cum ecclesia nova consecratur, decet ut vasa sacra et ornamenta in aedificium in processione ferantur. Talia, e.g. instrumentum possessionis et descriptio aedificii (aedificiorum), et claves, et instrumenta adhibita pro aedificatione ab hominibus aptis ferantur.

Crux in limine ab episcopo signata notetur in modo perpetuo (inciso vel picto vel inserto). Pro baculo pes crucis processionalis ad consignandum adhibeatur.

Ad dedicationem fontis parvuli vel alii laici ad aquam fundendam designantur. Si Sanctum Baptisma non ministratur, praeter orationem recitandum super fontem sicut datum, episcopus oleum Chrismatis sicut in officio Sancti Baptismatis consecret ad usum posterum in hac ecclesia.

Si Baptisma ministrandum est, ordo sequens adhibetur: Evangelium e lectionibus "Ad Baptisma," in pagina 928 [Libri Precum Publicarum] recitatur; deinde officium Sancti Baptismatis peragitur a Praesentatione Candidatorum usque ad accipiendum nuper baptizatos.

Cum ornamenta in ecclesia dedicantur, a membris congregationis cum floribus, cereis, aulaeis, vel aliis ornationibus ornentur.

Versus electi e psalmis et hymnis, vel melos, adhibeantur dum ministri ab una parte ecclesiae ad aliam eunt.

Si una statio ad recitandum valet et pro ambone et pro pulpito, una sola ex orationibus cum versiculo et responsione adhibetur, et deinde verba dedicationis.

Ad dedicationem ambonis Biblia a donatore, vel lectore laico, vel alio apto, profertur et imponitur.

Si pro sermone allocutio est, decet ut aedilis vel alius laicus proposita congregationis ad Evangelium testificandum explicet. Episcopus respondeat, locum huius congregationis in vita Dioecesis notans.

Officium Pastorale aptum sequatur post sermonem vel allocutionem, scilicet Gratiarum Actio Pro Partu vel Adoptione Parvuli, vel Forma pro Dedicatione ad Ministerium Christianum, vel Benedictio Olei Infirmorum.

Quaelibet formula Orationum Populi consueta adhibeatur; vel alia formula ad occasionem componatur, iuxta indoles communitatis, cum commemoratione patronorum, donatorum, artificum et aliorum.

Ornationes Altaris decet ut donatores horum ornamentorum, vel alii laici, proferant et locent. Si tus adhibetur, decet nunc adhibere.

Pro Propria Praefatione suggesta, Praefatio pro tempore adhibeatur, vel Praefatio apta ad titulum ecclesiae.

Pro Dedicatione Ecclesiarum
et Sacellorum in Casibus Specialibus

Si locus cultus publici valebit etiam pro schola vel atrio parochiali, vel ad alium finem aptum, officium ad condiciones aptetur.

Si ecclesia pro cultu constanti adhibebitur ab aliis corporibus Christianis, decet ut legati eorum officii participes sint, et officium aptetur.

Partes aptae huius officii ab episcopo adhibeantur, vel a sacerdote cum permissione episcopi, ad dedicandum sacellum privatum vel oratorium.

Pro Dedicatione Ornamentorum
vel Partium Ecclesiae vel Sacelli

Partes appositae officii pro Dedicatione et Consecratione Ecclesiae ab episcopo vel sacerdote ad benedictionem mutationum, additamentorum, vel ornamentorum novorum in ecclesia vel sacello adhibeantur. Omni tali casu, oratio apta recitetur, vel aptetur ad occasionem; et orationes et Lectiones e Biblia pertinentes ad occasionem specialem elegantur. Si possit, decet ut usus locorum vel ornamentorum ex tempore incipiatur.

Oportet ut benedictio fontis novi vel baptisterii semper ab episcopo faciatur, et si possit decet ut ministratio Sancti Baptismatis sequatur.

Benedictio Altaris et reservata ad episcopum est, atque celebratio Sanctae Eucharistiae semper sequitur.

Pro Ecclesia Diu Adhibita vel Sacello

Si aedificia pro cultu publico diu adhibita sine consecratione sunt, ordo sequens occasionem congregationi praebeat qua munus ad missionem ministeriumque reaffirmet, et postquam congregatio ut parochia nota est, praecipue aptus est.

1. Processio
2. Consignatio liminis
3. Litania Gratiarum Actionis pro Ecclesia in pagina 578 [Libri Precum Publicarum]
4. *Te Deum*
5. Liturgia Verbi, cum sermone vel allocutione
6. Renovatio Promissionum Baptismalium
7. Intercessiones, cum commemoratione patronorum
8. *Pax Domini*
9. Eucharistia, quae cum Offertorio incipitur.

Litania Gratiarum Actionis pro Ecclesia

Gratias agamus Deo quem hic in decore sancto adoramus.

Aeterne Deus, quem caeli caelorum non capiunt, minus templa manibus aedificata; clementer accipias gratiarum actiones nostras, et opera manuum nostrorum ad tuum honorem gloriamque oblata.

Pro Ecclesia catholica, cuius haec aedificia visibilia signa sunt,
Tibi gratias agimus, Domine.

Pro praesentia tua ubicumque sunt duo vel tres congregati in Nomine tuo,
Tibi gratias agimus, Domine.

Pro hoc loco ubi vacemus et videamus quoniam tu es Deus,
Tibi gratias agimus, Domine.

Quoniam filios tuos adoptione gratiaque nos fecisti, et pane vitae nos quotidie reficis,
Tibi gratias agimus, Domine.

Pro voluntatis tuae cognitione et pro gratia ad eam peragendum,
Tibi gratias agimus, Domine.

Pro vota et preces nostras, perficiendo prout tibi videtur eorum saluti maxime expedire,
Tibi gratias agimus, Domine.

Pro peccatorum nostrorum venia, quae in societatem fidelium nos reddit,

Tibi gratias agimus, Domine.

Pro benedicendo vota nostra et coronando nostros benignitate tua annos,
Tibi gratias agimus, Domine.

Pro fide atavorum, quorum constantia corroboramur,
Tibi gratias agimus, Domine.

Pro communione [*N.*, patroni nostri *vel* patronae nostrae, et] omnium Sanctorum,
Tibi gratias agimus, Domine.

Post silentium breve, Celebrans cum Doxologia sequente concludit

Tua est, Domine, magnificentia, et potentia,
et gloria, atque victoria, et tibi laus;
Populus Cuncta enim quae in caelo sunt et in terra tua sunt.
Celebrans Tuum, Domine, regnum;
Populus Et tu es super omnes principes. Amen.

Et haec Litania adhibeatur festo die anniversario dedicationis vel consecrationis ecclesiae, vel aliis occasionibus aptis.

Psalterium Davidicum

De Psalterio

Psalterium corpus poematum liturgicorum est. Destinatur ad usum congregationis sive cantantis sive clara voce recitantis. Modi plures consueti sunt psalmorum recitandorum. Si unus modus solus adhibetur, recitationis Psalterii sine causa taedet. Modi consueti, quorum quisque sit elaboratus vel simplex, sequentes sunt, scilicet:

Recitatio Directa quae significat ut cunctus psalmus, vel pars, concentu recitetur vel canatur. Hic modus aptus est praecipue ad versus psalmi in lectionario notatos pro usu inter Lectiones Eucharisticas, si hi recitantur non canuntur, sed saepe modus gratus est cantandi.

Recitatio Antiphonalis est recitatio per versum inter coetus cantorum vel lectorum; e.g. inter chorum et congregationem, vel inter unum latus congregationis et alterum. Recitatio alterna concluditur vel cum Gloria Patri vel cum versu iterato (antiphon nominato) qui concentu recitatur. Fortasse hic est modus gratissimus psalmorum Divini Officii recitandorum.

Recitatio Responsorialis modum psalmorum recitandorum significat quo versus psalmi voce solius cantantur, choro congregationeque cantantibus versum iteratum post quemque versum vel cyclum versuum. Hic erat modus consuetus quo Venite cantabatur, et Antiphonis Invitatoriis ad Venite restitutis efficitur ut haec forma cantus sacri in Officio Divino recipiatur. Erat etiam modus consuetus psalmorum cantandorum inter Lectiones Eucharisticas, qui auctoribus musicae magis magisque nunc placet.

Recitatio Responsiva est modus qui in ecclesiis Episcopalibus saepissime adhibitus est, ministro congregationeque per versum invicem recitantibus.

Asteriscus quemque versum dimidiat ad recitandum vel cantandum. In recitando, debent lectores ad asteriscum distincte intersistere.

Psalterium Davidicum

Liber Primus

Dies I: Ad Matutinas

Psalmus I

1:1† Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum
et in via peccatorum non stetit *
et in cathedra pestilentiae non sedit

1:2 sed in lege Domini voluntas eius *
et in lege eius meditabitur die ac nocte

1:3 et erit tamquam lignum
quod plantatum est secus decursus aquarum *
quod fructum suum dabit in tempore suo

et folium eius non defluet *
et omnia quaecumque faciet prosperabuntur

1:4 non sic impii non sic; *
sed tamquam pulvis quem proicit ventus a facie terrae;

1:5 ideo non resurgent impii in iudicio *
neque peccatores in consilio iustorum

1:6 quoniam novit Dominus viam iustorum *
et iter impiorum peribit.

† N.B. Numerus ante quemque Psalmum iuxta Librum Precum Publicarum datur, sed insuper numeri versuum in quoque Psalmo iuxta Vulgatam dantur.

Versus psalmorum hic ordinantur secundum ordinem Libri Precum Publicarum a Gulielmo Bright & Petro Medd Latine redditi.

Psalmus II

2:1 Quare fremuerunt gentes *
et populi meditati sunt inania

2:2 adstiterunt reges terrae
et principes convenerunt in unum *
adversus Dominum et adversus christum eius

2:3 disrumpamus vincula eorum *
et proiciamus a nobis iugum ipsorum

2:4 qui habitat in caelis inridebit eos *
et Dominus subsannabit eos

2:5 tunc loquetur ad eos in ira sua *
et in furore suo conturbabit eos

2:6 ego autem constitutus sum rex
ab eo super Sion montem sanctum eius *
praedicans praeceptum eius

2:7 Dominus dixit ad me filius meus es tu *
ego hodie genui te

2:8 postula a me et dabo tibi gentes hereditatem tuam *
et possessionem tuam terminos terrae

2:9 reges eos in virga ferrea *
et tamquam vas figuli confringes eos

2:10 et nunc reges intelligite *
erudimini qui iudicatis terram

2:11 servite Domino in timore *
et exultate ei in tremore

2:12 apprehendite disciplinam nequando irascatur Dominus *
et pereatis de via iusta

2:13 cum exarserit in brevi ira eius *
beati omnes qui confidunt in eo.

Psalmus III

3:2 Domine quid multiplicati sunt qui tribulant me? *
multi insurgunt adversum me

3:3 multi dicunt animae meae *
non est salus ipsi in Deo eius;

3:4 tu autem Domine susceptor meus es *
gloria mea et exaltans caput meum

3:5 voce mea ad Dominum clamavi *
et exaudivit me de monte sancto suo

3:6 ego dormivi et soporatus sum *
et exsurrexi quia Dominus suscipiet me

3:7 non timebo milia populi circumdantis me *
exsurge Domine salvum me fac Deus meus

3:8 quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa *
dentes peccatorum contrivisti

3:9 Domini est salus *
et super populum tuum benedictio tua.

Psalmus IV

4:2 Cum invocarem exaudivit me Deus iustitiae meae *
in tribulatione dilatasti mihi

miserere mei *
et exaudi orationem meam

4:3 Filii hominum usquequo gravi corde? *
ut quid diligitis vanitatem
et quaeritis mendacium?

4:4 et scitote quoniam mirificavit Dominus sanctum suum *
Dominus exaudiet me cum clamavero ad eum

4:5 irascimini et nolite peccare *
quae dicitis in cordibus vestris
et in cubilibus vestris conpungimini

4:6 sacrificate sacrificium iustitiae
et sperate in Domino *
multi dicunt quis ostendet nobis bona?

4:7 signatum est super nos lumen vultus tui Domine *
dedisti laetitiam in corde meo

4:8 a fructu frumenti et vini et olei sui *
multiplicati sunt

4:9 in pace in id ipsum *
dormiam et requiescam

4:10 quoniam tu Domine singulariter in spe *
constituisti me.

Psalmus V

5:2 Verba mea auribus percipe Domine *
intellege clamorem meum

5:3 intende voci orationis meae *
rex meus et Deus meus

5:4 quoniam ad te orabo Domine *
mane exaudies vocem meam

5:5 mane adstabo tibi et videbo *
quoniam non deus volens iniquitatem tu es

5:6 neque habitabit iuxta te malignus *
neque permanebunt iniusti ante oculos tuos

5:7 odisti omnes qui operantur iniquitatem *
perdes omnes qui loquuntur mendacium

virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus *
5:8 ego autem in multitudine misericordiae tuae

introibo in domum tuam *
adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo

5:9 Domine deduc me in iustitia tua
propter inimicos meos *
dirige in conspectu meo viam tuam

5:10 quoniam non est in ore eorum veritas *
cor eorum vanum est

5:11 sepulchrum patens est guttur eorum *
linguis suis dolose agebant

iudica illos Deus *
decidant a cogitationibus suis

secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos *
quoniam inritaverunt te Domine

5:12 et laetentur omnes qui sperant in te *
in aeternum exultabunt et habitabis in eis

et gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum *
5:13 quoniam tu benedices iusto

Domine ut scuto bonae voluntatis tuae*
coronasti nos.

Dies I: Ad Vesperas

Psalmus VI

6:2 Domine ne in furore tuo arguas me *
neque in ira tua corripias me

6:3 miserere mei Domine quoniam infirmus sum *
sana me Domine quoniam conturbata sunt ossa mea

6:4 et anima mea turbata est valde *
et tu Domine usquequo

6:5 convertere Domine eripe animam meam *

salvum me fac propter misericordiam tuam

6:6 quoniam non est in morte qui memor sit tui *
in inferno autem quis confitebitur tibi

6:7 laboravi in gemitu meo
lavabo per singulas noctes lectum meum *
in lacrimis meis stratum meum rigabo

6:8 turbatus est a furore oculus meus *
inveteravi inter omnes inimicos meos

6:9 discedite a me omnes qui operamini iniquitatem *
quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei

6:10 exaudivit Dominus deprecationem meam *
Dominus orationem meam suscepit

6:11 erubescant et conturbentur vehementer omnes inimici mei*
convertantur et erubescant valde velociter.

Psalmus VII

7:2 Domine Deus meus in te speravi *
salvum me fac ex omnibus persequentibus me et libera me

7:3 nequando rapiat ut leo animam meam *
dum non est qui redimat neque qui salvum faciat

7:4 Domine Deus meus si feci istud *
si est iniquitas in manibus meis

7:5 si reddidi retribuentibus mihi mala *
decidam merito ab inimicis meis inanis

7:6 persequatur inimicus animam meam
et conprehendat et conculcet in terra vitam meam *
et gloriam meam in pulverem deducat

7:7 exsurge Domine in ira tua *
exaltare in finibus inimicorum meorum

et exsurge Domine Deus meus in praecepto quod mandasti *
7:8 et synagoga populorum circumdabit te

et propter hanc in altum regredere *
7:9 Dominus iudicat populos

iudica me Domine secundum iustitiam meam *
et secundum innocentiam meam super me

7:10 consummetur nequitia peccatorum
et diriges iustum *
et scrutans corda et renes Deus

7:11 iustum adiutorium meum a Deo *
qui salvos facit rectos corde

7:12 Deus iudex iustus et fortis et patiens *
numquid irascitur per singulos dies?

7:13 nisi conversi fueritis gladium suum vibrabit *
arcum suum tetendit et paravit illum

7:14 et in eo paravit vasa mortis *
sagittas suas ardentibus effecit

7:15 ecce parturiit iniustitiam et concepit dolorem *
et peperit iniquitatem

7:16 lacum aperuit et effodit eum *
et incidet in foveam quam fecit

7:17 convertetur dolor eius in caput eius *
et in verticem ipsius iniquitas eius descendet

7:18 confitebor Domino secundum iustitiam eius *
et psallam nomini Domini altissimi.

Psalmus VIII

8:2 Domine Dominus noster *
quam admirabile est nomen tuum in universa terra

quoniam elevata est magnificentia tua *
super caelos

8:3 ex ore infantium et lactantium perfecisti laudem
propter inimicos tuos *
ut destruas inimicum et ultorem

8:4 quoniam videbo caelos tuos;
opera digitorum tuorum *
lunam et stellas quae tu fundasti

8:5 quid est homo quod memor es eius? *
aut filius hominis quoniam visitas eum?

8:6 minuisti eum paulo minus ab angelis
gloria et honore coronasti eum *
8:7 et constituisti eum
super opera manuum tuarum

8:8 omnia subiecisti sub pedibus eius
oves et boves universas *
insuper et pecora campi

8:9 volucres caeli et pisces maris *
qui perambulant semitas maris

8:10 Domine Dominus noster *
quam admirabile est nomen tuum in universa terra.

Dies II: Ad Matutinas

Psalmus IX

9:2 Confitebor tibi Domine in toto corde meo *
narrabo omnia mirabilia tua

9:3 laetabor et exultabo in te *
psallam nomini tuo Altissime

9:4 in convertendo inimicum meum retrorsum *
infirmabuntur et peribunt a facie tua

9:5 quoniam fecisti iudicium meum et causam meam *
sedisti super thronum qui iudicas iustitiam

9:6 increpasti gentes et periit impius *
nomen eorum delisti in aeternum et in saeculum saeculi

9:7 inimici defecerunt frameae in finem *
et civitates destruxisti

periit memoria eorum cum sonitu *
9:8 et Dominus in aeternum permanet

paravit in iudicio thronum suum *
9:9 et ipse iudicabit orbem terrae in aequitate
iudicabit populos in iustitia

9:10 et factus est Dominus refugium pauperi *
adiutor in oportunitatibus in tribulatione

9:11 et sperent in te qui noverunt nomen tuum *
quoniam non dereliquisti quaerentes te Domine

9:12 psallite Domino qui habitat in Sion *
adnuntiate inter gentes studia eius

9:13 quoniam requirens sanguinem eorum recordatus est *
non est oblitus clamorem pauperum

9:14 miserere mei Domine *
vide humilitatem meam de inimicis meis

9:15 qui exaltas me de portis mortis *
ut adnuntiem omnes laudationes tuas in portis filiae Sion

9:16 exultabo in salutari tuo *
infixae sunt gentes in interitu quem fecerunt

in laqueo isto quem absconderunt *

conprehensus est pes eorum

9:17 cognoscitur Dominus iudicia faciens *
in operibus manuum suarum conprehensus est peccator

9:18 convertantur peccatores in infernum *
omnes gentes quae obliviscuntur Deum

9:19 quoniam non in finem oblivio erit pauperis *
patientia pauperum non peribit in finem

9:20 exsurge Domine non confortetur homo *
iudicentur gentes in conspectu tuo

9:21 constitue Domine legislatorem super eos *
sciant gentes quoniam homines sunt.

Psalmus X

9:22 Ut quid Domine recessisti longe *
dispicis in oportunitatibus in tribulatione

9:23 dum superbit impius incenditur pauper *
conprehenduntur in consiliis quibus cogitant

9:24 quoniam laudatur peccator in desideriis animae suae *
et iniquus benedicitur

9:25 exacerbavit Dominum peccator *
secundum multitudinem irae suae non quaeret

9:26 non est Deus in conspectu eius *
inquinatae sunt viae illius in omni tempore

auferuntur iudicia tua a facie eius *
omnium inimicorum suorum dominabitur

9:27 dixit enim in corde suo *
non movebor a generatione in generationem sine malo

9:28 cuius maledictione os plenum est et amaritudine et dolo *
sub lingua eius labor et dolor

9:29 sedet in insidiis cum divitibus in occultis *
ut interficiat innocentem

9:30 oculi eius in pauperem respiciunt *
insidiatur in abscondito quasi leo in spelunca sua

insidiatur ut rapiat pauperem *
rapere pauperem dum adtrahit eum

9:31 in laqueo suo humiliabit eum *
inclinabit se et cadet cum dominatus fuerit pauperum

9:32 dixit enim in corde suo oblitus est Deus *
avertit faciem suam ne videat in finem

9:33 exsurge Domine Deus
exaltetur manus tua *
ne obliviscaris pauperum

9:34 propter quid inritavit impius Deum? *
dixit enim in corde suo non requiret

9:35 vides quoniam tu laborem et dolorem consideras *
ut tradas eos in manus tuas

tibi derelictus est pauper *
orfano tu eras adiutor

9:36 contere brachium peccatoris *
et maligni quaeretur peccatum illius et non invenietur

9:37 Dominus regnabit in aeternum et in saeculum saeculi *
peribitis gentes de terra illius

9:38 desiderium pauperum exaudivit Dominus *
praeparationem cordis eorum audivit auris tua

9:39 iudicare pupillo et humili *
ut non adponat ultra magnificare se homo super terram.

Psalmus XI

10:2 In Domino confido *
quomodo dicitis animae meae
transmigra in montes sicut passer?

10:3 quoniam ecce peccatores intenderunt arcum
paraverunt sagittas suas in faretra *
ut sagittent in obscuro rectos corde

10:4 quoniam quae perfecisti destruxerunt *
iustus autem quid fecit

10:5 Dominus in templo sancto suo *
Dominus in caelo sedis eius

oculi eius in pauperem respiciunt *
palpebrae eius interrogant filios hominum

10:6 Dominus interrogat iustum et impium *
qui autem diligit iniquitatem odit animam suam

10:7 pluet super peccatores laqueos *
ignis et sulphur et spiritus procellarum
pars calicis eorum

10:8 quoniam iustus Dominus et iustitias dilexit *
aequitatem vidit vultus eius.

Dies II: Ad Vesperas

Psalmum XII

11:2 Salvum me fac Domine quoniam defecit sanctus *
quoniam deminutae sunt veritates a filiis hominum

11:3 vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum *
labia dolosa in corde et corde locuti sunt

11:4 disperdat Dominus universa labia dolosa *
linguam magniloquam

11:5 qui dixerunt linguam nostram magnificabimus *
labia nostra a nobis sunt quis noster dominus est?

11:6 propter miseriam inopum et gemitum pauperum *
nunc exsurgam dicit Dominus

ponam in salutari *
fiducialiter agam in eo

11:7 eloquia Domini eloquia casta
argentum igne examinatum *
probatum terrae purgatum septuplum

11:8 tu Domine servabis nos et custodies nos *
a generatione hac et in aeternum

11:9 in circuitu impii ambulant *
secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum.

Psalmus XIII

12:1 Usquequo Domine
oblivisceris me in finem? *
usquequo avertis faciem tuam a me

12:2 quamdiu ponam consilia in anima mea? *
dolorem in corde meo per diem?

12:3 usquequo exaltabitur inimicus meus super me? *
12:4 respice exaudi me Domine Deus meus

inlumina oculos meos ne umquam obdormiam in morte *
12:5 nequando dicat inimicus meus praevalui adversus eum

qui tribulant me exultabunt si motus fuero *
12:6 ego autem in misericordia tua speravi

exultabit cor meum in salutari tuo
cantabo Domino qui bona tribuit mihi *
et psallam nomini Domini altissimi.

Psalmus XIV

13:1 Dixit insipiens in corde suo *
non est Deus

corrupti sunt et abominabiles facti sunt in studiis suis *
non est qui faciat bonum non est usque ad unum

13:2 Dominus de caelo prospexit super filios hominum *
ut videat si est intellegens aut requirens Deum

13:3 omnes declinaverunt simul inutiles facti sunt *
non est qui faciat bonum non est usque ad unum

13:4 nonne cognoscent omnes qui operantur iniquitatem *
qui devorant plebem meam sicut escam panis

13:5 Dominum non invocaverunt *
illic trepidaverunt timore ubi non erat timor

13:6 quoniam Deus in generatione iusta *
consilium inopis confudistis
quoniam Dominus spes eius est

13:7 quis dabit ex Sion salutare Israhel? *
cum averterit Dominus captivitatem plebis suae
exultabit Iacob et laetabitur Israhel.

Dies III: Ad Matutinas

Psalmus XV

14:1 Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? *
aut quis requiescet in monte sancto tuo?

14:2 qui ingreditur sine macula *
et operatur iustitiam

14:3 qui loquitur veritatem in corde suo *
qui non egit dolum in lingua sua

nec fecit proximo suo malum *
et obprobrium non accepit adversus proximos suos

14:4 ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus *
timentes autem Dominum glorificat

qui iurat proximo suo et non decipit *
14:5 qui pecuniam suam non dedit ad usuram
et munera super innocentes non accepit

qui facit haec *
non movebitur in aeternum.

Psalmus XVI

15:1 Conserva me Domine quoniam in te speravi *
15:2 dixi Domino Dominus meus es tu
quoniam bonorum meorum non eges

15:3 sanctis qui sunt in terra eius *
mirificavit mihi omnes voluntates meas in eis

15:4 multiplicatae sunt infirmitates eorum *
postea adceleraverunt

non congregabo conventicula eorum de sanguinibus *
nec memor ero nominum eorum per labia mea

15:5 Dominus pars hereditatis meae et calicis mei *
tu es qui restitues hereditatem meam mihi

15:6 funes ceciderunt mihi in praeclaris *
etenim hereditas mea praeclara est mihi

15:7 benedicam Domino qui tribuit mihi intellectum *
insuper et usque ad noctem increpaverunt me renes mei

15:8 providebam Dominum in conspectu meo semper *
quoniam a dextris est mihi ne commovear

15:9 propter hoc laetatum est cor meum et exultavit lingua mea *
insuper et caro mea requiescet in spe

15:10 quoniam non derelinques animam meam in inferno *
non dabis sanctum tuum videre corruptionem

notas mihi fecisti vias vitae *
adimplebis me laetitia cum vultu tuo
delectatio in dextera tua usque in finem.

Psalmus XVII

16:1 Exaudi Domine iustitiam meam *
intende deprecationem meam

auribus percipe orationem meam *
non in labiis dolosis

16:2 de vultu tuo iudicium meum prodeat *
oculi tui videant aequitates

16:3 probasti cor meum visitasti nocte *
igne me examinasti et non est inventa in me iniquitas

16:4 ut non loquatur os meum opera hominum *
propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras

16:5 perfice gressus meos in semitis tuis *
ut non moveantur vestigia mea

16:6 ego clamavi quoniam exaudisti me Deus *
inclina aurem tuam mihi et exaudi verba mea

16:7 mirifica misericordias tuas *
qui salvos facis sperantes in te

16:8 a resistentibus dexterae tuae custodi me *
ut pupillam oculi

sub umbra alarum tuarum protege me
16:9 a facie impiorum qui me adflixerunt

inimici mei animam meam circumdederunt super me
16:10 adipem suum concluserunt *
os eorum locutum est superbia

16:11 proicientes me nunc circumdederunt me *
oculos suos statuerunt declinare in terram

16:12 susceperunt me sicut leo paratus ad praedam *
et sicut catulus leonis habitans in abditis

16:13 exsurge Domine praeveni eum et subplanta eum *
eripe animam meam ab impio frameam tuam
16:14 ab inimicis manus tuae

Domine a paucis de terra divide eos in vita eorum *
de absconditis tuis adimpletus est venter eorum

saturati sunt filiis *
et dimiserunt reliquias suas parvulis suis

16:15 ego autem in iustitia apparebo conspectui tuo *
satiabor cum apparuerit gloria tua.

Dies III: Ad Vesperas

Psalmus XVIII: Pars I

17:2 Diligam te Domine fortitudo mea *
17:3 Dominus firmamentum meum
et refugium meum et liberator meus

Deus meus adiutor meus *
et sperabo in eum

protector meus et cornu salutis meae *
et susceptor meus

17:4 laudans invocabo Dominum *
et ab inimicis meis salvus ero

17:5 circumdederunt me dolores mortis *
et torrentes iniquitatis conturbaverunt me

17:6 dolores inferni circumdederunt me *
praeoccupaverunt me laquei mortis

17:7 cum tribularer invocavi Dominum *
et ad Deum meum clamavi

exaudivit de templo sancto suo vocem meam *
et clamor meus in conspectu eius introibit in aures eius

17:8 et commota est et contremuit terra *
et fundamenta montium conturbata sunt
et commota sunt quoniam iratus est eis

17:9 ascendit fumus in ira eius
et ignis a facie eius exarsit *
carbones succensi sunt ab eo

17:10 inclinavit caelos et descendit *
et caligo sub pedibus eius

17:11 et ascendit super cherubin et volavit *
volavit super pinnas ventorum

17:12 et posuit tenebras latibulum suum in circuitu eius *
tabernaculum eius tenebrosa aqua in nubibus aeris

17:13 prae fulgore in conspectu eius nubes transierunt *
grando et carbones ignis

17:14 et intonuit de caelo Dominus *
et Altissimus dedit vocem suam

17:15 et misit sagittas et dissipavit eos *
et fulgora multiplicavit et conturbavit eos

17:16 et apparuerunt fontes aquarum *
et revelata sunt fundamenta orbis terrarum

ab increpatione tua Domine *
ab inspiratione spiritus irae tuae

17:17 misit de summo et accepit me *
adsumpsit me de aquis multis

17:18 eripiet me de inimicis meis fortissimis
et ab his qui oderunt me *
quoniam confirmati sunt super me

17:19 praevenerunt me in die adflictionis meae *
et factus est Dominus protector meus

17:20 et eduxit me in latitudinem *
salvum me faciet quoniam voluit me.

Psalmus XVIII: Pars II

17:21 Et retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam *
et secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi

17:22 quia custodivi vias Domini *
nec impie gessi a Deo meo

17:23 quoniam omnia iudicia eius in conspectu meo sunt *
et iustitias eius non reppuli a me

17:24 et ero inmaculatus cum eo *
et observabo ab iniquitate mea

17:25 et retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam *
et secundum puritatem manuum mearum in conspectu oculorum eius

17:26 cum sancto sanctus eris *
et cum viro innocente innocens eris

17:27 et cum electo electus eris et *
cum perverso perverteris

17:28 quoniam tu populum humilem salvum facies *
et oculos superborum humiliabis

17:29 quoniam tu inluminas lucernam meam Domine *
Deus meus inluminas tenebras meas

17:30 quoniam in te eripiar a temptatione *
et in Deo meo transgrediar murum

17:31 Deus meus inpolluta via eius *
eloquia Domini igne examinata
protector est omnium sperantium in eum

17:32 quoniam quis deus praeter Dominum *
et quis deus praeter Deum nostrum?

17:33 Deus qui praecingit me virtute *
et posuit inmaculatam viam meam

17:34 qui perfecit pedes meos tamquam cervorum *
et super excelsa statuens me

17:35 qui doces manus meas in proelium *
et posuisti arcum aereum brachia mea

17:36 et dedisti mihi protectionem salutis tuae *
et dextera tua suscepit me

et disciplina tua correxit me in finem *
et disciplina tua ipsa me docebit

17:37 dilatasti gressus meos subtus me *
et non sunt infirmata vestigia mea

17:38 persequar inimicos meos et conprehendam illos *
et non convertar donec deficiant

17:39 confringam illos nec poterunt stare *
cadent subtus pedes meos

17:40 et praecinxisti me virtute ad bellum *
subplantasti insurgentes in me subtus me

17:41 et inimicos meos dedisti mihi dorsum *
et odientes me disperdisti

17:42 clamaverunt nec erat qui salvos faceret *
ad Dominum nec exaudivit eos

17:43 et comminuam illos ut pulverem ante faciem venti *
ut lutum platearum delebo eos

17:44 eripe me de contradictionibus populi *
constitues me in caput gentium

17:45 populus quem non cognovi servivit mihi *
in auditu auris oboedivit mihi

17:46 filii alieni mentiti sunt mihi *
filii alieni inveterati sunt
et claudicaverunt a semitis suis

17:47 vivit Dominus et benedictus Deus meus *
et exaltetur Deus salutis meae

17:48 Deus qui dat vindictas mihi
et subdidit populos sub me *
liberator meus de gentibus iracundis

17:49 et ab insurgentibus in me exaltabis me *
a viro iniquo eripies me

17:50 propterea confitebor tibi in nationibus Domine *
et psalmum dicam nomini tuo

17:51 magnificans salutes regis eius
et faciens misericordiam christo suo David *
et semini eius usque in saeculum.

Psalmus XIX

18:2 Caeli enarrant gloriam Dei *
et opera manuum eius adnuntiat firmamentum

18:3 dies diei eructat verbum *
et nox nocti indicat scientiam

18:4 non sunt loquellae neque sermones *
quorum non audiantur voces eorum

18:5 in omnem terram exivit sonus eorum *
et in fines orbis terrae verba eorum

18:6 in sole posuit tabernaculum suum *
et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo

exultavit ut gigans ad currendam viam suam *
18:7 a summo caeli egressio eius

et occursus eius usque ad summum eius *
nec est qui se abscondat a calore eius

18:8 lex Domini inmaculata convertens animas *
testimonium Domini fidele sapientiam praestans parvulis

18:9 iustitiae Domini rectae laetificantes corda *
praeceptum Domini lucidum inluminans oculos

18:10 timor Domini sanctus permanens in saeculum saeculi *
iudicia Domini vera iustificata in semet ipsa

18:11 desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum *
et dulciora super mel et favum

18:12 etenim servus tuus custodit ea *
in custodiendis illis retributio multa

18:13 delicta quis intellegit?
ab occultis meis munda me *
18:14 et ab alienis parce servo tuo

si mei non fuerint dominati tunc inmaculatus ero *
et emundabor a delicto maximo

18:15 et erunt ut conplaceant eloquia oris mei *
et meditatio cordis mei in conspectu tuo semper

Domine adiutor meus *
et redemptor meus.

Psalmus XX

19:2 Exaudiat te Dominus in die tribulationis *
protegat te nomen Dei Iacob

19:3 mittat tibi auxilium de sancto *
et de Sion tueatur te

19:4 memor sit omnis sacrificii tui *
et holocaustum tuum pingue fiat

19:5 tribuat tibi secundum cor tuum *
et omne consilium tuum confirmet

19:6 laetabimur in salutari tuo *
et in nomine Dei nostri magnificabimur

19:7 impleat Dominus omnes petitiones tuas *
nunc cognovi quoniam salvum fecit Dominus christum suum

exaudiet illum de caelo sancto suo *
in potentatibus salus dexterae eius

19:8 hii in curribus et hii in equis *
nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus

19:9 ipsi obligati sunt et ceciderunt *
nos vero surreximus et erecti sumus

19:10 Domine salvum fac regem *
et exaudi nos in die qua invocaverimus te.

Psalmus XXI

20:2 Domine in virtute tua laetabitur rex *
et super salutare tuum exultabit vehementer

20:3 desiderium animae eius tribuisti ei *
et voluntate labiorum eius non fraudasti eum

20:4 quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis *
posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso

20:5 vitam petiit a te *
et tribuisti ei longitudinem dierum
in saeculum et in saeculum saeculi

20:6 magna gloria eius in salutari tuo *
gloriam et magnum decorem inpones super eum

20:7 quoniam dabis eum benedictionem in saeculum saeculi *
laetificabis eum in gaudio cum vultu tuo

20:8 quoniam rex sperat in Domino *
et in misericordia Altissimi non commovebitur

20:9 inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis *
dextera tua inveniat omnes qui te oderunt

20:10 pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui *
Dominus in ira sua conturbabit eos et devorabit eos ignis

20:11 fructum eorum de terra perdes *
et semen eorum a filiis hominum

20:12 quoniam declinaverunt in te mala *
cogitaverunt consilia quae non potuerunt stabilire

20:13 quoniam pones eos dorsum *
in reliquis tuis praeparabis vultum eorum

20:14 exaltare Domine in virtute tua *
cantabimus et psallemus virtutes tuas.

Dies IV: Ad Vesperas

Psalmus XXII

21:2 Deus Deus meus respice me
quare me dereliquisti? *
longe a salute mea
verba delictorum meorum

21:3 Deus meus clamabo per diem et non exaudies *
et nocte et non ad insipientiam mihi

21:4 tu autem in sancto habitas *
Laus Israhel

21:5 in te speraverunt patres nostri *
speraverunt et liberasti eos

21:6 ad te clamaverunt et salvi facti sunt *
in te speraverunt et non sunt confusi

21:7 ego autem sum vermis et non homo *
obprobrium hominum et abiectio plebis

21:8 omnes videntes me deriserunt me *
locuti sunt labiis moverunt caput

21:9 speravit in Domino eripiat eum *
salvum faciat eum quoniam vult eum

21:10 quoniam tu es qui extraxisti me de ventre
spes mea ab uberibus matris meae *
21:11 in te proiectus sum ex utero

de ventre matris meae Deus meus es tu *
21:12 ne discesseris a me

quoniam tribulatio proxima est *
quoniam non est qui adiuvet

21:13 circumdederunt me vituli multi *
tauri pingues obsederunt me

21:14 aperuerunt super me os suum *
sicut leo rapiens et rugiens

21:15 sicut aqua effusus sum *
et dispersa sunt universa ossa mea

factum est cor meum tamquam cera liquescens *
in medio ventris mei

21:16 aruit tamquam testa virtus mea
et lingua mea adhesit faucibus meis *
et in limum mortis deduxisti me

21:17 quoniam circumdederunt me canes multi *
concilium malignantium obsedit me

foderunt manus meas et pedes meos *
21:18 dinumeraverunt omnia ossa mea

ipsi vero consideraverunt et inspexerunt me *
21:19 diviserunt sibi vestimenta mea
et super vestem meam miserunt sortem

21:20 tu autem Domine ne elongaveris auxilium tuum *
ad defensionem meam conspice

21:21 erue a framea animam meam *
et de manu canis unicam meam

21:22 salva me ex ore leonis *
et a cornibus unicornium humilitatem meam

21:23 narrabo nomen tuum fratribus meis *
in media ecclesia laudabo te

21:24 qui timetis Dominum laudate eum *
universum semen Iacob magnificate eum

21:25 timeat eum omne semen Israhel *
quoniam non sprevit neque dispexit deprecationem pauperis

nec avertit faciem suam a me *
et cum clamarem ad eum exaudivit me

21:26 apud te laus mea in ecclesia magna *
vota mea reddam in conspectu timentium eum

21:27 edent pauperes et saturabuntur
et laudabunt Dominum qui requirunt eum *
vivent corda eorum in saeculum saeculi

21:28 reminiscentur et convertentur ad Dominum universi fines terrae *
et adorabunt in conspectu eius universae familiae gentium

21:29 quoniam Dei est regnum *
et ipse dominabitur gentium

21:30 manducaverunt et adoraverunt omnes pingues terrae *
in conspectu eius cadent omnes qui descendunt in terram

21:31 et anima mea illi vivet *
et semen meum serviet ipsi

21:32 adnuntiabitur Domino generatio ventura *
et adnuntiabunt iustitiam eius populo
qui nascetur quem fecit Dominus.

Psalmus XXIII

22:1 Dominus reget me
et nihil mihi deerit *
22:2 in loco pascuae ibi me conlocavit

super aquam refectionis educavit me *
22:3 animam meam convertit

deduxit me super semitas iustitiae *
propter nomen suum

22:4 nam et si ambulavero in medio umbrae mortis *
non timebo mala quoniam tu mecum es

virga tua et baculus tuus *
ipsa me consolata sunt

22:5 parasti in conspectu meo mensam *
adversus eos qui tribulant me

inpinguasti in oleo caput meum *
et calix meus inebrians quam praeclarus est

22:6 et misericordia tua subsequitur me *
omnibus diebus vitae meae

et ut inhabitem in domo Domini *
in longitudinem dierum.

Dies V: Ad Matutinas

Psalmus XXIV

23:1 Domini est terra et plenitudo eius *
orbis terrarum et universi qui habitant in eo

23:2 quia ipse super maria fundavit eum *
et super flumina praeparavit eum

23:3 quis ascendit in montem Domini? *
aut quis stabit in loco sancto eius?

23:4 innocens manibus et mundo corde
qui non accepit in vano animam suam *
nec iuravit in dolo proximo suo

23:5 hic accipiet benedictionem a Domino *
et misericordiam a Deo salvatore suo

23:6 haec est generatio quaerentium eum *
quaerentium faciem Dei Iacob

23:7 adtollite portas principes vestras
et elevamini portae aeternales *
et introibit rex gloriae

23:8 quis est iste rex gloriae? *
Dominus fortis et potens
Dominus potens in proelio

23:9 adtollite portas principes vestras
et elevamini portae aeternales *
et introibit rex gloriae

23:10 quis est iste rex gloriae? *
Dominus virtutum
ipse est rex gloriae.

Psalmus XXV

24:1 Ad te Domine levavi animam meam *
24:2 Deus meus in te confido
non erubescam

24:3 neque inrideant me inimici mei *
etenim universi qui sustinent te non confundentur

24:4 confundantur omnes iniqua agentes *
supervacue

vias tuas Domine demonstra mihi *
et semitas tuas doce me

24:5 dirige me in veritatem tuam et doce me *

quoniam tu es Deus salvator meus
et te sustinui tota die

24:6 reminiscere miserationum tuarum Domine *
et misericordiarum tuarum quia a saeculo sunt

24:7 delicta iuventutis meae *
et ignorantias meas ne memineris

secundum misericordiam tuam memento mei tu *
propter bonitatem tuam Domine

24:8 dulcis et rectus Dominus *
propter hoc legem dabit delinquentibus in via

24:9 diriget mansuetos in iudicio *
docebit mites vias suas

24:10 universae viae Domini misericordia et veritas *
requirentibus testamentum eius et testimonia eius

24:11 propter nomen tuum Domine et propitiaberis peccato meo *
multum est enim

24:12 quis est homo qui timet Dominum? *
legem statuet ei in via quam elegit

24:13 anima eius in bonis demorabitur *
et semen ipsius hereditabit terram

24:14 firmamentum est Dominus timentibus eum *
et testamentum ipsius ut manifestetur illis

24:15 oculi mei semper ad Dominum *
quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos

24:16 respice in me et miserere mei *
quia unicus et pauper sum ego

24:17 tribulationes cordis mei multiplicatae sunt *
de necessitatibus meis erue me

24:18 vide humilitatem meam et laborem meum *
et dimitte universa delicta mea

24:19 respice inimicos meos quoniam multiplicati sunt *
et odio iniquo oderunt me

24:20 custodi animam meam et erue me *
non erubescam quoniam speravi in te

24:21 innocentes et recti adheserunt mihi *
quia sustinui te

24:22 libera Deus Israhel *
ex omnibus tribulationibus suis.

Psalmus XXVI

25:1 Iudica me Domine
quoniam ego in innocentia mea ingressus sum *
et in Domino sperans non infirmabor

25:2 proba me Domine et tempta me *
ure renes meos et cor meum

25:3 quoniam misericordia tua ante oculos meos est *
et conplacui in veritate tua

25:4 non sedi cum concilio vanitatis *
et cum iniqua gerentibus non introibo

25:5 odivi ecclesiam malignantium *
et cum impiis non sedebo

25:6 lavabo inter innocentes manus meas *
et circumdabo altare tuum Domine

25:7 ut audiam vocem laudis *
et enarrem universa mirabilia tua

25:8 Domine dilexi decorem domus tuae *
et locum habitationis gloriae tuae

25:9 ne perdas cum impiis animam meam *
et cum viris sanguinum vitam meam

25:10 in quorum manibus iniquitates sunt *
dextera eorum repleta est muneribus

25:11 ego autem in innocentia mea ingressus sum *
redime me et miserere mei

25:12 pes meus stetit in directo *
in ecclesiis benedicam te Domine.

Dies V: Ad Vesperas

Psalmus XXVII

26:1 Dominus inluminatio mea *
et salus mea quem timebo?

Dominus protector vitae meae *
a quo trepidabo?

26:2 dum adpropiant super me nocentes *
ut edant carnes meas *

qui tribulant me et inimici mei *

ipsi infirmati sunt et ceciderunt

26:3 si consistant adversus me castra *
non timebit cor meum

si exsurgat adversus me proelium *
in hoc ego sperabo

26:4 unam petii a Domino hanc requiram *
ut inhabitem in domo Domini omnes dies vitae meae

ut videam voluntatem Domini *
et visitem templum eius

26:5 quoniam abscondit me in tabernaculo in die malorum *
protexit me in abscondito tabernaculi sui

26:6 in petra exaltavit me *
et nunc exaltavit caput meum
super inimicos meos

circuivi et immolavi in tabernaculo eius hostiam vociferationis *
cantabo et psalmum dicam Domino

26:7 exaudi Domine vocem meam qua clamavi *
miserere mei et exaudi me

26:8 tibi dixit cor meum exquisivit facies mea *
faciem tuam Domine requiram

26:9 ne avertas faciem tuam a me *
ne declines in ira a servo tuo

adiutor meus esto
ne derelinquas me *
neque dispicias me Deus salvator meus

26:10 quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me *
Dominus autem adsumpsit me

26:11 legem pone mihi Domine in via tua *
et dirige me in semita recta propter inimicos meos

26:12 ne tradideris me in animas tribulantium me
quoniam insurrexerunt in me testes iniqui *
et mentita est iniquitas sibi

26:13 credo videre bona Domini *
in terra viventium

26:14 exspecta Dominum viriliter age *
et confortetur cor tuum
et sustine Dominum.

Psalmus XXVIII

27:1 Ad te Domine clamabo
Deus meus ne sileas a me *
nequando taceas a me
et adsimilabor descendentibus in lacum

27:2 exaudi vocem deprecationis meae dum oro ad te *
dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum

27:3 ne simul tradas me cum peccatoribus *
et cum operantibus iniquitatem ne perdideris me

qui loquuntur pacem cum proximo suo *
mala autem sunt in cordibus eorum

27:4 da illis secundum opera ipsorum *
et secundum nequitiam adinventionum ipsorum

secundum opera manuum eorum tribue illis *
redde retributionem eorum ipsis

27:5 quoniam non intellexerunt opera Domini *
et in opera manuum eius destrues illos
et non aedificabis eos

27:6 benedictus Dominus *
quoniam exaudivit vocem deprecationis meae

27:7 Dominus adiutor meus et protector meus *
in ipso speravit cor meum et adiutus sum

et refloruit caro mea *
et ex voluntate mea confitebor ei

27:8 Dominus fortitudo plebis suae *
et protector salvationum christi sui est

27:9 salvam fac plebem tuam et benedic hereditati tuae *
et rege eos et extolle eos usque in aeternum.

Psalmus XXIX

28:1 Adferte Domino filii Dei *
adferte Domino filios arietum

28:2 adferte Domino gloriam et honorem
adferte Domino gloriam nomini eius *
adorate Dominum in atrio sancto eius

28:3 vox Domini super aquas
Deus maiestatis intonuit *
Dominus super aquas multas

28:4 vox Domini in virtute *

vox Domini in magnificentia

28:5 vox Domini confringentis cedros *
et confringet Dominus cedros Libani

28:6 et comminuet eas tamquam vitulum Libani *
et dilectus quemadmodum filius unicornium

28:7 vox Domini intercidentis flammam ignis
28:8 vox Domini concutientis desertum *
et commovebit Dominus desertum Cades

28:9 vox Domini praeparantis cervos et revelabit condensa *
et in templo eius omnis dicet gloriam

28:10 Dominus diluvium inhabitare facit *
et sedebit Dominus rex in aeternum

28:11 Dominus virtutem populo suo dabit *
Dominus benedicet populo suo in pace.

Dies VI: Ad Matutinas

Psalmus XXX

29:2 Exaltabo te Domine quoniam suscepisti me *
nec delectasti inimicos meos super me

29:3 Domine Deus meus clamavi ad te *
et sanasti me

29:4 Domine eduxisti ab inferno animam meam *
salvasti me a descendentibus in lacum

29:5 psallite Domino sancti eius *
et confitemini memoriae sanctitatis eius

29:6 quoniam ira in indignatione eius *
et vita in voluntate eius

ad vesperum demorabitur fletus *
et ad matutinum laetitia

29:7 ego autem dixi in abundantia mea *
non movebor in aeternum

29:8 Domine in voluntate tua *
praestitisti decori meo virtutem

avertisti faciem tuam *
et factus sum conturbatus

29:9 ad te Domine clamabo *
et ad Deum meum deprecabor

29:10 quae utilitas in sanguine meo *
dum descendo in corruptionem?

numquid confitebitur tibi pulvis *
aut adnuntiabit veritatem tuam

29:11 audivit Dominus et misertus est mei *
Dominus factus est adiutor meus

29:12 convertisti planctum meum in gaudium mihi *
conscidisti saccum meum et circumdedisti me laetitia

29:13 ut cantet tibi gloria mea et non conpungar *
Domine Deus meus in aeternum confitebor tibi.

Psalmus XXXI

30:2 In te Domine speravi
non confundar in aeternum *
in iustitia tua libera me

30:3 inclina ad me aurem tuam *
adcelera ut eruas me

esto mihi in Deum protectorem
et in domum refugii *
ut salvum me facias

30:4 quoniam fortitudo mea et refugium meum es tu *
et propter nomen tuum deduces me et enutries me

30:5 educes me de laqueo hoc quem absconderunt mihi *
quoniam tu es protector meus

30:6 in manus tuas commendabo spiritum meum *
redemisti me Domine Deus veritatis

30:7 odisti observantes vanitates *
supervacue

ego autem in Domino speravi *
30:8 exultabo et laetabor in misericordia tua

quoniam respexisti humilitatem meam *
salvasti de necessitatibus animam meam

30:9 nec conclusisti me in manibus inimici *
statuisti in loco spatioso pedes meos

30:10 miserere mei Domine quoniam tribulor *
conturbatus est in ira oculus meus
anima mea et venter meus

30:11 quoniam defecit in dolore vita mea *

et anni mei in gemitibus

infirmata est in paupertate virtus mea *
et ossa mea conturbata sunt

30:12 super omnes inimicos meos factus sum obprobrium
et vicinis meis valde *
et timor notis meis

qui videbant me foras fugerunt a me *
30:13 oblivioni datus sum tamquam mortuus a corde

factus sum tamquam vas perditum *
30:14 quoniam audivi vituperationem
multorum commorantium in circuitu

in eo dum convenirent simul adversus me *
accipere animam meam consiliati sunt

30:15 ego autem in te speravi Domine
dixi Deus meus es tu *
30:16 in manibus tuis sortes meae

eripe me de manu inimicorum meorum *
et a persequentibus me

30:17 inlustra faciem tuam super servum tuum
salvum me fac in misericordia tua *
30:18 Domine ne confundar quoniam invocavi te

erubescant impii et deducantur in infernum *
30:19 muta fiant labia dolosa

quae loquuntur adversus iustum iniquitatem *
in superbia et in abusione

30:20 quam magna multitudo dulcedinis tuae Domine *
quam abscondisti timentibus te

perfecisti eis qui sperant in te *
in conspectu filiorum hominum

30:21 abscondes eos in abdito faciei tuae *
a conturbatione hominum

proteges eos in tabernaculo *
a contradictione linguarum

30:22 benedictus Dominus *
quoniam mirificavit misericordiam suam mihi
in civitate munita

30:23 ego autem dixi in excessu mentis meae *
proiectus sum a facie oculorum tuorum

ideo exaudisti vocem orationis meae *

dum clamarem ad te

30:24 diligite Dominum omnes sancti eius
quoniam veritates requirit Dominus *
et retribuit abundanter facientibus superbiam

30:25 viriliter agite et confortetur cor vestrum *
omnes qui speratis in Domino.

Dies VI: Ad Vesperas

Psalmus XXXII

31:1 Beati quorum remissae sunt iniquitates *
et quorum tecta sunt peccata

31:2 beatus vir cui non inputabit Dominus peccatum *
nec est in spiritu eius dolus

31:3 quoniam tacui inveteraverunt ossa mea *
dum clamarem tota die

31:4 quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua *
conversus sum in aerumna mea dum configitur mihi spina

31:5 delictum meum cognitum tibi feci *
et iniustitiam meam non abscondi

dixi confitebor adversus me iniustitiam meam Domino *
et tu remisisti impietatem peccati mei

31:6 pro hac orabit ad te omnis sanctus *
in tempore oportuno

verumtamen in diluvio aquarum multarum *
ad eum non adproximabunt

31:7 tu es refugium meum a tribulatione quae circumdedit me *
exultatio mea erue me a circumdantibus me

31:8 intellectum tibi dabo et instruam te in via hac qua gradieris *
firmabo super te oculos meos

31:9 nolite fieri sicut equus et mulus *
quibus non est intellectus

in camo et freno maxillas eorum constringe *
qui non adproximant ad te

31:10 multa flagella peccatoris *
sperantem autem in Domino misericordia circumdabit

31:11 laetamini in Domino et exultate iusti *
et gloriamini omnes recti corde.

Psalmus XXXIII

32:1 Exultate iusti in Domino *
rectos decet laudatio

32:2 confitemini Domino in cithara *
in psalterio decem cordarum psallite illi

32:3 cantate ei canticum novum *
bene psallite in vociferatione

32:4 quia rectum est verbum Domini *
et omnia opera eius in fide

32:5 diligit misericordiam et iudicium *
misericordia Domini plena est terra

32:6 verbo Domini caeli firmati sunt *
et spiritu oris eius omnis virtus eorum

32:7 congregans sicut in utre aquas maris *
ponens in thesauris abyssos

32:8 timeat Dominum omnis terra *
ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem

32:9 quoniam ipse dixit et facta sunt *
ipse mandavit et creata sunt

32:10 Dominus dissipat consilia gentium *
reprobat autem cogitationes populorum

32:11 consilium autem Domini in aeternum manet *
cogitationes cordis eius in generatione et generationem

32:12 beata gens cuius est Dominus Deus eius *
populus quem elegit in hereditatem sibi

32:13 de caelo respexit Dominus *
vidit omnes filios hominum

32:14 de praeparato habitaculo suo *
respexit super omnes qui habitant terram

32:15 qui finxit singillatim corda eorum *
qui intellegit omnia opera illorum

32:16 non salvatur rex per multam virtutem *
et gigans non salvabitur in multitudine virtutis suae

32:17 fallax equus ad salutem *
in abundantia autem virtutis suae non salvabitur

32:18 ecce oculi Domini super metuentes eum *

qui sperant super misericordia eius

32:19 ut eruat a morte animas eorum *
et alat eos in fame

32:20 anima nostra sustinet Dominum *
quoniam adiutor et protector noster est

32:21 quia in eo laetabitur cor nostrum *
et in nomine sancto eius speravimus

32:22 fiat misericordia tua Domine super nos *
quemadmodum speravimus in te.

Psalmus XXXIV

33:2 Benedicam Dominum in omni tempore *
semper laus eius in ore meo

33:3 in Domino laudabitur anima mea *
audiant mansueti et laetentur

33:4 magnificate Dominum mecum *
et exaltemus nomen eius in id ipsum

33:5 exquisivi Dominum et exaudivit me *
et ex omnibus tribulationibus meis eripuit me

33:6 accedite ad eum et inluminamini *
et facies vestrae non confundentur

33:7 iste pauper clamavit et Dominus exaudivit eum *
et de omnibus tribulationibus eius salvavit eum

33:8 vallabit angelus Domini in circuitu timentium eum *
et eripiet eos

33:9 gustate et videte quoniam suavis est Dominus *
beatus vir qui sperat in eo

33:10 timete Dominum omnes sancti eius *
quoniam non est inopia timentibus eum

33:11 divites eguerunt et esurierunt *
inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono

33:12 venite filii audite me *
timorem Domini docebo vos

33:13 quis est homo qui vult vitam *
cupit videre dies bonos

33:14 prohibe linguam tuam a malo *
et labia tua ne loquantur dolum

33:15 deverte a malo et fac bonum *
inquire pacem et persequere eam

33:16 oculi Domini super iustos *
et aures eius in precem eorum

33:17 facies Domini super facientes mala *
ut perdat de terra memoriam eorum

33:18 clamaverunt iusti et Dominus exaudivit *
et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos

33:19 iuxta est Dominus his qui tribulato sunt corde *
et humiles spiritu salvabit

33:20 multae tribulationes iustorum *
et de omnibus his liberavit eos

33:21 Dominus custodit omnia ossa eorum *
unum ex his non conteretur

33:22 mors peccatorum pessima *
et qui oderunt iustum delinquent

33:23 redimet Dominus animas servorum suorum *
et non delinquent omnes qui sperant in eum.

Psalmus XXXV

34:1 Iudica Domine nocentes me *
expugna expugnantes me

34:2 adprehende arma et scutum *
et exsurge in adiutorium mihi

34:3 effunde frameam et conclude adversus eos qui persequuntur me *
dic animae meae salus tua ego sum

34:4 confundantur et revereantur *
quaerentes animam meam

avertantur retrorsum et confundantur *
cogitantes mihi mala

34:5 fiant tamquam pulvis ante faciem venti *
et angelus Domini coartans eos

34:6 fiat via illorum tenebrae et lubricum *
et angelus Domini persequens eos

34:7 quoniam gratis absconderunt mihi interitum laquei sui *
supervacue exprobraverunt animam meam

34:8 veniat illi laqueus quem ignorat *
et captio quam abscondit conprehendat eum

et in laqueo cadat in ipso

34:9 anima autem mea exultabit in Domino *
delectabitur super salutari suo

34:10 omnia ossa mea dicent *
Domine quis similis tui?

eripiens inopem de manu fortiorum eius *
egenum et pauperem a diripientibus eum

34:11 surgentes testes iniqui *
quae ignorabam interrogabant me

34:12 retribuebant mihi mala pro bonis *
sterilitatem animae meae

34:13 ego autem cum mihi molesti essent *
induebar cilicio

humiliabam in ieiunio animam meam *
et oratio mea in sinum meum convertetur

34:14 quasi proximum quasi fratrem nostrum sic conplacebam *
quasi lugens et contristatus sic humiliabar

34:15 et adversum me laetati sunt et convenerunt *
congregata sunt super me flagella et ignoravi

34:16 dissipati sunt nec conpuncti temptaverunt me
subsannaverunt me subsannatione *
frenduerunt super me dentibus suis

34:17 Domine quando respicies?
restitue animam meam a malignitate eorum *
a leonibus unicam meam

34:18 confitebor tibi in ecclesia magna *
in populo gravi laudabo te

34:19 non supergaudeant mihi qui adversantur mihi inique *
qui oderunt me gratis et annuunt oculis

34:20 quoniam mihi quidem pacifice loquebantur *
et in iracundia terrae loquentes dolos cogitabant

34:21 et dilataverunt super me os suum *
dixerunt euge euge viderunt oculi nostri

34:22 vidisti Domine ne sileas *
Domine ne discedas a me

34:23 exsurge et intende iudicio meo Deus meus *
et Dominus meus in causam meam

34:24 iudica me secundum iustitiam tuam Domine Deus meus *
et non supergaudeant mihi

34:25 non dicant in cordibus suis euge euge animae nostrae *
nec dicant devoravimus eum

34:26 erubescant et revereantur simul *
qui gratulantur malis meis

induantur confusione et reverentia *
qui magna loquuntur super me

34:27 exultent et laetentur qui volunt iustitiam meam *
et dicant semper magnificetur Dominus qui volunt pacem servi eius

34:28 et lingua mea meditabitur iustitiam tuam *
tota die laudem tuam.

Psalmus XXXVI

35:2 Dixit iniustus ut delinquat in semet ipso *
non est timor Dei ante oculos eius

35:3 quoniam dolose egit in conspectu eius *
ut inveniatur iniquitas eius ad odium

35:4 verba oris eius iniquitas et dolus *
noluit intellegere ut bene ageret

35:5 iniquitatem meditatus est in cubili suo *
adstetit omni viae non bonae
malitiam autem non odivit

35:6 Domine in caelo misericordia tua *
et veritas tua usque ad nubes

35:7 iustitia tua sicut montes Dei *
iudicia tua abyssus multa

homines et iumenta salvabis Domine *
35:8 quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus

filii autem hominum *
in tegmine alarum tuarum sperabunt

35:9 inebriabuntur ab ubertate domus tuae *
et torrente voluntatis tuae potabis eos

35:10 quoniam apud te fons vitae *
in lumine tuo videbimus lumen

35:11 praetende misericordiam tuam scientibus te *
et iustitiam tuam his qui recto sunt corde

35:12 non veniat mihi pes superbiae *
et manus peccatoris non moveat me

35:13 ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem *
expulsi sunt nec potuerunt stare.

Dies VII: Ad Vesperas

Psalmus XXXVII: Pars I

36:1 Noli aemulari in malignantibus *
neque zelaveris facientes iniquitatem

36:2 quoniam tamquam faenum velociter arescent *
et quemadmodum holera herbarum cito decident

36:3 spera in Domino et fac bonitatem *
et inhabita terram et pasceris in divitiis eius

36:4 delectare in Domino *
et dabit tibi petitiones cordis tui

36:5 revela Domino viam tuam *
et spera in eum et ipse faciet

36:6 et educet quasi lumen iustitiam tuam
et iudicium tuum tamquam meridiem *
36:7 subditus esto Domino et ora eum

noli aemulari in eo qui prosperatur in via sua *
in homine faciente iniustitias

36:8 desine ab ira et derelinque furorem *
noli aemulari ut maligneris

36:9 quoniam qui malignantur exterminabuntur *
sustinentes autem Dominum ipsi hereditabunt terram

36:10 et adhuc pusillum et non erit peccator *
et quaeres locum eius et non invenies

36:11 mansueti autem hereditabunt terram *
et delectabuntur in multitudine pacis

36:12 observabit peccator iustum *
et stridebit super eum dentibus suis

36:13 Dominus autem inridebit eum *
quia prospicit quoniam veniet dies eius

36:14 gladium evaginaverunt peccatores *
intenderunt arcum suum

ut decipiant pauperem et inopem *
ut trucident rectos corde

36:15 gladius eorum intret in corda ipsorum *

et arcus ipsorum confringatur

36:16 melius est modicum iusto *
super divitias peccatorum multas

36:17 quoniam brachia peccatorum conterentur *
confirmat autem iustos Dominus.

Psalmus XXXVII: Pars II

36:18 Novit Dominus dies inmaculatorum *
et hereditas eorum in aeternum erit

36:19 non confundentur in tempore malo *
et in diebus famis saturabuntur
36:20 quia peccatores peribunt

inimici vero Domini mox honorificati fuerint et exaltati *
deficientes quemadmodum fumus defecerunt

36:21 mutuabitur peccator et non solvet *
iustus autem miseretur et tribuet

36:22 quia benedicentes ei hereditabunt terram *
maledicentes autem ei disperibunt

36:23 apud Dominum gressus hominis dirigentur *
et viam eius volet

36:24 cum ceciderit non conlidetur *
quia Dominus subponit manum suam

36:25 iunior fui et senui *
et non vidi iustum derelictum
nec semen eius quaerens panes

36:26 tota die miseretur et commodat *
et semen illius in benedictione erit

36:27 declina a malo et fac bonum *
et inhabita in saeculum saeculi

36:28 quia Dominus amat iudicium
et non derelinquet sanctos suos *
in aeternum conservabuntur

iniusti punientur *
et semen impiorum peribit

36:29 iusti autem hereditabunt terram *
et inhabitabunt in saeculum saeculi super eam

36:30 os iusti meditabitur sapientiam *
et lingua eius loquetur iudicium

36:31 lex Dei eius in corde ipsius *
et non subplantabuntur gressus eius

36:32 considerat peccator iustum *
et quaerit mortificare eum

36:33 Dominus autem non derelinquet eum in manus eius *
nec damnabit eum cum iudicabitur illi

36:34 expecta Dominum et custodi viam eius *
et exaltabit te ut hereditate capias terram
cum perierint peccatores videbis

36:35 vidi impium superexaltatum *
et elevatum sicut cedros Libani

36:36 et transivi et ecce non erat *
et quaesivi eum et non est inventus locus eius

36:37 custodi innocentiam et vide aequitatem *
quoniam sunt reliquiae homini pacifico

36:38 iniusti autem disperibunt simul *
reliquiae impiorum peribunt

36:39 salus autem iustorum a Domino *
et protector eorum in tempore tribulationis

36:40 et adiuvabit eos Dominus et liberabit eos *
et eruet eos a peccatoribus et salvabit eos
quia speraverunt in eo.

Dies VIII: Ad Matutinas

Psalmus XXXVIII

37:2 Domine ne in furore tuo arguas me *
neque in ira tua corripias me

37:3 quoniam sagittae tuae infixae sunt mihi *
et confirmasti super me manum tuam

37:4 non est sanitas carni meae a facie irae tuae *
non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum

37:5 quoniam iniquitates meae supergressae sunt caput meum *
sicut onus grave gravatae sunt super me

37:6 putruerunt et corruptae sunt cicatrices meae *
a facie insipientiae meae

37:7 miser factus sum et curvatus sum usque ad finem *
tota die contristatus ingrediebar

37:8 quoniam lumbi mei impleti sunt inlusionibus *
et non est sanitas in carne mea

37:9 adflictus sum et humiliatus sum nimis *
rugiebam a gemitu cordis mei

37:10 Domine ante te omne desiderium meum *
et gemitus meus a te non est absconditus

37:11 cor meum conturbatum est
dereliquit me virtus mea *
et lumen oculorum meorum
et ipsum non est mecum

37:12 amici mei et proximi mei *
adversus me adpropinquaverunt et steterunt

et qui iuxta me erant de longe steterunt *
37:13 et vim faciebant qui quaerebant animam meam

et qui inquirebant mala mihi locuti sunt vanitates *
et dolos tota die meditabantur

37:14 ego autem tamquam surdus non audiebam *
et sicut mutus non aperiens os suum

37:15 et factus sum sicut homo non audiens *
et non habens in ore suo redargutiones

37:16 quoniam in te Domine speravi *
tu exaudies Domine Deus meus

37:17 quia dixi nequando supergaudeant mihi inimici mei *
et dum commoventur pedes mei super me magna locuti sunt

37:18 quoniam ego in flagella paratus *
et dolor meus in conspectu meo semper

37:19 quoniam iniquitatem meam adnuntiabo *
et cogitabo pro peccato meo

37:20 inimici autem mei vivent et firmati sunt super me *
et multiplicati sunt qui oderunt me inique

37:21 qui retribuunt mala pro bonis detrahebant mihi *
quoniam sequebar bonitatem

37:22 non derelinquas me Domine Deus meus *
ne discesseris a me

37:23 intende in adiutorium meum *
Domine salutis meae.

Psalmus XXXIX

38:2 Dixi custodiam vias meas *
ut non delinquam in lingua mea

posui ori meo custodiam *
cum consisteret peccator adversum me

38:3 obmutui et humiliatus sum et silui a bonis *
et dolor meus renovatus est

38:4 concaluit cor meum intra me *
et in meditatione mea exardescet ignis

38:5 locutus sum in lingua mea *
notum fac mihi Domine finem meum

et numerum dierum meorum quis est *
ut sciam quid desit mihi

38:6 ecce mensurabiles posuisti dies meos *
et substantia mea tamquam nihilum ante te

verumtamen universa vanitas *
omnis homo vivens

38:7 verumtamen in imagine pertransit homo *
sed et frustra conturbatur

thesaurizat *
et ignorat cui congregabit ea

38:8 et nunc quae est expectatio mea? *
nonne Dominus et substantia mea apud te est

38:9 ab omnibus iniquitatibus meis erue me *
obprobrium insipienti dedisti me

38:10 obmutui et non aperui os meum
quoniam tu fecisti *
38:11 amove a me plagas tuas

38:12 a fortitudine manus tuae ego defeci *
in increpationibus
propter iniquitatem corripuisti hominem

et tabescere fecisti sicut araneam animam eius *
verumtamen vane conturbatur omnis homo

38:13 exaudi orationem meam Domine
et deprecationem meam *
auribus percipe lacrimas meas

ne sileas quoniam advena sum apud te *
et peregrinus sicut omnes patres mei

38:14 remitte mihi ut refrigerer priusquam abeam *
et amplius non ero.

Psalmus XL

39:2 Expectans expectavi Dominum *
et intendit mihi

39:3 et exaudivit preces meas *
et eduxit me de lacu miseriae et de luto fecis

et statuit super petram pedes meos *
et direxit gressus meos

39:4 et inmisit in os meum canticum novum *
carmen Deo nostro

videbunt multi et timebunt *
et sperabunt in Domino

39:5 beatus vir cuius est nomen Domini spes ipsius *
et non respexit in vanitates et insanias falsas

39:6 multa fecisti tu Domine Deus meus mirabilia tua *
et cogitationibus tuis
non est qui similis sit tibi

adnuntiavi et locutus sum *
multiplicati sunt super numerum

39:7 sacrificium et oblationem noluisti *
aures autem perfecisti mihi

holocaustum et pro peccato non postulasti *
39:8 tunc dixi ecce venio

in capite libri scriptum est de me
39:9 ut facerem voluntatem tuam *
Deus meus volui
et legem tuam in medio cordis mei

39:10 adnuntiavi iustitiam in ecclesia magna *
ecce labia mea non prohibebo
Domine tu scisti

39:11 iustitiam tuam non abscondi in corde meo *
veritatem tuam et salutare tuum dixi

non abscondi misericordiam tuam et veritatem tuam *
a concilio multo

39:12 tu autem Domine ne longe facias miserationes tuas a me *
misericordia tua et veritas tua semper susceperunt me

39:13 quoniam circumdederunt me mala quorum non est numerus *
conprehenderunt me iniquitates meae et non potui ut viderem

multiplicatae sunt super capillos capitis mei *
et cor meum dereliquit me

39:14 conplaceat tibi Domine ut eruas me *
Domine ad adiuvandum me respice

39:15 confundantur et revereantur simul
qui quaerunt animam meam *
ut auferant eam

convertantur retrorsum et revereantur *
qui volunt mihi mala

39:16 ferant confestim confusionem suam *
qui dicunt mihi euge euge

39:17 exultent et laetentur super te omnes quaerentes te *
et dicant semper magnificetur Dominus
qui diligunt salutare tuum

39:18 ego autem mendicus sum et pauper *
Dominus sollicitus est mei

adiutor meus et protector meus tu es *
Deus meus ne tardaveris.

Dies VIII: Ad Vesperas

Psalmus XLI

40:2 Beatus qui intellegit super egenum et pauperem *
in die mala liberabit eum Dominus

40:3 Dominus conservet eum et vivificet eum
et beatum faciat eum in terra *
et non tradat eum in animam inimicorum eius

40:4 Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius *
universum stratum eius versasti in infirmitate eius

40:5 ego dixi Domine miserere mei *
sana animam meam quoniam peccavi tibi

40:6 inimici mei dixerunt mala mihi *
quando morietur et peribit nomen eius?

40:7 et si ingrediebatur ut videret vane loquebatur *
cor eius congregavit iniquitatem sibi

egrediebatur foras *
et loquebatur 40:8 in id ipsum

adversum me susurrabant omnes inimici mei *
adversus me cogitabant mala mihi

40:9 verbum iniquum constituerunt adversus me *
numquid qui dormit non adiciet ut resurgat?

40:10 etenim homo pacis meae in quo speravi
qui edebat panes meos *
magnificavit super me subplantationem

40:11 tu autem Domine miserere mei et resuscita me *
et retribuam eis

40:12 in hoc cognovi quoniam voluisti me *
quoniam non gaudebit inimicus meus super me

40:13 me autem propter innocentiam suscepisti *
et confirmasti me in conspectu tuo in aeternum.

40:14 Benedictus Dominus Deus Israhel *
a saeculo et in saeculum. Fiat, fiat.

Liber Secundus

Psalmus XLII

41:2 Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum *
ita desiderat anima mea ad te Deus

41:3 sitivit anima mea ad Deum fortem vivum *
quando veniam et parebo ante faciem Dei

41:4 fuerunt mihi lacrimae meae panis die ac nocte *
dum dicitur mihi cotidie
ubi est Deus tuus?

41:5 haec recordatus sum et effudi in me animam meam *
quoniam transibo in loco tabernaculi admirabilis
usque ad domum Dei

in voce exultationis et confessionis *
sonus epulantis

41:6 quare tristis es anima mea? *
et quare conturbas me?

spera in Deo quoniam confitebor illi *
salutare vultus mei

41:7 Deus meus ad me ipsum anima mea conturbata est *
propterea memor ero tui de terra Iordanis
et Hermoniim a monte modico

41:8 abyssus ad abyssum invocat *

in voce cataractarum tuarum

omnia excelsa tua et fluctus tui *
super me transierunt

41:9 in die mandavit Dominus misericordiam suam *
et nocte canticum eius

apud me oratio Deo vitae meae *
41:10 dicam Deo susceptor meus es

quare oblitus es mei? *
quare contristatus incedo dum adfligit me inimicus?

41:11 dum confringuntur ossa mea exprobraverunt mihi *
qui tribulant me

dum dicunt mihi per singulos dies *
ubi est Deus tuus?

41:12 quare tristis es anima mea? *
et quare conturbas me?

spera in Deum quoniam adhuc confitebor illi *
salutare vultus mei et Deus meus.

Psalmus XLIII

42:1 Iudica me Deus
et discerne causam meam de gente non sancta *
ab homine iniquo et doloso erue me

42:2 quia tu es Deus fortitudo mea *
quare me reppulisti
quare tristis incedo dum adfligit me inimicus?

42:3 emitte lucem tuam et veritatem tuam *
ipsa me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum tuum
et in tabernacula tua

42:4 et introibo ad altare Dei *
ad Deum qui laetificat iuventutem meam

confitebor tibi in cithara Deus Deus meus *
42:5 quare tristis es anima mea
et quare conturbas me?

spera in Deum
quoniam adhuc confitebor illi *
salutare vultus mei et Deus meus

Psalmus XLIV

43:2 Deus auribus nostris audivimus *
patres nostri adnuntiaverunt nobis

opus quod operatus es in diebus eorum *
in diebus antiquis

43:3 manus tua gentes disperdit
et plantasti eos *
adflixisti populos et expulisti eos

43:4 nec enim in gladio suo possederunt terram *
et brachium eorum non salvavit eos

sed dextera tua et brachium tuum et inluminatio faciei tuae *
quoniam conplacuisti in eis

43:5 tu es ipse rex meus et Deus meus *
qui mandas salutes Iacob

43:6 in te inimicos nostros ventilabimus cornu *
et in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis

43:7 non enim in arcu meo sperabo *
et gladius meus non salvabit me

43:8 salvasti enim nos de adfligentibus nos *
et odientes nos confudisti

43:9 in Deo laudabimur tota die *
et in nomine tuo confitebimur in saeculum

43:10 nunc autem reppulisti et confudisti nos *
et non egredieris in virtutibus nostris

43:11 avertisti nos retrorsum post inimicos nostros *
et qui oderunt nos diripiebant sibi

43:12 dedisti nos tamquam oves escarum *
et in gentibus dispersisti nos

43:13 vendidisti populum tuum sine pretio *
et non fuit multitudo in commutationibus nostris

43:14 posuisti nos obprobrium vicinis nostris *
subsannationem et derisum his qui in circuitu nostro

43:15 posuisti nos in similitudinem gentibus *
commotionem capitis in populis

43:16 tota die verecundia mea contra me est *
et confusio faciei meae cooperuit me

43:17 a voce exprobrantis et obloquentis *
a facie inimici et persequentis

43:18 haec omnia venerunt super nos

nec obliti sumus te *
et inique non egimus in testamento tuo

43:19 et non recessit retrorsum cor nostrum *
et declinasti semitas nostras a via tua

43:20 quoniam humiliasti nos in loco adflictionis *
et cooperuit nos umbra mortis

43:21 si obliti sumus nomen Dei nostri *
et si expandimus manus nostras ad deum alienum

43:22 nonne Deus requiret ista? *
ipse enim novit abscondita cordis

quoniam propter te mortificamur omni die *
aestimati sumus sicut oves occisionis

43:23 exsurge quare dormis Domine? *
exsurge et ne repellas in finem

43:24 quare faciem tuam avertis *
oblivisceris inopiae nostrae et tribulationis nostrae?

43:25 quoniam humiliata est in pulvere anima nostra *
conglutinatus est in terra venter noster

43:26 exsurge adiuva nos *
et redime nos propter nomen tuum.

Psalmus XLV

44:2 Eructavit cor meum verbum bonum *
dico ego opera mea regi

lingua mea calamus scribae *
velociter scribentis

44:3 speciosus forma prae filiis hominum *
diffusa est gratia in labiis tuis
propterea benedixit te Deus in aeternum

44:4 accingere gladio tuo super femur tuum *
potentissime

44:5 specie tua et pulchritudine tua *
et intende prospere procede et regna

propter veritatem et mansuetudinem et iustitiam *
et deducet te mirabiliter dextera tua

44:6 sagittae tuae acutae *
populi sub te cadent in corde inimicorum regis

44:7 sedis tua Deus in saeculum saeculi *

virga directionis virga regni tui

44:8 dilexisti iustitiam et odisti iniquitatem *
propterea unxit te Deus Deus tuus
oleo laetitiae prae consortibus tuis

44:9 murra et gutta et cassia a vestimentis tuis
a domibus eburneis *
ex quibus delectaverunt te
44:10 filiae regum in honore tuo

adstetit regina a dextris tuis in vestitu deaurato *
circumdata varietate

44:11 audi filia et vide et inclina aurem tuam *
et obliviscere populum tuum et domum patris tui

44:12 et concupiscet rex decorem tuum *
quoniam ipse est dominus tuus et adorabunt eum

44:13 et filiae Tyri in muneribus *
vultum tuum deprecabuntur divites plebis

44:14 omnis gloria eius filiae regis
ab intus in fimbriis aureis *
44:15 circumamicta varietatibus

adducentur regi virgines post eam *
proximae eius adferentur tibi

44:16 adferentur in laetitia et exultatione *
adducentur in templum regis

44:17 pro patribus tuis nati sunt tibi filii *
constitues eos principes super omnem terram

44:18 memor ero nominis tui
in omni generatione et generatione *

propterea populi confitebuntur tibi in aeternum *
et in saeculum saeculi.

Psalmus XLVI

45:2 Deus noster refugium et virtus *
adiutor in tribulationibus
quae invenerunt nos nimis

45:3 propterea non timebimus dum turbabitur terra *
et transferentur montes in cor maris

45:4 sonaverunt et turbatae sunt aquae eorum *
conturbati sunt montes in fortitudine eius

Dominus virtutum nobiscum *
susceptor noster Deus Iacob

45:5 fluminis impetus laetificat civitatem Dei *
sanctificavit tabernaculum suum Altissimus

45:6 Deus in medio eius non commovebitur *
adiuvabit eam Deus mane diluculo

45:7 conturbatae sunt gentes inclinata sunt regna *
dedit vocem suam mota est terra

45:8 Dominus virtutum nobiscum *
susceptor noster Deus Iacob

45:9 venite et videte opera Domini *
quae posuit prodigia super terram

45:10 auferens bella usque ad finem terrae *
arcum conteret et confringet arma
et scuta conburet in igne

45:11 vacate et videte quoniam ego sum Deus *
exaltabor in gentibus
exaltabor in terra

45:12 Dominus virtutum nobiscum *
susceptor noster Deus Iacob.

Dies IX: Ad Vesperas

Psalmus XLVII

46:2 Omnes gentes plaudite manibus *
iubilate Deo in voce exultationis

46:3 quoniam Dominus excelsus terribilis
rex magnus super omnem terram

46:4 subiecit populos nobis *
et gentes sub pedibus nostris

46:5 elegit nobis hereditatem suam *
speciem Iacob quam dilexit

46:6 ascendit Deus in iubilo *
Dominus in voce tubae

46:7 psallite Deo nostro psallite *
psallite regi nostro psallite

46:8 quoniam rex omnis terrae Deus *
psallite sapienter

46:9 regnavit Deus super gentes *
Deus sedit super sedem sanctam suam

46:10 principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham *
quoniam Dei fortes terrae vehementer elevati sunt.

Psalmus XLVIII

47:2 Magnus Dominus et laudabilis nimis *
in civitate Dei nostri in monte sancto eius

47:3 fundatur exultatione universae terrae montes Sion *
latera aquilonis civitas regis magni

47:4 Deus in domibus eius cognoscitur *
cum suscipiet eam

47:5 quoniam ecce reges congregati sunt *
convenerunt in unum

47:6 ipsi videntes sic admirati sunt
conturbati sunt commoti sunt *
47:7 tremor adprehendit eos

ibi dolores ut parturientis *
47:8 in spiritu vehementi
conteres naves Tharsis

47:9 sicut audivimus sic vidimus
in civitate Domini virtutum in civitate Dei nostri *
Deus fundavit eam in aeternum

47:10 suscepimus Deus misericordiam tuam *
in medio templi tui

47:11 secundum nomen tuum Deus sic et laus tua in fines terrae *
iustitia plena est dextera tua

47:12 laetetur mons Sion
exultent filiae Iudaeae *
propter iudicia tua

47:13 circumdate Sion
et conplectimini eam *
narrate in turribus eius

47:14 ponite corda vestra in virtute eius *
et distribuite domus eius
ut enarretis in progeniem alteram

47:15 quoniam hic est Deus Deus noster in aeternum
et in saeculum saeculi *
ipse reget nos in saecula.

Psalmus XLIX

48:2 Audite haec omnes gentes *
auribus percipite omnes qui habitatis orbem

48:3 quique terriginae et filii hominum *
in unum dives et pauper

48:4 os meum loquetur sapientiam *
et meditatio cordis mei prudentiam

48:5 inclinabo in parabolam aurem meam *
aperiam in psalterio propositionem meam

48:6 cur timebo in die malo? *
iniquitas calcanei mei circumdabit me

48:7 qui confidunt in virtute sua *
et in multitudine divitiarum suarum gloriantur

48:8 frater non redimit redimet homo *
non dabit Deo placationem suam

48:9 et pretium redemptionis animae suae *
et laboravit in aeternum
48:10 et vivet adhuc in finem

48:11 non videbit interitum
cum viderit sapientes morientes *
simul insipiens et stultus peribunt

et relinquent alienis divitias suas *
48:12 et sepulchra eorum domus illorum in aeternum

tabernacula eorum in progeniem et progeniem *
vocaverunt nomina sua in terris suis

48:13 et homo cum in honore esset non intellexit *
conparatus est iumentis insipientibus
et similis factus est illis

48:14 haec via illorum scandalum ipsis *
et postea in ore suo conplacebunt

48:15 sicut oves in inferno positi sunt *
mors depascet eos

et dominabuntur eorum iusti in matutino *
et auxilium eorum veterescet in inferno a gloria eorum

48:16 verumtamen Deus redimet animam meam de manu inferi *
cum acceperit me

48:17 ne timueris cum dives factus fuerit homo *

et cum multiplicata fuerit gloria domus eius

48:18 quoniam cum interierit non sumet omnia *
neque descendet cum eo pone gloria eius

48:19 quia anima eius in vita ipsius benedicetur *
confitebitur tibi cum benefeceris ei

48:20 introibit usque in progenies patrum suorum *
usque in aeternum non videbit lumen

48:21 homo in honore cum esset non intellexit *
conparatus est iumentis insipientibus
et similis factus est illis.

Dies X: Ad Matutinas

Psalmus L

49:1 Deus deorum Dominus locutus est *
et vocavit terram

a solis ortu usque ad occasum *
49:2 ex Sion species decoris eius

49:3 Deus manifeste veniet *
Deus noster et non silebit

ignis in conspectu eius exardescet *
et in circuitu eius tempestas valida

49:4 advocabit caelum desursum *
et terram discernere populum suum

49:5 congregate illi sanctos eius *
qui ordinant testamentum eius super sacrificia

49:6 et adnuntiabunt caeli iustitiam eius *
quoniam Deus iudex est

49:7 audi populus meus et loquar tibi
Israhel et testificabor tibi *
Deus Deus tuus ego sum

49:8 non in sacrificiis tuis arguam te *
holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper

49:9 non accipiam de domo tua vitulos *
neque de gregibus tuis hircos

49:10 quoniam meae sunt omnes ferae silvarum *
iumenta in montibus et boves

49:11 cognovi omnia volatilia caeli *

et pulchritudo agri mecum est

49:12 si esuriero non dicam tibi *
meus est enim orbis terrae et plenitudo eius

49:13 numquid manducabo carnes taurorum? *
aut sanguinem hircorum potabo

49:14 immola Deo sacrificium laudis *
et redde Altissimo vota tua

49:15 et invoca me in die tribulationis *
et eruam te et honorificabis me

49:16 peccatori autem dixit Deus
quare tu enarras iustitias meas *
et adsumis testamentum meum per os tuum?

49:17 tu vero odisti disciplinam *
et proiecisti sermones meos retrorsum

49:18 si videbas furem currebas cum eo *
et cum adulteris portionem tuam ponebas

49:19 os tuum abundavit malitia *
et lingua tua concinnabat dolos

49:20 sedens adversus fratrem tuum loquebaris *
et adversus filium matris tuae ponebas scandalum
49:21 haec fecisti et tacui

existimasti inique quod ero tui similis *
arguam te et statuam contra faciem tuam

49:22 intellegite nunc haec qui obliviscimini Deum *
nequando rapiat et non sit qui eripiat

49:23 sacrificium laudis honorificabit me *
et illic iter quod ostendam illi salutare Dei.

Psalmus LI

50:3 Miserere mei Deus *
secundum magnam misericordiam tuam

et secundum multitudinem miserationum tuarum *
dele iniquitatem meam

50:4 amplius lava me ab iniquitate mea *
et a peccato meo munda me

50:5 quoniam iniquitatem meam ego cognosco *
et peccatum meum contra me est semper

50:6 tibi soli peccavi et malum coram te feci *

ut iustificeris in sermonibus tuis
et vincas cum iudicaris

50:7 ecce enim in iniquitatibus conceptus sum *
et in peccatis concepit me mater mea

50:8 ecce enim veritatem dilexisti incerta *
et occulta sapientiae tuae manifestasti mihi

50:9 asparges me hysopo et mundabor *
lavabis me et super nivem dealbabor

50:10 auditui meo dabis gaudium et laetitiam *
exultabunt ossa humiliata

50:11 averte faciem tuam a peccatis meis *
et omnes iniquitates meas dele

50:12 cor mundum crea in me Deus *
et spiritum rectum innova in visceribus meis

50:13 ne proicias me a facie tua *
et spiritum sanctum tuum ne auferas a me

50:14 redde mihi laetitiam salutaris tui *
et spiritu principali confirma me

50:15 docebo iniquos vias tuas *
et impii ad te convertentur

50:16 libera me de sanguinibus Deus
Deus salutis meae *
exultabit lingua mea iustitiam tuam

50:17 Domine labia mea aperies *
et os meum adnuntiabit laudem tuam

50:18 quoniam si voluisses sacrificium dedissem utique *
holocaustis non delectaberis

50:19 sacrificium Deo spiritus contribulatus *
cor contritum et humiliatum Deus non spernet

50:20 benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion *
et aedificentur muri Hierusalem

50:21 tunc acceptabis sacrificium iustitiae
oblationes et holocausta *
tunc inponent super altare tuum vitulos.

Psalmus LII

51:3 Quid gloriaris in malitia *
qui potens es iniquitate

51:4 tota die iniustitiam cogitavit lingua tua *
sicut novacula acuta fecisti dolum

51:5 dilexisti malitiam super benignitatem *
iniquitatem magis quam loqui aequitatem

51:6 dilexisti omnia verba praecipitationis *
linguam dolosam

51:7 propterea Deus destruet te in finem *
evellet te et emigrabit te de tabernaculo
et radicem tuam de terra viventium

51:8 videbunt iusti et timebunt
et super eum ridebunt et dicent *
51:9 ecce homo qui non posuit Deum adiutorem suum

sed speravit in multitudine divitiarum suarum *
et praevaluit in vanitate sua

51:10 ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei *
speravi in misericordia Dei in aeternum
et in saeculum saeculi

51:11 confitebor tibi in saeculum quia fecisti *
et expectabo nomen tuum
quoniam bonum in conspectu sanctorum tuorum.

Dies X: Ad Vesperas

Psalmus LIII

52:1 Dixit insipiens in corde suo *
non est Deus

52:2 corrupti sunt et abominabiles facti sunt in iniquitatibus *
non est qui faciat bonum

52:3 Deus de caelo prospexit in filios hominum *
ut videat si est intellegens
aut requirens Deum

52:4 omnes declinaverunt
simul inutiles facti sunt *
non est qui faciat bonum
non est usque ad unum

52:5 nonne scient omnes qui operantur iniquitatem *
qui devorant plebem meam ut cibum panis?

52:6 Deum non invocaverunt *
illic trepidabunt timore ubi non fuit timor

quoniam Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent *
confusi sunt quoniam Deus sprevit eos

52:7 quis dabit ex Sion salutare Israhel?
dum convertit Deus captivitatem plebis suae *
exultabit Iacob et laetabitur Israhel.

Psalmus LIV

53:3 Deus in nomine tuo salvum me fac *
et in virtute tua iudica me

53:4 Deus exaudi orationem meam *
auribus percipe verba oris mei

53:5 quoniam alieni insurrexerunt adversum me
et fortes quaesierunt animam meam *
non proposuerunt Deum ante conspectum suum

53:6 ecce enim Deus adiuvat me *
Dominus susceptor animae meae

53:7 avertet mala inimicis meis *
in veritate tua disperde illos

53:8 voluntarie sacrificabo tibi
confitebor nomini tuo Domine *
quoniam bonum

53:9 quoniam ex omni tribulatione eripuisti me *
et super inimicos meos despexit oculus meus.

Psalmus LV

54:2 Exaudi Deus orationem meam *
et ne despexeris deprecationem meam
54:3 intende mihi et exaudi me

contristatus sum in exercitatione mea *
et conturbatus sum
54:4 a voce inimici et a tribulatione peccatoris

quoniam declinaverunt in me iniquitatem *
et in ira molesti erant mihi

54:5 cor meum conturbatum est in me *
et formido mortis cecidit super me

54:6 timor et tremor venit super me *
et contexit me tenebra

54:7 et dixi quis dabit mihi pinnas sicut columbae *

et volabo et requiescam?

54:8 ecce elongavi fugiens *
et mansi in solitudine

54:9 expectabam eum qui salvum me fecit *
a pusillanimitate spiritus et a tempestate

54:10 praecipita Domine divide linguas eorum *
quoniam vidi iniquitatem et contradictionem in civitate

54:11 die et nocte circumdabit eam super muros eius
et iniquitas *
et labor in medio eius
54:12 et iniustitia

et non defecit de plateis eius *
usura et dolus

54:13 quoniam si inimicus maledixisset mihi *
sustinuissem utique

et si is qui oderat me super me magna locutus fuisset *
abscondissem me forsitan ab eo

54:14 tu vero homo unianimis *
dux meus et notus meus

54:15 qui simul mecum dulces capiebas cibos *
in domo Dei ambulavimus cum consensu

54:16 veniat mors super illos *
et descendant in infernum viventes

quoniam nequitiae in habitaculis eorum *
in medio eorum

54:17 ego autem ad Deum clamavi *
et Dominus salvabit me

54:18 vespere et mane et meridie
narrabo et adnuntiabo *
et exaudiet vocem meam

54:19 redimet in pace animam meam
ab his qui adpropinquant mihi *
quoniam inter multos erant mecum

54:20 exaudiet Deus et humiliabit illos *
qui est ante saecula

non enim est illis commutatio et non timuerunt Deum *
54:21 extendit manum suam in retribuendo

contaminaverunt testamentum eius *
54:22 divisi sunt ab ira vultus eius

et adpropinquavit cor illius

molliti sunt sermones eius super oleum *
et ipsi sunt iacula

54:23 iacta super Dominum curam tuam
et ipse te enutriet *
non dabit in aeternum fluctuationem iusto

54:24 tu vero Deus deduces eos *
in puteum interitus

viri sanguinum et doli non dimidiabunt dies suos *
ego autem sperabo in te Domine.

Psalmus LVI

55:2 Miserere mei Deus quoniam conculcavit me homo *
tota die inpugnans tribulavit me

55:3 conculcaverunt me inimici mei tota die *
quoniam multi bellantes adversum me

55:4 ab altitudine diei timebo *
ego vero in te sperabo

55:5 in Deo laudabo sermones meos
in Deo speravi *
non timebo quid faciat mihi caro

55:6 tota die verba mea execrabantur *
adversum me omnia consilia eorum in malum

55:7 inhabitabunt et abscondent *
ipsi calcaneum meum observabunt

sicut sustinuerunt animam meam
55:8 pro nihilo salvos facies illos *
in ira populos confringes Deus

55:9 vitam meam adnuntiavi tibi *
posuisti lacrimas meas in conspectu tuo

sicut et in promissione tua *
55:10 tunc convertentur inimici mei retrorsum

in quacumque die invocavero te *
ecce cognovi quoniam Deus meus es

55:11 in Deo laudabo verbum in Domino laudabo sermonem *
in Deo speravi
non timebo quid faciat mihi homo

55:12 in me sunt Deus vota tua *
quae reddam laudationes tibi

55:13 quoniam eripuisti animam meam de morte
et pedes meos de lapsu *
ut placeam coram Deo in lumine viventium.

Psalmus LVII

56:2 Miserere mei Deus miserere mei *
quoniam in te confidit anima mea

et in umbra alarum tuarum sperabo *

donec transeat iniquitas

56:3 clamabo ad Deum altissimum *
Deum qui benefecit mihi

56:4 misit de caelo et liberavit me *
dedit in obprobrium conculcantes me

misit Deus misericordiam suam et veritatem suam *
56:5 et eripuit animam meam de medio catulorum leonum
dormivi conturbatus

filii hominum dentes eorum arma et sagittae *
et lingua eorum gladius acutus

56:6 exaltare super caelos Deus *
et in omnem terram gloria tua

56:7 laqueum paraverunt pedibus meis *
et incurvaverunt animam meam

foderunt ante faciem meam foveam *
et inciderunt in eam

56:8 paratum cor meum Deus paratum cor meum *
cantabo et psalmum dicam

56:9 exsurge gloria mea
exsurge psalterium et cithara *
exsurgam diluculo

56:10 confitebor tibi in populis Domine *
psalmum dicam tibi in gentibus

56:11 quoniam magnificata est usque ad caelos misericordia tua *
et usque ad nubes veritas tua

56:12 exaltare super caelos Deus *
et super omnem terram gloria tua.

Psalmus LVIII

57:2 Si vere utique iustitiam loquimini *
recta iudicate filii hominum

57:3 etenim in corde iniquitates operamini in terra *
iniustitiam manus vestrae concinnant

57:4 alienati sunt peccatores a vulva
erraverunt ab utero *
locuti sunt falsa

57:5 furor illis secundum similitudinem serpentis *
sicut aspidis surdae et obturantis aures suas

57:6 quae non exaudiet vocem incantantium *
et venefici incantantis sapienter

57:7 Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum *
molas leonum confringet Dominus

57:8 ad nihilum devenient tamquam aqua decurrens *
intendit arcum suum donec infirmentur

57:9 sicut cera quae fluit auferentur *
supercecidit ignis et non viderunt solem

57:10 priusquam intellegerent spinae vestrae ramnum *
sicut viventes sicut in ira absorbet vos

57:11 laetabitur iustus cum viderit vindictam *
manus suas lavabit in sanguine peccatoris

57:12 et dicet homo si utique est fructus iusto *
utique est Deus iudicans eos in terra.

Dies XI: Ad Vesperas

Psalmus LIX

58:2 Eripe me de inimicis meis Deus *
et ab insurgentibus in me libera me

58:3 eripe me de operantibus iniquitatem *
et de viris sanguinum salva me

58:4 quia ecce ceperunt animam meam *
inruerunt in me fortes

58:5 neque iniquitas mea neque peccatum meum Domine *
sine iniquitate cucurri et direxi

58:6 exsurge in occursum meum et vide *
et tu Domine Deus virtutum Deus Israhel

intende ad visitandas omnes gentes *
non miserearis omnibus qui operantur iniquitatem

58:7 convertentur ad vesperam
et famem patientur ut canes *
et circuibunt civitatem

58:8 ecce loquentur in ore suo
et gladius in labiis eorum *
quoniam quis audivit?

58:9 et tu Domine deridebis eos *
ad nihilum deduces omnes gentes

58:10 fortitudinem meam ad te custodiam
quia Deus susceptor meus *
58:11 Deus meus voluntas eius praeveniet me

58:12 Deus ostendet mihi super inimicos meos
ne occidas eos *
nequando obliviscantur populi mei

disperge illos in virtute tua *
et depone eos protector meus Domine

58:13 delictum oris eorum sermonem labiorum ipsorum *
et conprehendantur in superbia sua

et de execratione et mendacio *
adnuntiabuntur
58:14 in consummatione

in ira consummationis et non erunt *
et scient quia Deus dominatur Iacob finium terrae

58:15 convertentur ad vesperam
et famem patientur ut canes *
et circuibunt civitatem

58:16 ipsi dispergentur ad manducandum *
si vero non fuerint saturati et murmurabunt

58:17 ego autem cantabo fortitudinem tuam *
et exultabo mane misericordiam tuam

quia factus es susceptor meus *
et refugium meum in die tribulationis meae

58:18 adiutor meus tibi psallam *
quia Deus susceptor meus es
Deus meus misericordia mea

Psalmus LX

59:3 Deus repulisti nos et destruxisti nos *
iratus es et misertus es nobis

59:4 commovisti terram et turbasti eam *
sana contritiones eius quia commota est

59:5 ostendisti populo tuo dura *
potasti nos vino conpunctionis

59:6 dedisti metuentibus te significationem *
ut fugiant a facie arcus

ut liberentur dilecti tui *
59:7 salvum fac dextera tua et exaudi me

59:8 Deus locutus est in sancto suo *
laetabor et partibor Sicima
et convallem tabernaculorum metibor

59:9 meus est Galaad et meus est Manasses *
et Effraim fortitudo capitis mei

Iuda rex meus *
59:10 Moab olla spei meae

in Idumeam extendam calciamentum meum *
mihi alienigenae subditi sunt

59:11 quis deducet me in civitatem munitam *
quis deducet me usque in Idumeam?

59:12 nonne tu Deus qui reppulisti nos *
et non egredieris Deus in virtutibus nostris?

59:13 da nobis auxilium de tribulatione *
et vana salus hominis

59:14 in Deo faciemus virtutem *
et ipse ad nihilum deducet tribulantes nos.

Psalmus LXI

60:2 Exaudi Deus deprecationem meam *
intende orationi meae

60:3 a finibus terrae ad te clamavi
dum anxiaretur cor meum *
in petra exaltasti me

deduxisti me
60:4 quia factus es spes mea *
turris fortitudinis a facie inimici

60:5 inhabitabo in tabernaculo tuo in saecula *
protegar in velamento alarum tuarum

60:6 quoniam tu Deus meus exaudisti orationem meam *
dedisti hereditatem timentibus nomen tuum

60:7 dies super dies regis adicies *
annos eius usque in diem generationis et generationis

60:8 permanet in aeternum in conspectu Dei *
misericordiam et veritatem quis requiret eius?

60:9 sic psalmum dicam nomini tuo in saeculum saeculi *
ut reddam vota mea de die in diem.

Psalmus LXII

61:2 Nonne Deo subiecta erit anima mea? *
ab ipso enim salutare meum

61:3 nam et ipse Deus meus et salutaris meus *
susceptor meus non movebor amplius

61:4 quousque inruitis in hominem? *
interficitis universi vos
tamquam parieti inclinato et maceriae depulsae?

61:5 verumtamen pretium meum cogitaverunt repellere *
cucurri in siti
ore suo benedicebant
et corde suo maledicebant

61:6 verumtamen Deo subiecta esto anima mea *
quoniam ab ipso patientia mea

61:7 quia ipse Deus meus et salvator meus *
adiutor meus non emigrabo

61:8 in Deo salutare meum et gloria mea *
Deus auxilii mei et spes mea in Deo est

61:9 sperate in eo omnis congregatio populi *
effundite coram illo corda vestra Deus adiutor noster in aeternum

61:10 verumtamen vani filii hominum
mendaces filii hominum in stateris *
ut decipiant ipsi de vanitate in id ipsum

61:11 nolite sperare in iniquitate
et rapinas nolite concupiscere *
divitiae si affluant nolite cor adponere

61:12 semel locutus est Deus duo haec audivi
quia potestas Dei
61:13 et tibi Domine misericordia *
quia tu reddes unicuique iuxta opera sua.

Psalmus LXIII

62:2 Deus Deus meus *
ad te de luce vigilo

sitivit in te anima mea *
quam multipliciter tibi caro mea

62:3 in terra deserta et invia et inaquosa
sic in sancto apparui tibi *
ut viderem virtutem tuam et gloriam tuam

62:4 quoniam melior est misericordia tua super vitas *
labia mea laudabunt te

62:5 sic benedicam te in vita mea *
in nomine tuo levabo manus meas

62:6 sicut adipe et pinguidine repleatur anima mea *
et labia exultationis laudabit os meum

62:7 si memor fui tui super stratum meum
in matutinis meditabar in te *
62:8 quia fuisti adiutor meus

et in velamento alarum tuarum exultabo
62:9 adhesit anima mea post te *
me suscepit dextera tua

62:10 ipsi vero in vanum quaesierunt animam meam
introibunt in inferiora terrae *
62:11 tradentur in manus gladii
partes vulpium erunt

62:12 rex vero laetabitur in Deo
laudabitur omnis qui iurat in eo *
quia obstructum est os loquentium iniqua.

Psalmus LXIV

63:2 Exaudi Deus orationem meam cum deprecor *
a timore inimici eripe animam meam

63:3 protexisti me a conventu malignantium *
a multitudine operantium iniquitatem

63:4 quia exacuerunt ut gladium linguas suas *
intenderunt arcum rem amaram
63:5 ut sagittent in occultis inmaculatum

63:6 subito sagittabunt eum et non timebunt *
firmaverunt sibi sermonem nequam

narraverunt ut absconderent laqueos *
dixerunt quis videbit eos?

63:7 scrutati sunt iniquitates *
defecerunt scrutantes scrutinio

accedet homo et cor altum *

63:8 et exaltabitur Deus

sagittae parvulorum factae sunt plagae eorum *
63:9 et infirmatae sunt contra eos linguae eorum

conturbati sunt omnes qui videbant eos *
63:10 et timuit omnis homo

et adnuntiaverunt opera Dei *
et facta eius intellexerunt

63:11 laetabitur iustus in Domino et sperabit in eo *
et laudabuntur omnes recti corde.

Dies XII: Ad Vesperas

Psalmus LXV

64:2 Te decet hymnus Deus in Sion *
et tibi reddetur votum in Hierusalem

64:3 exaudi orationem meam*
ad te omnis caro veniet

64:4 verba iniquorum praevaluerunt super nos *
et impietatibus nostris tu propitiaberis

64:5 beatus quem elegisti et adsumpsisti *
inhabitabit in atriis tuis

replebimur in bonis domus tuae *
sanctum est templum tuum
64:6 mirabile in aequitate

exaudi nos Deus salutaris noster *
spes omnium finium terrae et in mari longe

64:7 praeparans montes in virtute tua *
accinctus potentia *
64:8 qui conturbas profundum maris
sonum fluctuum eius

turbabuntur gentes
64:9 et timebunt qui inhabitant terminos a signis tuis *
exitus matutini et vespere delectabis

64:10 visitasti terram et inebriasti eam *
multiplicasti locupletare eam

flumen Dei repletum est aquis *
parasti cibum illorum
quoniam ita est praeparatio eius

64:11 rivos eius inebria

multiplica genimina eius *
in stillicidiis eius laetabitur germinans

64:12 benedices coronae anni benignitatis tuae *
et campi tui replebuntur ubertate

64:13 pinguescent speciosa deserti *
et exultatione colles accingentur

64:14 induti sunt arietes ovium
et valles abundabunt frumento *
clamabunt etenim hymnum dicent.

Psalmus LXVI

Iubilate Deo omnis terra
65:2 psalmum dicite nomini eius *
date gloriam laudi eius

65:3 dicite Deo quam terribilia sunt
opera tua Domine *
in multitudine virtutis tuae
mentientur tibi inimici tui

65:4 omnis terra adorent te
et psallant tibi *
psalmum dicant nomini tuo

65:5 venite et videte opera Dei *
terribilis in consiliis super filios hominum

65:6 qui convertit mare in aridam
in flumine pertransibunt pede *
ibi laetabimur in ipso

65:7 qui dominatur in virtute sua in aeternum
oculi eius super gentes respiciunt *
qui exasperant non exaltentur in semet ipsis

65:8 benedicite gentes Deum nostrum *
et auditam facite vocem laudis eius

65:9 qui posuit animam meam ad vitam *
et non dedit in commotionem pedes meos

65:10 quoniam probasti nos Deus *
igne nos examinasti sicut examinatur argentum

65:11 induxisti nos in laqueum
posuisti tribulationes in dorso nostro *
65:12 inposuisti homines super capita nostra

transivimus per ignem et aquam *

et eduxisti nos in refrigerium

65:13 introibo in domum tuam
in holocaustis *
reddam tibi vota mea
65:14 quae distinxerunt labia mea

et locutum est os meum *
in tribulatione mea

65:15 holocausta medullata offeram tibi
cum incensu arietum *
offeram tibi boves cum hircis

65:16 venite audite et narrabo
omnes qui timetis Deum *
quanta fecit animae meae

65:17 ad ipsum ore meo clamavi *
et exaltavi sub lingua mea

65:18 iniquitatem si aspexi in corde meo *
non exaudiat Dominus

65:19 propterea exaudivit Deus *
adtendit voci deprecationis meae

65:20 benedictus Deus qui non amovit orationem meam *
et misericordiam suam a me.

Psalmus LXVII

66:2 Deus misereatur nostri et benedicat nobis *
inluminet vultum suum super nos et misereatur nostri

66:3 ut cognoscamus in terra viam tuam *
in omnibus gentibus salutare tuum

66:4 confiteantur tibi populi Deus *
confiteantur tibi populi omnes

66:5 laetentur et exultent gentes *
quoniam iudicas populos in aequitate
et gentes in terra diriges

66:6 confiteantur tibi populi Deus
confiteantur tibi populi omnes *
66:7 terra dedit fructum suum

benedicat nos Deus Deus noster
66:8 benedicat nos Deus *
et metuant eum omnes fines terrae.

Psalmus LXVIII

67:2 Exsurgat Deus et dissipentur inimici eius *
et fugiant qui oderunt eum a facie eius

67:3 sicut deficit fumus deficiant *
sicut fluit cera a facie ignis sic pereant peccatores a facie Dei

67:4 et iusti epulentur exultent in conspectu Dei *
delectentur in laetitia

67:5 cantate Deo psalmum dicite nomini eius *
iter facite ei qui ascendit super occasum
Dominus nomen illi

et exultate in conspectu eius *
turbabuntur a facie eius
67:6 patris orfanorum et iudicis viduarum

Deus in loco sancto suo *
67:7 Deus inhabitare facit unius moris in domo

qui educit vinctos in fortitudine *
similiter eos qui exasperant qui habitant in sepulchris

67:8 Deus cum egredereris in conspectu populi tui *
cum pertransieris in deserto

67:9 terra mota est etenim caeli distillaverunt
a facie Dei Sinai *
a facie Dei Israhel

67:10 pluviam voluntariam segregabis Deus hereditati tuae
et infirmata est *
tu vero perfecisti eam

67:11 animalia tua habitant in ea *
parasti in dulcedine tua pauperi Deus

67:12 Dominus dabit verbum evangelizantibus *
virtute multa

67:13 rex virtutum dilecti dilecti *
et speciei domus dividere spolia

67:14 si dormiatis inter medios cleros
pinnae columbae deargentatae *
et posteriora dorsi eius in pallore auri

67:15 dum discernit Caelestis reges super eam
nive dealbabuntur in Selmon *
67:16 mons Dei mons pinguis

mons coagulatus mons pinguis *
67:17 ut quid suspicamini montes coagulatos?

mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo *
etenim Dominus habitabit in finem

67:18 currus Dei decem milibus
multiplex milia laetantium *
Dominus in eis in Sina in sancto

67:19 ascendisti in altum cepisti captivitatem *
accepisti dona in hominibus

etenim non credentes *
inhabitare Dominum Deus

67:20 benedictus Dominus die cotidie *
prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum

67:21 Deus noster Deus salvos faciendi *
et Domini Domini exitus mortis

67:22 verumtamen Deus confringet capita inimicorum suorum *
verticem capilli perambulantium in delictis suis

67:23 dixit Dominus *
ex Basan convertam
convertam in profundis maris

67:24 ut intinguatur pes tuus in sanguine *
lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso

67:25 viderunt ingressus tui Deus *
ingressus Dei mei regis mei qui est in sancto

67:26 praevenerunt principes coniuncti psallentibus *
in medio iuvencularum tympanistriarum

67:27 in ecclesiis benedicite Deum *
Dominum de fontibus Israhel

67:28 ibi Beniamin adulescentulus *
in mentis excessu

principes Iuda duces eorum *
principes Zabulon principes Nepthali

67:29 manda Deus virtutem tuam *
confirma Deus hoc quod operatus es nobis

67:30 a templo tuo in Hierusalem *
tibi adferent reges munera

67:31 increpa feras harundinis
congregatio taurorum in vaccis populorum *
ut excludant eos qui probati sunt argento

dissipa gentes quae bella volunt
67:32 venient legati ex Aegypto *
Aethiopia praeveniet manus eius Deo

67:33 regna terrae cantate Deo *
psallite Domino

psallite Deo
67:34 qui ascendit super caelum caeli *
ad orientem

ecce dabit voci suae vocem virtutis
67:35 date gloriam Deo super Israhel *
magnificentia eius et virtus eius in nubibus

67:36 mirabilis Deus in sanctis suis *
Deus Israhel ipse dabit virtutem
et fortitudinem plebi suae
benedictus Deus!

Dies XIII: Ad Vesperas

Psalmus LXIX

68:2 Salvum me fac Deus *
quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam

68:3 infixus sum in limum profundi *
et non est substantia

veni in altitudines maris *
et tempestas demersit me

68:4 laboravi clamans raucae factae sunt fauces meae *
defecerunt oculi mei
dum spero in Deum meum

68:5 multiplicati sunt super capillos capitis mei *
qui oderunt me gratis

confortati sunt qui persecuti sunt me inimici mei iniuste *
quae non rapui tunc exsolvebam

68:6 Deus tu scis insipientiam meam *
et delicta mea a te non sunt abscondita

68:7 non erubescant in me qui expectant te Domine *
Domine virtutum

non confundantur super me *
qui quaerunt te Deus Israhel

68:8 quoniam propter te sustinui obprobrium *
operuit confusio faciem meam

68:9 extraneus factus sum fratribus meis *
et peregrinus filiis matris meae

68:10 quoniam zelus domus tuae comedit me *
et obprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me

68:11 et operui in ieiunio animam meam *
et factum est in obprobrium mihi

68:12 et posui vestimentum meum cilicium *
et factus sum illis in parabolam

68:13 adversum me exercebantur qui sedebant in porta *
et in me psallebant qui bibebant vinum

68:14 ego vero orationem meam ad te Domine *
tempus beneplaciti Deus

in multitudine misericordiae tuae exaudi me *
in veritate salutis tuae

68:15 eripe me de luto ut non infigar *
liberer ab his qui oderunt me
et de profundis aquarum

68:16 non me demergat tempestas aquae *
neque absorbeat me profundum
neque urgeat super me puteus os suum

68:17 exaudi me Domine quoniam benigna est misericordia tua *
secundum multitudinem miserationum tuarum respice me

68:18 et ne avertas faciem tuam a puero tuo *
quoniam tribulor velociter exaudi me

68:19 intende animae meae et libera eam *
propter inimicos meos eripe me

68:20 tu scis inproperium meum et confusionem *
et reverentiam meam

68:21 in conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me *
inproperium expectavit cor meum et miseriam

et sustinui qui simul contristaretur et non fuit *
et qui consolaretur et non inveni

68:22 et dederunt in escam meam fel *
et in siti mea potaverunt me aceto

68:23 fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum *
et in retributiones et in scandalum

68:24 obscurentur oculi eorum ne videant *
et dorsum eorum semper incurva

68:25 effunde super eos iram tuam *
et furor irae tuae conprehendat eos

68:26 fiat habitatio eorum deserta *
et in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet

68:27 quoniam quem tu percussisti persecuti sunt *
et super dolorem vulnerum meorum addiderunt

68:28 adpone iniquitatem super iniquitatem eorum *
et non intrent in iustitia tua

68:29 deleantur de libro viventium *
et cum iustis non scribantur

68:30 ego sum pauper et dolens *
salus tua Deus suscepit me

68:31 laudabo nomen Dei cum cantico *
magnificabo eum in laude

68:32 et placebit Deo super vitulum novellum *
cornua producentem et ungulas

68:33 videant pauperes et laetentur *
quaerite Deum et vivet anima vestra

68:34 quoniam exaudivit pauperes Dominus *
et vinctos suos non despexit

68:35 laudent illum caeli et terra *
mare et omnia reptilia in eis

68:36 quoniam Deus salvam faciet Sion *
et aedificabuntur civitates Iudaeae

et inhabitabunt ibi *
et hereditate adquirent eam

68:37 et semen servorum eius possidebunt eam *
et qui diligunt nomen eius habitabunt in ea.

Psalmus LXX

69:2 Deus in adiutorium meum intende *

Domine ad adiuvandum me festina

69:3 confundantur et revereantur *
qui quaerunt animam meam

69:4 avertantur retrorsum et erubescant *
qui volunt mihi mala

avertantur statim erubescentes *
qui dicunt mihi euge euge

69:5 exultent et laetentur in te omnes qui quaerunt te *
et dicant semper magnificetur Deus
qui diligunt salutare tuum

69:6 ego vero egenus et pauper *
Deus adiuva me

adiutor meus et liberator meus es tu *
Domine ne moreris.

Dies XIV: Ad Matutinas

Psalmus LXXI

70:1 In te Domine speravi
non confundar in aeternum *
70:2 In iustitia tua libera me et eripe me

inclina ad me aurem tuam *
et salva me

70:3 esto mihi in Deum protectorem et in locum munitum *
ut salvum me facias

quoniam firmamentum meum *
et refugium meum es tu

70:4 Deus meus eripe me de manu peccatoris *
de manu contra legem agentis et iniqui

70:5 quoniam tu es patientia mea Domine *
Domine spes mea a iuventute mea

70:6 in te confirmatus sum ex utero *
de ventre matris meae tu es protector meus

in te cantatio mea semper
70:7 tamquam prodigium factus sum multis *
et tu adiutor fortis

70:8 repleatur os meum laude
ut cantem gloriam tuam *
tota die magnitudinem tuam

70:9 non proicias me in tempore senectutis *
cum deficiet virtus mea ne derelinquas me

70:10 quia dixerunt inimici mei mihi *
et qui custodiebant animam meam consilium fecerunt in unum

70:11 dicentes Deus dereliquit eum
persequimini et conprehendite eum *
quia non est qui eripiat

70:12 Deus ne elongeris a me *
Deus meus in adiutorium meum respice

70:13 confundantur et deficiant detrahentes animae meae *
operiantur confusione et pudore qui quaerunt mala mihi

70:14 ego autem semper sperabo *
et adiciam super omnem laudem tuam

70:15 os meum adnuntiabit iustitiam tuam *
tota die salutem tuam

quoniam non cognovi litteraturam
70:16 introibo in potentiam Domini *
Domine memorabor iustitiae tuae solius

70:17 Deus docuisti me ex iuventute mea *
et usque nunc pronuntiabo mirabilia tua

70:18 et usque in senectam et senium *
Deus ne derelinquas me

donec adnuntiem brachium tuum *
generationi omni quae ventura est

potentiam tuam
70:19 et iustitiam tuam Deus usque in altissima
quae fecisti magnalia *
Deus quis similis tibi?

70:20 quantas ostendisti mihi tribulationes multas et malas
et conversus vivificasti me *
et de abyssis terrae iterum reduxisti me

70:21 multiplicasti magnificentiam tuam *
et conversus consolatus es me

70:22 nam et ego confitebor tibi in vasis psalmi *
veritatem tuam Deus
psallam tibi in cithara Sanctus Israhel

70:23 exultabunt labia mea cum cantavero tibi *
et anima mea quam redemisti

70:24 sed et lingua mea tota die meditabitur iustitiam tuam *
cum confusi et reveriti fuerint qui quaerunt mala mihi.

Psalmus LXXII

71:2 Deus iudicium tuum regi da *
et iustitiam tuam filio regis

iudicare populum tuum in iustitia *
et pauperes tuos in iudicio

71:3 suscipiant montes pacem populo *
et colles iustitiam

71:4 iudicabit pauperes populi
et salvos faciet filios pauperum *
et humiliabit calumniatorem

71:5 et permanebit cum sole et ante lunam *
generationes generationum

71:6 descendet sicut pluvia in vellus *
et sicut stillicidia stillantia super terram

71:7 orietur in diebus eius iustitia et abundantia pacis *
donec auferatur luna

71:8 et dominabitur a mari usque ad mare *
et a flumine usque ad terminos orbis terrarum

71:9 coram illo procident Aethiopes *
et inimici eius terram lingent

71:10 reges Tharsis et insulae munera offerent *
reges Arabum et Saba dona adducent

71:11 et adorabunt eum omnes reges *
omnes gentes servient ei

71:12 quia liberavit pauperem a potente *
et pauperem cui non erat adiutor

71:13 parcet pauperi et inopi *
et animas pauperum salvas faciet

71:14 ex usuris et iniquitate redimet animas eorum *
et honorabile nomen eorum coram illo

71:15 et vivet et dabitur ei de auro Arabiae *
et orabunt de ipso semper
tota die benedicent ei

71:16 erit firmamentum in terra in summis montium
superextolletur super Libanum fructus eius *

et florebunt de civitate sicut faenum terrae

71:17 sit nomen eius benedictum in saecula *
ante solem permanet nomen eius

et benedicentur in ipso omnes tribus terrae *
omnes gentes beatificabunt eum

71:18 Benedictus Dominus Deus Deus Israhel *
qui facit mirabilia solus

71:19 et benedictum nomen maiestatis eius in aeternum *
et replebitur maiestate eius omnis terra. Fiat, fiat.

Liber Tertius

Dies XIV: Ad Vesperas

Psalmus LXXIII

72:1 Quam bonus Israhel Deus *
his qui recto sunt corde

72:2 mei autem paene moti sunt pedes *
paene effusi sunt gressus mei

72:3 quia zelavi super iniquis *
pacem peccatorum videns

72:4 quia non est respectus morti eorum *
et firmamentum in plaga eorum

72:5 in labore hominum non sunt *
et cum hominibus non flagellabuntur

72:6 ideo tenuit eos superbia *
operti sunt iniquitate et impietate sua

72:7 prodiet quasi ex adipe iniquitas eorum *
transierunt in affectum cordis

72:8 cogitaverunt et locuti sunt in nequitia *
iniquitatem in excelso locuti sunt

72:9 posuerunt in caelum os suum *
et lingua eorum transivit in terra

72:10 ideo convertetur populus meus hic *
et dies pleni invenientur in eis

72:11 et dixerunt quomodo scit Deus *
et si est scientia in Excelso?

72:12 ecce ipsi peccatores et abundantes in saeculo *
obtinuerunt divitias

72:13 et dixi ergo sine causa iustificavi cor meum *
et lavi inter innocentes manus meas

72:14 et fui flagellatus tota die *
et castigatio mea in matutino

72:15 si dicebam narrabo sic *
ecce nationem filiorum tuorum reprobavi

72:16 et existimabam cognoscere *
hoc labor est ante me

72:17 donec intrem in sanctuarium Dei *
intellegam in novissimis eorum

72:18 verumtamen propter dolos posuisti eis *
deiecisti eos dum adlevarentur

72:19 quomodo facti sunt in desolationem
subito defecerunt *
perierunt propter iniquitatem suam

72:20 velut somnium surgentium Domine *
in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges

72:21 quia inflammatum est cor meum
et renes mei commutati sunt *
72:22 et ego ad nihilum redactus sum et nescivi

72:23 ut iumentum factus sum apud te *
et ego semper tecum

72:24 tenuisti manum dexteram meam
et in voluntate tua deduxisti me *
et cum gloria suscepisti me

72:25 quid enim mihi est in caelo? *
et a te quid volui super terram?

72:26 defecit caro mea et cor meum *
Deus cordis mei et pars mea Deus in aeternum

72:27 quia ecce qui elongant se a te peribunt *
perdidisti omnem qui fornicatur abs te

72:28 mihi autem adherere Deo bonum est *
ponere in Domino Deo spem meam

ut adnuntiem omnes praedicationes tuas *
in portis filiae Sion.

Psalmus LXXIV

73:1 Ut quid Deus repulisti in finem *
iratus est furor tuus super oves pascuae tuae?

73:2 memor esto congregationis tuae *
quam possedisti ab initio

redemisti virgam hereditatis tuae *
mons Sion in quo habitasti in eo

73:3 leva manus tuas in superbias eorum in finem *
quanta malignatus est inimicus in sancto

73:4 et gloriati sunt qui oderunt te *
in medio sollemnitatis tuae

posuerunt signa sua signa *
73:5 et non cognoverunt
sicut in exitu super summum

quasi in silva lignorum securibus
73:6 exciderunt ianuas eius in id ipsum *
in securi et ascia deiecerunt eam

73:7 incenderunt igni sanctuarium tuum in terra *
polluerunt tabernaculum nominis tui

73:8 dixerunt in corde suo cognatio eorum simul *
quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra

73:9 signa nostra non vidimus
iam non est propheta *
et nos non cognoscet amplius

73:10 usquequo Deus inproperabit inimicus *
inritat adversarius nomen tuum in finem

73:11 ut quid avertis manum tuam *
et dexteram tuam de medio sinu tuo in finem

73:12 Deus autem rex noster ante saeculum *
operatus est salutes in medio terrae

73:13 tu confirmasti in virtute tua mare *
contribulasti capita draconum in aquis

73:14 tu confregisti capita draconis *
dedisti eum escam populis Aethiopum

73:15 tu disrupisti fontem et torrentes *
tu siccasti fluvios Aetham

73:16 tuus est dies et tua est nox *
tu fabricatus es auroram et solem

73:17 tu fecisti omnes terminos terrae *

aestatem et ver tu plasmasti ea

73:18 memor esto huius inimicus inproperavit Dominum *
et populus insipiens incitavit nomen tuum

73:19 ne tradas bestiis animam confitentem tibi *
animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem

73:20 respice in testamentum tuum *
quia repleti sunt qui obscurati sunt terrae domibus iniquitatum

73:21 ne avertatur humilis factus confusus *
pauper et inops laudabunt nomen tuum

73:22 exsurge Deus iudica causam tuam *
memor esto inproperiorum tuorum eorum qui ab insipiente sunt tota die

73:23 ne obliviscaris voces inimicorum tuorum *
superbia eorum qui te oderunt ascendit semper.

Dies XV: Ad Matutinas

Psalmus LXXV

74:2 Confitebimur tibi Deus confitebimur *
et invocabimus nomen tuum

narrabimus mirabilia tua *
74:3 cum accepero tempus
ego iustitias iudicabo

74:4 liquefacta est terra et omnes qui habitant in ea *
ego confirmavi columnas eius

74:5 dixi iniquis nolite inique facere *
et delinquentibus nolite exaltare cornu

74:6 nolite extollere in altum cornu vestrum *
nolite loqui adversus Deum iniquitatem

74:7 quia neque ab oriente neque ab occidente
neque a desertis montibus *
74:8 quoniam Deus iudex est

hunc humiliat et hunc exaltat *
74:9 quia calix in manu Domini
vini meri plenus mixto

et inclinavit ex hoc in hoc
verum fex eius non est exinanita *
bibent omnes peccatores terrae

74:10 ego autem adnuntiabo in saeculum *
cantabo Deo Iacob

74:11 et omnia cornua peccatorum confringam *
et exaltabuntur cornua iusti.

Psalmus LXXVI

75:2 Notus in Iudaea Deus *
in Israhel magnum nomen eius

75:3 et factus est in pace locus eius *
et habitatio eius in Sion

75:4 ibi confregit potentias *
arcuum scutum et gladium et bellum

75:5 inluminas tu mirabiliter de montibus aeternis *
75:6 turbati sunt omnes insipientes corde

dormierunt somnum suum *
et nihil invenerunt omnes viri divitiarum manibus suis

75:7 ab increpatione tua Deus Iacob *
dormitaverunt qui ascenderunt equos

75:8 tu terribilis es et quis resistet tibi? *
ex tunc ira tua

75:9 de caelo auditum fecisti iudicium *
terra timuit et quievit

75:10 cum exsurgeret in iudicium Deus *
ut salvos faceret omnes mansuetos terrae

75:11 quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi *
et reliquiae cogitationis diem festum agent tibi

75:12 vovete et reddite Domino Deo vestro *
omnes qui in circuitu eius adferent munera terribili

75:13 et ei qui aufert spiritus principum *
terribili apud reges terrae

Psalmus LXXVII

76:2 Voce mea ad Dominum clamavi *
voce mea ad Deum et intendit me

76:3 in die tribulationis meae Deum exquisivi
manibus meis nocte contra eum *
et non sum deceptus

rennuit consolari anima mea *
76:4 memor fui Dei et delectatus sum

exercitatus sum et defecit spiritus meus

76:5 anticipaverunt vigilias oculi mei *
turbatus sum et non sum locutus

76:6 cogitavi dies antiquos *
et annos aeternos in mente habui

76:7 et meditatus sum nocte cum corde meo *
exercitabar et scobebam spiritum meum

76:8 numquid in aeternum proiciet Deus *
et non adponet ut conplacitior sit adhuc?

76:9 aut in finem misericordiam suam abscidet *
a generatione in generationem?

76:10 aut obliviscetur misereri Deus? *
aut continebit in ira sua misericordias suas?

76:11 et dixi nunc coepi *
haec mutatio dexterae Excelsi

76:12 memor fui operum Domini *
quia memor ero ab initio mirabilium tuorum

76:13 et meditabor in omnibus operibus tuis *
et in adinventionibus tuis exercebor

76:14 Deus in sancto via tua *
quis deus magnus sicut Deus noster?
76:15 tu es Deus qui facis mirabilia

notam fecisti in populis virtutem tuam *
76:16 redemisti in brachio tuo populum tuum
filios Iacob et Ioseph

76:17 viderunt te aquae Deus
viderunt te aquae et timuerunt *
et turbatae sunt abyssi

76:18 multitudo sonitus aquarum *
vocem dederunt nubes

etenim sagittae tuae transeunt *
76:19 vox tonitrui tui in rota

inluxerunt coruscationes tuae orbi terrae *
commota est et contremuit terra

76:20 in mari via tua
et semitae tuae in aquis multis *
et vestigia tua non cognoscentur

76:21 deduxisti sicut oves populum tuum *
in manu Mosi et Aaron.

Dies XV: Ad Vesperas

Psalmus LXXVIII

Pars I

77:1 Adtendite populus meus legem meam *
inclinate aurem vestram in verba oris mei

77:2 aperiam in parabola os meum *
eloquar propositiones ab initio

77:3 quanta audivimus et cognovimus ea *
et patres nostri narraverunt nobis

77:4 non sunt occultata a filiis eorum *
in generationem alteram

narrantes laudes Domini et virtutes eius *
et mirabilia eius quae fecit

77:5 et suscitavit testimonium in Iacob *
et legem posuit in Israhel

quanta mandavit patribus nostris *
nota facere ea filiis suis
77:6 ut cognoscat generatio altera

filii qui nascentur et exsurgent *
et narrabunt filiis suis

77:7 ut ponant in Deo spem suam *
et non obliviscantur opera Dei
et mandata eius exquirant

77:8 ne fiant sicut patres eorum *
generatio prava et exasperans

generatio quae non direxit cor suum *
et non est creditus cum Deo spiritus eius

77:9 filii Effrem intendentes et mittentes arcus *
conversi sunt in die belli

77:10 non custodierunt testamentum Dei *
et in lege eius noluerunt ambulare

77:11 et obliti sunt benefactorum eius *
et mirabilium eius quae ostendit eis

77:12 coram patribus eorum quae fecit mirabilia

in terra Aegypti *
in campo Taneos

77:13 interrupit mare et perduxit eos *
statuit aquas quasi utrem

77:14 et deduxit eos in nube diei *
et tota nocte in inluminatione ignis

77:15 interrupit petram in heremo *
et adaquavit eos velut in abysso multa

77:16 et eduxit aquam de petra *
et deduxit tamquam flumina aquas

77:17 et adposuerunt adhuc peccare ei *
in ira excitaverunt Excelsum in inaquoso

77:18 et temptaverunt Deum in cordibus suis *
ut peterent escas animabus suis

77:19 et male locuti sunt de Deo *
dixerunt numquid poterit Deus parare mensam in deserto?

77:20 quoniam percussit petram et fluxerunt aquae *
et torrentes inundaverunt

numquid et panem potest dare *
aut parare mensam populo suo?

77:21 ideo audivit Dominus et distulit *
et ignis accensus est in Iacob
et ira ascendit in Israhel

77:22 quia non crediderunt in Deo *
nec speraverunt in salutare eius

77:23 et mandavit nubibus desuper *
et ianuas caeli aperuit

77:24 et pluit illis manna ad manducandum *
et panem caeli dedit eis

77:25 panem angelorum manducavit homo *
cibaria misit eis in abundantiam

77:26 transtulit austrum de caelo *
et induxit in virtute sua africum

77:27 et pluit super eos sicut pulverem carnes *
et sicut harenam maris volatilia pinnata

77:28 et ceciderunt in medio castrorum eorum *
circa tabernacula eorum

77:29 et manducaverunt et saturati sunt nimis
et desiderium eorum adtulit eis *
77:30 non sunt fraudati a desiderio suo

adhuc escae eorum erant in ore ipsorum *
77:31 et ira Dei ascendit in eos

et occidit pingues eorum *
et electos Israhel inpedivit

77:32 in omnibus his peccaverunt adhuc *
et non crediderunt mirabilibus eius

77:33 et defecerunt in vanitate dies eorum *
et anni eorum cum festinatione

77:34 cum occideret eos quaerebant eum *
et revertebantur et diluculo veniebant ad Deum

77:35 et rememorati sunt quia Deus adiutor est eorum *
et Deus excelsus redemptor eorum est

77:36 et dilexerunt eum in ore suo *
et lingua sua mentiti sunt ei

77:37 cor autem ipsorum non erat rectum cum eo *
nec fideles habiti sunt in testamento eius

77:38 ipse autem est misericors
et propitius fiet peccatis eorum *
et non perdet eos

et abundabit ut avertat iram suam *
et non accendet omnem iram suam

77:39 et recordatus est quia caro sunt *
spiritus vadens et non rediens.

Psalmus LXXVIII: Pars II

77:40 Quotiens exacerbaverunt eum in deserto *
in ira concitaverunt eum in inaquoso?

77:41 et conversi sunt et temptaverunt Deum *
et Sanctum Israhel exacerbaverunt

77:42 non sunt recordati manus eius *
die qua redemit eos de manu tribulantis

77:43 sicut posuit in Aegypto signa sua *
et prodigia sua in campo Taneos

77:44 et convertit in sanguine flumina eorum *

et imbres eorum ne biberent

77:45 misit in eos cynomiam et comedit eos *
et ranam et disperdit eos

77:46 et dedit erugini fructus eorum *
et labores eorum lucustae

77:47 et occidit in grandine vineam eorum *
et moros eorum in pruina

77:48 et tradidit grandini iumenta eorum *
et possessionem eorum igni

77:49 misit in eos iram indignationis suae *
indignationem et iram et tribulationem
inmissionem per angelos malos

77:50 viam fecit semitae irae suae
non pepercit a morte animarum eorum *
et iumenta eorum in morte conclusit

77:51 et percussit omne primitivum in terra Aegypti *
primitias laborum eorum in tabernaculis Cham

77:52 et abstulit sicut oves populum suum *
et perduxit eos tamquam gregem in deserto

77:53 et deduxit eos in spe et non timuerunt *
et inimicos eorum operuit mare

77:54 et induxit eos in montem sanctificationis suae *
montem quem adquisivit dextera eius

et eiecit a facie eorum gentes *
et sorte divisit eis terram in funiculo distributionis

77:55 et habitare fecit in tabernaculis eorum *
tribus Israhel

77:56 et temptaverunt et exacerbaverunt Deum excelsum *
et testimonia eius non custodierunt

77:57 et averterunt se et non servaverunt pactum *
quemadmodum patres eorum
conversi sunt in arcum pravum

77:58 et in ira concitaverunt eum in collibus suis *
et in sculptilibus suis ad aemulationem eum provocaverunt

77:59 audivit Deus et sprevit *
et ad nihilum redegit valde Israhel

77:60 et reppulit tabernaculum Selo *
tabernaculum suum ubi habitavit in hominibus

77:61 et tradidit in captivitatem virtutem eorum *
et pulchritudinem eorum in manus inimici

77:62 et conclusit in gladio populum suum *
et hereditatem suam sprevit

77:63 iuvenes eorum comedit ignis *
et virgines eorum non sunt lamentatae

77:64 sacerdotes eorum in gladio ceciderunt *
et viduae eorum non plorabuntur

77:65 et excitatus est tamquam dormiens Dominus *
tamquam potens crapulatus a vino

77:66 et percussit inimicos suos in posteriora *
obprobrium sempiternum dedit illis

77:67 et reppulit tabernaculum Ioseph *
et tribum Effrem non elegit

77:68 et elegit tribum Iuda *
montem Sion quem dilexit

77:69 et aedificavit sicut unicornium sanctificium suum *
in terra quam fundavit in saecula

77:70 et elegit David servum suum
et sustulit eum de gregibus ovium *
de post fetantes accepit eum

77:71 pascere Iacob servum suum *
et Israhel hereditatem suam

77:72 et pavit eos in innocentia cordis sui *
et in intellectibus manuum suarum deduxit eos.

Dies XVI: Ad Matutinas

Psalmus LXXIX

78:1 Deus venerunt gentes in hereditatem tuam *
polluerunt templum sanctum tuum
posuerunt Hierusalem in pomorum custodiam

78:2 posuerunt morticina servorum tuorum escas volatilibus caeli *
carnes sanctorum tuorum bestiis terrae

78:3 effuderunt sanguinem ipsorum
tamquam aquam in circuitu Hierusalem *
et non erat qui sepeliret

78:4 facti sumus obprobrium vicinis nostris *
subsannatio et inlusio his qui circum nos sunt

78:5 usquequo Domine irasceris in finem? *
accendetur velut ignis zelus tuus?

78:6 effunde iram tuam in gentes quae te non noverunt *
et in regna quae nomen tuum non invocaverunt

78:7 quia comederunt Iacob *
et locum eius desolaverunt

78:8 ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum *
cito anticipent nos misericordiae tuae
quia pauperes facti sumus nimis

78:9 adiuva nos Deus salutaris noster
propter gloriam nominis tui Domine libera nos *
et propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum

78:10 ne forte dicant in gentibus ubi est Deus eorum? *
et innotescat in nationibus coram oculis nostris

ultio sanguinis servorum tuorum qui effusus est *
78:11 introeat in conspectu tuo gemitus conpeditorum

secundum magnitudinem brachii tui *
posside filios mortificatorum

78:12 et redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum *
inproperium ipsorum quod exprobraverunt tibi Domine

78:13 nos autem populus tuus et oves pascuae tuae *
confitebimur tibi in saeculum

in generationem et generationem *
adnuntiabimus laudem tuam.

Psalmus LXXX

79:2 Qui regis Israhel intende *
qui deducis tamquam oves Ioseph

qui sedes super cherubin *
manifestare 79:3 coram Effraim et Beniamin et Manasse

excita potentiam tuam et veni *
ut salvos facias nos

79:4 Deus converte nos *
et ostende faciem tuam et salvi erimus

79:5 Domine Deus virtutum *

quousque irasceris super orationem servi tui?

79:6 cibabis nos pane lacrimarum *
et potum dabis nobis in lacrimis in mensura?

79:7 posuisti nos in contradictionem vicinis nostris *
et inimici nostri subsannaverunt nos

79:8 Deus virtutum converte nos *
et ostende faciem tuam et salvi erimus

79:9 vineam de Aegypto transtulisti *
eiecisti gentes et plantasti eam

79:10 dux itineris fuisti in conspectu eius *
et plantasti radices eius et implevit terram

79:11 operuit montes umbra eius *
et arbusta eius cedros Dei

79:12 extendit palmites suos usque ad mare *
et usque ad Flumen propagines eius

79:13 ut quid destruxisti maceriam eius *
et vindemiant eam omnes qui praetergrediuntur viam?

79:14 exterminavit eam aper de silva *
et singularis ferus depastus est eam

79:15 Deus virtutum convertere *
respice de caelo et vide et visita vineam istam

79:16 et perfice eam quam plantavit dextera tua *
et super filium quem confirmasti tibi

79:17 incensa igni et suffossa *
ab increpatione vultus tui peribunt

79:18 fiat manus tua super virum dexterae tuae *
et super filium hominis quem confirmasti tibi

79:19 et non discedimus a te vivificabis nos *
et nomen tuum invocabimus

79:20 Domine Deus virtutum converte nos *
et ostende faciem tuam et salvi erimus.

Psalmus LXXXI

80:2 Exultate Deo adiutori nostro *
iubilate Deo Iacob

80:3 sumite psalmum et date tympanum *

psalterium iucundum cum cithara

80:4 bucinate in neomenia tuba *
in insigni die sollemnitatis nostrae

80:5 quia praeceptum Israhel est *
et iudicium Dei Iacob

80:6 testimonium in Ioseph posuit illud
cum exiret de terra Aegypti *
linguam quam non noverat audivit

80:7 devertit ab oneribus dorsum eius *
manus eius in cofino servierunt

80:8 in tribulatione invocasti me et liberavi te *
exaudivi te in abscondito tempestatis
probavi te apud aquam Contradictionis

80:9 audi populus meus et contestabor te *
Israhel si audias me
80:10 non erit in te deus recens
nec adorabis deum alienum

80:11 ego enim sum Dominus Deus tuus
qui eduxi te de terra Aegypti *
dilata os tuum et implebo illud

80:12 et non audivit populus meus vocem meam *
et Israhel non intendit mihi

80:13 et dimisi illos secundum desideria cordis eorum *
ibunt in adinventionibus suis

80:14 si populus meus audisset me *
Israhel si in viis meis ambulasset

80:15 pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem *
et super tribulantes eos misissem manum meam

80:16 inimici Domini mentiti sunt ei *
et erit tempus eorum in saeculo

80:17 et cibavit illos ex adipe frumenti *
et de petra melle saturavit illos.

Dies XVI: Ad Vesperas

Psalmus LXXXII

81:1 Deus stetit in synagoga deorum *
in medio autem Deus deiudicat

81:2 usquequo iudicatis iniquitatem *

et facies peccatorum sumitis?

81:3 iudicate egenum et pupillum *
humilem et pauperem iustificate

81:4 eripite pauperem *
et egenum de manu peccatoris liberate

81:5 nescierunt neque intellexerunt
in tenebris ambulant *
movebuntur omnia fundamenta terrae

81:6 ego dixi dii estis *
et filii Excelsi omnes

81:7 vos autem sicut homines moriemini *
et sicut unus de principibus cadetis

81:8 surge Deus iudica terram *
quoniam tu hereditabis in omnibus gentibus.

Psalmus LXXXIII

82:2 Deus quis similis erit tibi? *
ne taceas neque conpescaris Deus

82:3 quoniam ecce inimici tui sonaverunt *
et qui oderunt te extulerunt caput

82:4 super populum tuum malignaverunt consilium *
et cogitaverunt adversus sanctos tuos

82:5 dixerunt venite et disperdamus eos de gente *
et non memoretur nomen Israhel ultra

82:6 quoniam cogitaverunt unianimiter simul adversum te *
testamentum disposuerunt
82:7 tabernacula Idumeorum et Ismahelitae

Moab et Aggareni
82:8 Gebal et Ammon et Amalech *
alienigenae cum habitantibus Tyrum

82:9 etenim Assur venit cum illis *
facti sunt in adiutorium filiis Loth

82:10 fac illis sicut Madiam et Sisarae *
sicut Iabin in torrente Cison

82:11 disperierunt in Endor *
facti sunt ut stercus terrae

82:12 pone principes eorum sicut Oreb et Zeb *
et Zebee et Salmana

omnes principes eorum 82:13 qui dixerunt *
hereditate possideamus sanctuarium Dei

82:14 Deus meus pone illos ut rotam *
sicut stipulam ante faciem venti

82:15 sicut ignis qui conburit silvam *
sicut flamma conburens montes

82:16 ita persequeris illos in tempestate tua *
et in ira tua turbabis eos

82:17 imple facies illorum ignominia *
et quaerent nomen tuum Domine

82:18 erubescant et conturbentur in saeculum saeculi *
et confundantur et pereant

82:19 et cognoscant quia nomen tibi Dominus *
tu solus Altissimus in omni terra.

Psalmus LXXXIV

83:2 Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum *
83:3 concupiscit et defecit anima mea in atria Domini

cor meum et caro mea *
exultavit in Deum vivum

83:4 etenim passer invenit sibi domum *
et turtur nidum sibi ubi ponat pullos suos

altaria tua Domine virtutum *
rex meus et Deus meus

83:5 beati qui habitant in domo tua *
in saecula saeculorum laudabunt te

83:6 beatus vir cui est auxilium abs te *
ascensiones in corde suo disposuit
83:7 in valle lacrimarum in loco quem posuit

83:8 etenim benedictiones dabit legis dator
ibunt de virtute in virtutem *
videbitur Deus deorum in Sion

83:9 Domine Deus virtutum exaudi orationem meam *
auribus percipe Deus Iacob

83:10 protector noster aspice Deus *
et respice in faciem christi tui

83:11 quia melior est dies una in atriis tuis *
super milia

elegi abiectus esse in domo Dei mei *
magis quam habitare in tabernaculis peccatorum

83:12 quia misericordiam et veritatem diligit Deus *
gratiam et gloriam dabit Dominus

83:13 non privabit bonis eos qui ambulant in innocentia *
Domine virtutum
beatus vir qui sperat in te.

Psalmus LXXXV

84:2 Benedixisti Domine terram tuam *
avertisti captivitatem Iacob

84:3 remisisti iniquitates plebis tuae *
operuisti omnia peccata eorum

84:4 mitigasti omnem iram tuam *
avertisti ab ira indignationis tuae

84:5 converte nos Deus salutum nostrarum *
et averte iram tuam a nobis

84:6 numquid in aeternum irasceris nobis? *
aut extendes iram tuam a generatione in generationem?

84:7 Deus tu conversus vivificabis nos *
et plebs tua laetabitur in te

84:8 ostende nobis Domine misericordiam tuam *
et salutare tuum da nobis

84:9 audiam quid loquatur in me Dominus Deus *
quoniam loquetur pacem in plebem suam

et super sanctos suos *
et in eos qui convertuntur ad cor

84:10 verumtamen prope timentes eum salutare ipsius *
ut inhabitet gloria in terra nostra

84:11 misericordia et veritas obviaverunt sibi *
iustitia et pax osculatae sunt

84:12 veritas de terra orta est *
et iustitia de caelo prospexit

84:13 etenim Dominus dabit benignitatem *
et terra nostra dabit fructum suum

84:14 iustitia ante eum ambulabit *
et ponet in via gressus suos.

Psalmus LXXXVI

85:1 Inclina Domine aurem tuam et exaudi me *
quoniam inops et pauper sum ego

85:2 custodi animam meam quoniam sanctus sum *
salvum fac servum tuum Deus meus sperantem in te

85:3 miserere mei Domine
quoniam ad te clamabo tota die *
85:4 laetifica animam servi tui
quoniam ad te Domine animam meam levavi

85:5 quoniam tu Domine suavis et mitis *
et multae misericordiae omnibus invocantibus te

85:6 auribus percipe Domine orationem meam *
et intende voci orationis meae

85:7 in die tribulationis meae clamavi ad te *
quia exaudisti me

85:8 non est similis tui in diis Domine *
et non est secundum opera tua

85:9 omnes gentes quascumque fecisti venient
et adorabunt coram te Domine *
et glorificabunt nomen tuum

85:10 quoniam magnus es tu et faciens mirabilia *
tu es Deus solus

85:11 deduc me Domine in via tua
et ingrediar in veritate tua *
laetetur cor meum ut timeat nomen tuum

85:12 confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo *
et glorificabo nomen tuum in aeternum

85:13 quia misericordia tua magna est super me *
et eruisti animam meam ex inferno inferiori

85:14 Deus iniqui insurrexerunt super me
et synagoga potentium quaesierunt animam meam *
et non proposuerunt te in conspectu suo

85:15 et tu Domine Deus miserator et misericors *
patiens et multae misericordiae et verax

85:16 respice in me et miserere mei
da imperium tuum puero tuo *

et salvum fac filium ancillae tuae

85:17 fac mecum signum in bono
et videant qui oderunt me et confundantur *
quoniam tu Domine adiuvasti me et consolatus es me.

Psalmus LXXXVII

86:1 Fundamenta eius in montibus sanctis *
86:2 diligit Dominus portas Sion
super omnia tabernacula Iacob

86:3 gloriosa dicta sunt de te *
civitas Dei

86:4 memor ero Raab et Babylonis *
scientibus me

ecce alienigenae et Tyrus et populus Aethiopum *
hii fuerunt illic

86:5 numquid Sion dicet homo et homo natus est in ea *
et ipse fundavit eam Altissimus?

86:6 Dominus narrabit in scriptura populorum *
et principum horum qui fuerunt in ea

86:7 sicut laetantium omnium *
habitatio in te.

Psalmus LXXXVIII

87:2 Domine Deus salutis meae *
die clamavi et nocte coram te

87:3 intret in conspectu tuo oratio mea *
inclina aurem tuam ad precem meam

87:4 quia repleta est malis anima mea *
et vita mea in inferno adpropinquavit

87:5 aestimatus sum cum descendentibus in lacum *
factus sum sicut homo sine adiutorio
87:6 inter mortuos liber

sicut vulnerati dormientes in sepulchris
quorum non es memor amplius *
et ipsi de manu tua repulsi sunt

87:7 posuerunt me in lacu inferiori *
in tenebrosis et in umbra mortis

87:8 super me confirmatus est furor tuus *
et omnes fluctus tuos induxisti super me diapsalma

87:9 longe fecisti notos meos a me *
posuerunt me abominationem sibi

traditus sum et non egrediebar *
87:10 oculi mei languerunt prae inopia

clamavi ad te Domine *
tota die expandi ad te manus meas

87:11 numquid mortuis facies mirabilia *
aut medici suscitabunt et confitebuntur tibi?

87:12 numquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam *
et veritatem tuam in perditione?

87:13 numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua *
et iustitia tua in terra oblivionis?

87:14 et ego ad te Domine clamavi *
et mane oratio mea praeveniet te

87:15 ut quid Domine repellis orationem meam *
avertis faciem tuam a me?

87:16 pauper sum ego et in laboribus a iuventute mea *
exaltatus autem humiliatus sum et conturbatus

87:17 in me transierunt irae tuae *
et terrores tui conturbaverunt me

87:18 circuierunt me sicut aqua tota die *
circumdederunt me simul

87:19 elongasti a me amicum et proximum *
et notos meos a miseria.

Dies XVII: Ad Vesperas

Psalmus LXXXIX

Pars I

88:2 Misericordias Domini *
in aeternum cantabo

in generationem et generationem *
adnuntiabo veritatem tuam in ore meo

88:3 quoniam dixisti
in aeternum misericordia aedificabitur in caelis *
praeparabitur veritas tua in eis

88:4 disposui testamentum electis meis *
iuravi David servo meo
88:5 usque in aeternum praeparabo semen tuum

et aedificabo in generationem et generationem *
sedem tuam

88:6 confitebuntur caeli mirabilia tua Domine *
etenim veritatem tuam in ecclesia sanctorum

88:7 quoniam quis in nubibus aequabitur Domino *
similis erit Domino in filiis Dei?

88:8 Deus qui glorificatur in consilio sanctorum *
magnus et horrendus super omnes qui in circuitu eius sunt

88:9 Domine Deus virtutum quis similis tibi? *
potens es Domine et veritas tua in circuitu tuo

88:10 tu dominaris potestatis maris *
motum autem fluctuum eius tu mitigas

88:11 tu humiliasti sicut vulneratum superbum *
in brachio virtutis tuae dispersisti inimicos tuos

88:12 tui sunt caeli et tua est terra *
orbem terrae et plenitudinem eius tu fundasti
88:13 aquilonem et mare tu creasti

Thabor et Hermon in nomine tuo exultabunt *
88:14 tuum brachium cum potentia

firmetur manus tua et exaltetur dextera tua *
88:15 iustitia et iudicium praeparatio sedis tuae

misericordia et veritas praecedent faciem tuam *
88:16 beatus populus qui scit iubilationem

Domine in lumine vultus tui ambulabunt
88:17 et in nomine tuo exultabunt tota die *
et in iustitia tua exaltabuntur

88:18 quoniam gloria virtutis eorum tu es *
et in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum

88:19 quia Domini est adsumptio nostra *
et Sancti Israhel regis nostri.

Psalmus LXXXIX: Pars II

88:20 Tunc locutus es in visione sanctis tuis *
et dixisti posui adiutorium in potentem
exaltavi electum de plebe mea

88:21 inveni David servum meum *
in oleo sancto meo linui eum

88:22 manus enim mea auxiliabitur ei *
et brachium meum confirmabit eum

88:23 nihil proficiet inimicus in eo *
et filius iniquitatis non adponet nocere eum

88:24 et concidam a facie ipsius inimicos eius *
et odientes eum in fugam convertam

88:25 et veritas mea et misericordia mea cum ipso *
et in nomine meo exaltabitur cornu eius

88:26 et ponam in mari manum eius *
et in fluminibus dexteram eius

88:27 ipse invocabit me pater meus es tu *
Deus meus et susceptor salutis meae

88:28 et ego primogenitum ponam illum *
excelsum prae regibus terrae

88:29 in aeternum servabo illi misericordiam meam *
et testamentum meum fidele ipsi

88:30 et ponam in saeculum saeculi semen eius *
et thronum eius sicut dies caeli

88:31 si dereliquerint filii eius legem meam *
et in iudiciis meis non ambulaverint

88:32 si iustitias meas profanaverint *
et mandata mea non custodierint

88:33 visitabo in virga iniquitates eorum *
et in verberibus peccata eorum

88:34 misericordiam autem meam non dispergam ab eo *
neque nocebo in veritate mea

88:35 neque profanabo testamentum meum *
et quae procedunt de labiis meis non faciam irrita

88:36 semel iuravi in sancto meo si David mentiar *
88:37 semen eius in aeternum manebit

88:38 et thronus eius sicut sol in conspectu meo *
et sicut luna perfecta in aeternum
et testis in caelo fidelis

88:39 tu vero reppulisti et despexisti *
distulisti christum tuum

88:40 evertisti testamentum servi tui *
profanasti in terram sanctuarium eius

88:41 destruxisti omnes sepes eius *
posuisti firmamenta eius formidinem

88:42 diripuerunt eum omnes transeuntes viam *
factus est obprobrium vicinis suis

88:43 exaltasti dexteram deprimentium eum *
laetificasti omnes inimicos eius

88:44 avertisti adiutorium gladii eius *
et non es auxiliatus ei in bello

88:45 destruxisti eum a mundatione *
sedem eius in terram conlisisti

88:46 minorasti dies temporis eius *
perfudisti eum confusione

88:47 usquequo Domine avertis in finem? *
exardescet sicut ignis ira tua?

88:48 memorare quae mea substantia *
numquid enim vane constituisti omnes filios hominum?

88:49 quis est homo qui vivet et non videbit mortem *
eruet animam suam de manu inferi ?

88:50 ubi sunt misericordiae tuae antiquae Domine *
sicut iurasti David in veritate tua?

88:51 memor esto Domine obprobrii servorum tuorum *
quod continui in sinu meo multarum gentium

88:52 quod exprobraverunt inimici tui Domine *
quod exprobraverunt commutationem christi tui.

88:53 Benedictus Dominus in aeternum *
Fiat, fiat.

Liber Quartus

Dies XVIII: Ad Matutinas

Psalmus XC

89:1 Domine refugium tu factus es nobis *
in generatione et generatione

89:2 priusquam montes fierent

et formaretur terra et orbis *
a saeculo usque in saeculum tu es Deus

89:3 ne avertas hominem in humilitatem *
et dixisti convertimini filii hominum

89:4 quoniam mille anni ante oculos tuos *
tamquam dies hesterna quae praeteriit

et custodia in nocte *
89:5 quae pro nihilo habentur eorum anni erunt

89:6 mane sicut herba transeat
mane floreat et transeat *
vespere decidat induret et arescat

89:7 quia defecimus in ira tua *
et in furore tuo turbati sumus

89:8 posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo *
saeculum nostrum in inluminatione vultus tui

89:9 quoniam omnes dies nostri defecerunt *
in ira tua defecimus

anni nostri sicut aranea meditabantur *
89:10 dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni

si autem in potentatibus octoginta anni *
et amplius eorum labor et dolor

quoniam supervenit mansuetudo *
et corripiemur

89:11 quis novit potestatem irae tuae *
et prae timore tuo iram tuam
89:12 dinumerare?

dexteram tuam sic notam fac *
et conpeditos corde in sapientia

89:13 convertere Domine usquequo *
et deprecabilis esto super servos tuos

89:14 repleti sumus mane misericordia tua *
et exultavimus et delectati sumus in omnibus diebus nostris

89:15 laetati sumus pro diebus quibus nos humiliasti *
annis quibus vidimus mala

89:16 et respice in servos tuos et in opera tua *
et dirige filios eorum

89:17 et sit splendor Domini Dei nostri super nos
et opera manuum nostrarum dirige super nos *

et opus manuum nostrarum dirige.

Psalmus XCI

90:1 Qui habitat in adiutorio Altissimi *
in protectione Dei caeli commorabitur

90:2 dicet Domino
susceptor meus es tu et refugium meum *
Deus meus sperabo in eum

90:3 quoniam ipse liberabit me de laqueo venantium *
et a verbo aspero

90:4 in scapulis suis obumbrabit te *
et sub pinnis eius sperabis

90:5 scuto circumdabit te veritas eius *
non timebis a timore nocturno

90:6 a sagitta volante in die
a negotio perambulante in tenebris *
ab incursu et daemonio meridiano

90:7 cadent a latere tuo mille
et decem milia a dextris tuis *
ad te autem non adpropinquabit

90:8 verumtamen oculis tuis considerabis *
et retributionem peccatorum videbis

90:9 quoniam tu Domine spes mea *
Altissimum posuisti refugium tuum

90:10 non accedent ad te mala *
et flagellum non adpropinquabit tabernaculo tuo

90:11 quoniam angelis suis mandabit de te *
ut custodiant te in omnibus viis tuis

90:12 in manibus portabunt te *
ne forte offendas ad lapidem pedem tuum

90:13 super aspidem et basiliscum ambulabis *
et conculcabis leonem et draconem

90:14 quoniam in me speravit
et liberabo eum *
protegam eum quia cognovit nomen meum

90:15 clamabit ad me et exaudiam eum *
cum ipso sum in tribulatione
eripiam eum et clarificabo eum

90:16 longitudine dierum replebo eum *
et ostendam illi salutare meum.

Psalmus XCII

91:2 Bonum est confiteri Domino *
et psallere nomini tuo Altissime

91:3 ad adnuntiandum mane misericordiam tuam *
et veritatem tuam per noctem

91:4 in decacordo psalterio *
cum cantico in cithara

91:5 quia delectasti me Domine in factura tua *
et in operibus manuum tuarum exultabo

91:6 quam magnificata sunt opera tua Domine *
nimis profundae factae sunt cogitationes tuae

91:7 vir insipiens non cognoscet *
et stultus non intelleget haec

91:8 cum exorti fuerint peccatores sicut faenum *
et apparuerint omnes qui operantur iniquitatem

ut intereant in saeculum saeculi *
91:9 tu autem Altissimus in aeternum Domine

91:10 quoniam ecce inimici tui Domine
quoniam ecce inimici tui peribunt *
et dispergentur omnes qui operantur iniquitatem

91:11 et exaltabitur sicut unicornis cornu meum *
et senectus mea in misericordia uberi

91:12 et despexit oculus meus inimicis meis *
et insurgentibus in me malignantibus audiet auris mea

91:13 iustus ut palma florebit *
ut cedrus Libani multiplicabitur

91:14 plantati in domo Domini *
in atriis Dei nostri florebunt

91:15 adhuc multiplicabuntur in senecta uberi *
et bene patientes erunt

91:16 ut adnuntient quoniam rectus Dominus Deus noster *
et non est iniquitas in eo.

Dies XVIII: Ad Vesperas

Psalmus XCIII

92:1 Dominus regnavit
decore indutus est *
indutus est Dominus fortitudine
et praecinxit se

etenim firmavit orbem terrae *
qui non commovebitur

92:2 parata sedis tua ex tunc *
a saeculo tu es

92:3 elevaverunt flumina Domine
elevaverunt flumina vocem suam *

elevabunt flumina fluctus suos *
92:4 a vocibus aquarum multarum

mirabiles elationes maris *
mirabilis in altis Dominus

92:5 testimonia tua credibilia facta sunt nimis *
domum tuam decet sanctitudo Domine
in longitudine dierum.

Psalmus XCIV

93:1 Deus ultionum Dominus *
Deus ultionum libere egit

93:2 exaltare qui iudicas terram *
redde retributionem superbis

93:3 usquequo peccatores Domine *
usquequo peccatores gloriabuntur

93:4 effabuntur et loquentur iniquitatem *
loquentur omnes qui operantur iniustitiam

93:5 populum tuum Domine humiliaverunt *
et hereditatem tuam vexaverunt

93:6 viduam et advenam interfecerunt *
et pupillos occiderunt

93:7 et dixerunt non videbit Dominus *
nec intelleget Deus Iacob

93:8 intellegite qui insipientes estis in populo *
et stulti aliquando sapite

93:9 qui plantavit aurem non audiet? *
aut qui finxit oculum non considerat?

93:10 qui corripit gentes non arguet? *
qui docet hominem scientiam?

93:11 Dominus scit cogitationes hominum *
quoniam vanae sunt

93:12 beatus homo quem tu erudieris Domine *
et de lege tua docueris eum

93:13 ut mitiges ei a diebus malis *
donec fodiatur peccatori fovea

93:14 quia non repellet Dominus plebem suam *
et hereditatem suam non derelinquet

93:15 quoadusque iustitia convertatur in iudicium *
et qui iuxta illam omnes qui recto sunt corde diapsalma

93:16 quis consurget mihi adversus malignantes? *
aut quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem?

93:17 nisi quia Dominus adiuvit me *
paulo minus habitavit in inferno anima mea

93:18 si dicebam motus est pes meus *
misericordia tua Domine adiuvabat me

93:19 secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo *
consolationes tuae laetificaverunt animam meam

93:20 numquid aderit tibi sedis iniquitatis *
qui fingis dolorem in praecepto?

93:21 captabunt in animam iusti *
et sanguinem innocentem condemnabunt

93:22 et factus est Dominus mihi in refugium *
et Deus meus in adiutorem spei meae

93:23 et reddet illis iniquitatem ipsorum
et in malitia eorum disperdet eos *
disperdet illos Dominus Deus noster.

Dies XIX: Ad Matutinas

Psalmus XCV

94:1 Venite exultemus Domino *
iubilemus Deo salutari nostro

94:2 praeoccupemus faciem eius in confessione *
et in psalmis iubilemus ei

94:3 quoniam Deus magnus Dominus *

et rex magnus super omnes deos

94:4 quia in manu eius fines terrae *
et altitudines montium ipsius sunt

94:5 quoniam ipsius est mare et ipse fecit illud *
et siccam manus eius formaverunt

94:6 venite adoremus et procidamus
et ploremus ante Dominum qui fecit nos *
94:7 quia ipse est Deus noster

et nos populus pascuae eius *
et oves manus eius

94:8 hodie si vocem eius audieritis *
nolite obdurare corda vestra

94:9 sicut in inritatione *
secundum diem temptationis in deserto

ubi temptaverunt me patres vestri *
probaverunt me et viderunt opera mea

94:10 quadraginta annis offensus fui generationi illi *
et dixi semper errant corde

94:11 et isti non cognoverunt vias meas *
ut iuravi in ira mea
si intrabunt in requiem meam.

Psalmus XCVI

95:1 Cantate Domino canticum novum *
cantate Domino omnis terra

95:2 cantate Domino benedicite nomini eius *
adnuntiate diem de die salutare eius

95:3 adnuntiate inter gentes gloriam eius *
in omnibus populis mirabilia eius

95:4 quoniam magnus Dominus et laudabilis valde *
terribilis est super omnes deos

95:5 quoniam omnes dii gentium daemonia *
at vero Dominus caelos fecit

95:6 confessio et pulchritudo in conspectu eius *
sanctimonia et magnificentia in sanctificatione eius

95:7 adferte Domino patriae gentium
adferte Domino gloriam et honorem *
95:8 adferte Domino gloriam nomini eius

tollite hostias et introite in atria eius *
95:9 adorate Dominum in atrio sancto eius

commoveatur a facie eius universa terra *
95:10 dicite in gentibus quia Dominus regnavit

etenim correxit orbem qui non movebitur *
iudicabit populos in aequitate

95:11 laetentur caeli et exultet terra
commoveatur mare et plenitudo eius *
95:12 gaudebunt campi et omnia quae in eis sunt

tunc exultabunt omnia ligna silvarum
95:13 a facie Domini quia venit *
quoniam venit iudicare terram

iudicabit orbem terrae in aequitate *
et populos in veritate sua.

Psalmus XCVII

96:1 Dominus regnavit
exultet terra *
laetentur insulae multae

96:2 nubes et caligo in circuitu eius *
iustitia et iudicium correctio sedis eius

96:3 ignis ante ipsum praecedet *
et inflammabit in circuitu inimicos eius

96:4 adluxerunt fulgora eius orbi terrae *
vidit et commota est terra

96:5 montes sicut cera fluxerunt a facie Domini *
a facie Domini omnis terrae

96:6 adnuntiaverunt caeli iustitiam eius *
et viderunt omnes populi gloriam eius

96:7 confundantur omnes qui adorant sculptilia *
qui gloriantur in simulacris suis

adorate eum omnes angeli eius *
96:8 audivit et laetata est Sion

et exultaverunt filiae Iudaeae *
propter iudicia tua Domine

96:9 quoniam tu Dominus
Altissimus super omnem terram *
nimis superexaltatus es super omnes deos

96:10 qui diligitis Dominum odite malum *
custodit animas sanctorum suorum
de manu peccatoris liberabit eos

96:11 lux orta est iusto *
et rectis corde laetitia

96:12 laetamini iusti in Domino *
et confitemini memoriae sanctificationis eius.

Dies XIX: Ad Vesperas

Psalmus XCVIII

97:1 Cantate Domino canticum novum *
quoniam mirabilia fecit

salvavit sibi dextera eius *
et brachium sanctum eius

97:2 notum fecit Dominus salutare suum *
in conspectu gentium revelavit iustitiam suam

97:3 recordatus est misericordiae suae *
et veritatem suam domui Israhel

viderunt omnes termini terrae salutare Dei nostri *
97:4 iubilate Domino omnis terra
cantate et exultate et psallite

97:5 psallite Domino in cithara
in cithara et voce psalmi *
97:6 in tubis ductilibus et voce tubae corneae

iubilate in conspectu regis Domini *
97:7 moveatur mare et plenitudo eius
orbis terrarum et qui habitant in eo

97:8 flumina plaudent manu simul montes exultabunt
97:9 a conspectu Domini *
quoniam venit iudicare terram

iudicabit orbem terrarum in iustitia *
et populos in aequitate.

Psalmus XCIX

98:1 Dominus regnavit
irascantur populi *
qui sedet super cherubin
moveatur terra

98:2 Dominus in Sion magnus *
et excelsus est super omnes populos

98:3 confiteantur nomini tuo magno
quoniam terribile et sanctum est *
98:4 et honor regis iudicium diligit

tu parasti directiones *
iudicium et iustitiam in Iacob tu fecisti

98:5 exaltate Dominum Deum nostrum
et adorate scabillum pedum eius *
quoniam sanctum est

98:6 Moses et Aaron in sacerdotibus eius *
et Samuhel inter eos qui invocant nomen eius

invocabant Dominum et ipse exaudiebat illos *
98:7 in columna nubis loquebatur ad eos

custodiebant testimonia eius *
et praeceptum quod dedit illis

98:8 Domine Deus noster tu exaudiebas illos
Deus tu propitius fuisti eis *
et ulciscens in omnes adinventiones eorum

98:9 exaltate Dominum Deum nostrum
et adorate in monte sancto eius *
quoniam sanctus Dominus Deus noster.

Psalmus C

99:2 Iubilate Domino omnis terra *
servite Domino in laetitia

introite in conspectu eius *
in exultatione

99:3 scitote quoniam Dominus ipse est Deus *
ipse fecit nos et non ipsi nos

populus eius et oves pascuae eius *
99:4 introite portas eius in confessione
atria eius in hymnis confitemini illi

laudate nomen eius
99:5 quoniam suavis Dominus
in aeternum misericordia eius *
et usque in generationem et generationem veritas eius.

Psalmus CI

100:1 Misericordiam et iudicium *
cantabo tibi Domine

psallam
100:2 et intellegam in via inmaculata *
quando venies ad me

perambulabam in innocentia cordis mei *
in medio domus meae

100:3 non proponebam ante oculos meos rem iniustam *
facientes praevaricationes odivi

non adhesit mihi 100:4 cor pravum *
declinante a me maligno non cognoscebam

100:5 detrahentem secreto proximo suo *
hunc persequebar

superbo oculo et insatiabili corde *
cum hoc non edebam

100:6 oculi mei ad fideles terrae ut sederent mecum *
ambulans in via inmaculata hic mihi ministrabat

100:7 non habitabat in medio domus meae qui facit superbiam *
qui loquitur iniqua
non direxit in conspectu oculorum meorum

100:8 in matutino interficiebam omnes peccatores terrae *
ut disperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem.

Dies XX: Ad Matutinas

Psalmus CII

101:2 Domine exaudi orationem meam *
et clamor meus ad te veniat

101:3 non avertas faciem tuam a me *
in quacumque die tribulor
inclina ad me aurem tuam

in quacumque die invocavero te *
velociter exaudi me

101:4 quia defecerunt sicut fumus dies mei *
et ossa mea sicut gremium aruerunt

101:5 percussum est ut faenum et aruit cor meum *
quia oblitus sum comedere panem meum

101:6 a voce gemitus mei *
adhesit os meum carni meae

101:7 similis factus sum pelicano solitudinis *
factus sum sicut nycticorax in domicilio

101:8 vigilavi *
et factus sum sicut passer solitarius in tecto

101:9 tota die exprobrabant mihi inimici mei *
et qui laudabant me adversus me iurabant

101:10 quia cinerem tamquam panem manducavi *
et poculum meum cum fletu miscebam

101:11 a facie irae et indignationis tuae *
quia elevans adlisisti me

101:12 dies mei sicut umbra declinaverunt *
et ego sicut faenum arui

101:13 tu autem Domine in aeternum permanes *
et memoriale tuum in generationem et generationem

101:14 tu exsurgens misereberis Sion *
quia tempus miserendi eius
quia venit tempus

101:15 quoniam placuerunt servis tuis lapides eius *
et terrae eius miserebuntur

101:16 et timebunt gentes nomen Domini *
et omnes reges terrae gloriam tuam

101:17 quia aedificabit Dominus Sion *
et videbitur in gloria sua

101:18 respexit in orationem humilium *
et non sprevit precem eorum

101:19 scribantur haec in generationem alteram *
et populus qui creabitur laudabit Dominum

101:20 quia prospexit de excelso sancto suo *
Dominus de caelo in terram aspexit

101:21 ut audiret gemitum conpeditorum *
ut solvat filios interemptorum

101:22 ut adnuntiet in Sion nomen Domini *
et laudem suam in Hierusalem

101:23 in conveniendo populos in unum *
et reges ut serviant Domino

101:24 respondit ei in via virtutis suae *
paucitatem dierum meorum nuntia mihi

101:25 ne revoces me in dimidio dierum meorum *
in generationem et generationem anni tui

101:26 initio tu Domine terram fundasti *
et opera manuum tuarum sunt caeli

101:27 ipsi peribunt tu autem permanes *
et omnes sicut vestimentum veterescent

et sicut opertorium mutabis eos et mutabuntur *
101:28 tu autem idem ipse es
et anni tui non deficient

101:29 filii servorum tuorum habitabunt *
et semen eorum in saeculum dirigetur.

Psalmus CIII

102:1 Benedic anima mea Domino *
et omnia quae intra me sunt nomini sancto eius

102:2 benedic anima mea Domino *
et noli oblivisci omnes retributiones eius

102:3 qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis *
qui sanat omnes infirmitates tuas

102:4 qui redimit de interitu vitam tuam *
qui coronat te in misericordia et miserationibus

102:5 qui replet in bonis desiderium tuum *
renovabitur ut aquilae iuventus tua

102:6 faciens misericordias Dominus *
et iudicium omnibus iniuriam patientibus

102:7 notas fecit vias suas Mosi *
filiis Israhel voluntates suas

102:8 miserator et misericors Dominus *
longanimis et multum misericors

102:9 non in perpetuum irascetur *
neque in aeternum comminabitur

102:10 non secundum peccata nostra fecit nobis *
nec secundum iniustitias nostras retribuit nobis

102:11 quoniam secundum altitudinem caeli a terra *
corroboravit misericordiam suam super timentes se

102:12 quantum distat ortus ab occidente *
longe fecit a nobis iniquitates nostras

102:13 quomodo miseretur pater filiorum
misertus est Dominus timentibus se *
102:14 quoniam ipse cognovit figmentum nostrum

recordatus est quoniam pulvis sumus *
102:15 homo sicut faenum dies eius
tamquam flos agri sic efflorebit

102:16 quoniam spiritus pertransivit in illo et non subsistet *
et non cognoscet amplius locum suum

102:17 misericordia autem Domini ab aeterno *
et usque in aeternum super timentes eum

et iustitia illius in filios filiorum
102:18 his qui servant testamentum eius *

et memores sunt mandatorum ipsius *
ad faciendum ea

102:19 Dominus in caelo paravit sedem suam *
et regnum ipsius omnibus dominabitur

102:20 benedicite Domino angeli eius *
potentes virtute facientes verbum illius
ad audiendam vocem sermonum eius

102:21 benedicite Domino omnes virtutes eius *
ministri eius qui facitis voluntatem eius

102:22 benedicite Domino omnia opera eius *
in omni loco dominationis ipsius
benedic anima mea Domino.

Dies XX: Ad Vesperas

Psalmus CIV

103:1 Benedic anima mea Domino *
Domine Deus meus magnificatus es vehementer

confessionem et decorem induisti *
103:2 amictus lumine sicut vestimento

extendens caelum sicut pellem *
103:3 qui tegis in aquis superiora eius

qui ponis nubem ascensum tuum *
qui ambulas super pinnas ventorum

103:4 qui facis angelos tuos spiritus *
et ministros tuos ignem urentem

103:5 qui fundasti terram super stabilitatem suam *

non inclinabitur in saeculum saeculi

103:6 abyssus sicut vestimentum amictus eius *
super montes stabunt aquae

103:7 ab increpatione tua fugient *
a voce tonitrui tui formidabunt

103:8 ascendunt montes et descendunt campi *
in locum quem fundasti eis

103:9 terminum posuisti quem non transgredientur *
neque convertentur operire terram

103:10 qui emittis fontes in convallibus *
inter medium montium pertransibunt aquae

103:11 potabunt omnes bestiae agri *
expectabunt onagri in siti sua

103:12 super ea volucres caeli habitabunt *
de medio petrarum dabunt vocem

103:13 rigans montes de superioribus suis *
de fructu operum tuorum satiabitur terra

103:14 producens faenum iumentis *
et herbam servituti hominum

ut educas panem de terra *
103:15 et vinum laetificat cor hominis

ut exhilaret faciem in oleo *
et panis cor hominis confirmat

103:16 saturabuntur ligna campi
et cedri Libani quas plantavit *
103:17 illic passeres nidificabunt

erodii domus dux est eorum *
103:18 montes excelsi cervis
petra refugium erinaciis

103:19 fecit lunam in tempora *
sol cognovit occasum suum

103:20 posuisti tenebras et facta est nox *
in ipsa pertransibunt omnes bestiae silvae

103:21 catuli leonum rugientes ut rapiant *
et quaerant a Deo escam sibi

103:22 ortus est sol et congregati sunt *
et in cubilibus suis conlocabuntur

103:23 exibit homo ad opus suum *
et ad operationem suam usque ad vesperum

103:24 quam magnificata sunt opera tua Domine *
omnia in sapientia fecisti
impleta est terra possessione tua

103:25 hoc mare magnum et spatiosum manibus *
illic reptilia quorum non est numerus

animalia pusilla cum magnis *
103:26 illic naves pertransibunt

draco iste quem formasti ad inludendum ei *
103:27 omnia a te expectant
ut des illis escam in tempore

103:28 dante te illis colligent *
aperiente te manum tuam
omnia implebuntur bonitate

103:29 avertente autem te faciem turbabuntur *
auferes spiritum eorum
et deficient et in pulverem suum revertentur

103:30 emittes spiritum tuum et creabuntur *
et renovabis faciem terrae

103:31 sit gloria Domini in saeculum *
laetabitur Dominus in operibus suis

103:32 qui respicit terram et facit eam tremere *
qui tangit montes et fumigant

103:33 cantabo Domino in vita mea *
psallam Deo meo quamdiu sum

103:34 iucundum sit ei eloquium meum *
ego vero delectabor in Domino

103:35 deficiant peccatores a terra
et iniqui ita ut non sint *
benedic anima mea Domino
104:1 Alleluia!

Psalmus CV

Pars I

Confitemini Domino et invocate nomen eius *
adnuntiate inter gentes opera eius

104:2 cantate ei et psallite ei *
narrate omnia mirabilia eius
104:3 laudamini in nomine sancto eius *

laetetur cor quaerentium Dominum
104:4 quaerite Dominum et confirmamini *
quaerite faciem eius semper

104:5 mementote mirabilium eius quae fecit *
prodigia eius et iudicia oris eius

104:6 semen Abraham servi eius *
filii Iacob electi eius

104:7 ipse Dominus Deus noster *
in universa terra iudicia eius

104:8 memor fuit in saeculum testamenti sui *
verbi quod mandavit in mille generationes

104:9 quod disposuit ad Abraham *
et iuramenti sui ad Isaac

104:10 et statuit illud Iacob in praeceptum *
et Israhel in testamentum aeternum

104:11 dicens tibi dabo terram Chanaan *
funiculum hereditatis vestrae

104:12 cum essent numero breves *
paucissimos et incolas eius

104:13 et pertransierunt de gente in gentem *
et de regno ad populum alterum

104:14 non reliquit hominem nocere eis *
et corripuit pro eis reges

104:15 nolite tangere christos meos *
et in prophetis meis nolite malignari

104:16 et vocavit famem super terram *
omne firmamentum panis contrivit

104:17 misit ante eos virum *

in servum venundatus est Ioseph

104:18 humiliaverunt in conpedibus pedes eius
ferrum pertransiit anima eius *
104:19 donec veniret verbum eius

eloquium Domini inflammavit eum *
104:20 misit rex et solvit eum
princeps populorum et dimisit eum

104:21 constituit eum dominum domus suae *
et principem omnis possessionis suae

104:22 ut erudiret principes eius sicut semet ipsum *
et senes eius prudentiam doceret.

Psalmus CV: Pars II

104:23 Et intravit Israhel in Aegyptum *
et Iacob accola fuit in terra Cham

104:24 et auxit populum eius vehementer *
et firmavit eum super inimicos eius

104:25 convertit cor eorum ut odirent populum eius *
ut dolum facerent in servos eius

104:26 misit Mosen servum suum *
Aaron quem elegit ipsum

104:27 posuit in eis verba signorum suorum *
et prodigiorum in terra Cham

104:28 misit tenebras et obscuravit *
et non exacerbavit sermones suos

104:29 convertit aquas eorum in sanguinem *
et occidit pisces eorum

104:30 dedit terra eorum ranas *
in penetrabilibus regum ipsorum

104:31 dixit et venit cynomia et scinifes *
in omnibus finibus eorum

104:32 posuit pluvias eorum grandinem *
ignem conburentem in terra ipsorum

104:33 et percussit vineas eorum et ficulneas eorum *
et contrivit lignum finium eorum

104:34 dixit et venit lucusta et bruchus *
cuius non erat numerus

104:35 et comedit omne faenum in terra eorum *

et comedit omnem fructum terrae eorum

104:36 et percussit omne primogenitum in terra eorum *
primitias omnis laboris eorum

104:37 et eduxit eos in argento et auro *
et non erat in tribubus eorum infirmus

104:38 laetata est Aegyptus in profectione eorum *
quia incubuit timor eorum super eos

104:39 expandit nubem in protectionem eorum *
et ignem ut luceret eis per noctem

104:40 petierunt et venit coturnix *
et panem caeli saturavit eos

104:41 disrupit petram et fluxerunt aquae *
abierunt in sicco flumina

104:42 quoniam memor fuit verbi sancti sui *
quod habuit ad Abraham puerum suum

104:43 et eduxit populum suum in exultatione *
et electos suos in laetitia

104:44 et dedit illis regiones gentium *
et labores populorum possederunt

104:45 ut custodiant iustificationes eius *
et legem eius requirant.
Alleluia!

Dies XXI: Ad Vesperas

Psalmus CVI

Pars I

105:1 Alleluia!
Confitemini Domino quoniam bonus *
quoniam in saeculum misericordia eius

105:2 quis loquetur potentias Domini *
auditas faciet omnes laudes eius?

105:3 beati qui custodiunt iudicium et faciunt iustitiam *
in omni tempore

105:4 memento nostri Domine in beneplacito populi tui *
visita nos in salutari tuo

105:5 ad videndum in bonitate electorum tuorum
ad laetandum in laetitia gentis tuae *
et lauderis cum hereditate tua

105:6 peccavimus cum patribus nostris *
iniuste egimus iniquitatem fecimus

105:7 patres nostri in Aegypto non intellexerunt mirabilia tua *
non fuerunt memores multitudinis misericordiae tuae

et inritaverunt ascendentes in mare *
mare Rubrum

105:8 et salvavit eos propter nomen suum *
ut notam faceret potentiam suam

105:9 et increpuit mare Rubrum et exsiccatum est *
et deduxit eos in abyssis sicut in deserto

105:10 et salvavit eos de manu odientium *
et redemit eos de manu inimici

105:11 et operuit aqua tribulantes eos *
unus ex eis non remansit

105:12 et crediderunt in verbis eius *
et laudaverunt laudem eius

105:13 cito fecerunt obliti sunt operum eius *
non sustinuerunt consilium eius

105:14 et concupierunt concupiscentiam in deserto *
et temptaverunt Deum in inaquoso

105:15 et dedit eis petitionem ipsorum *
et misit saturitatem in anima eorum

105:16 et inritaverunt Mosen in castris *
Aaron sanctum Domini

105:17 aperta est terra et degluttivit Dathan *
et operuit super congregationem Abiron

105:18 et exarsit ignis in synagoga eorum *
flamma conbusit peccatores

Psalmus CVI: Pars II

105:19 et fecerunt vitulum in Choreb *
et adoraverunt sculptile

105:20 et mutaverunt gloriam suam *

105:21 obliti sunt Deum qui salvavit eos *
qui fecit magnalia in Aegypto
105:22 mirabilia in terra Cham
terribilia in mari Rubro

105:23 et dixit ut disperderet eos *
si non Moses electus eius stetisset
in confractione in conspectu eius

ut averteret iram eius ne disperderet eos *
105:24 et pro nihilo habuerunt terram desiderabilem

non crediderunt verbo eius
105:25 et murmurabant in tabernaculis suis *
non exaudierunt vocem Domini

105:26 et elevavit manum suam super eos *
ut prosterneret eos in deserto

105:27 et ut deiceret semen eorum in nationibus *
et dispergeret eos in regionibus

105:28 et initiati sunt Beelphegor *
et comederunt sacrificia mortuorum

105:29 et inritaverunt eum in adinventionibus suis *
et multiplicata est in eis ruina

105:30 et stetit Finees et placavit *
et cessavit quassatio

105:31 et reputatum est ei in iustitiam *
in generatione et generationem usque in sempiternum

105:32 et inritaverunt ad aquam Contradictionis *
et vexatus est Moses propter eos
105:33 quia exacerbaverunt spiritum eius

et distinxit in labiis suis *
105:34 non disperdiderunt gentes
quas dixit Dominus illis

105:35 et commixti sunt inter gentes
et didicerunt opera eorum
105:36 et servierunt sculptilibus eorum *
et factum est illis in scandalum

105:37 et immolaverunt filios suos *
et filias suas daemoniis

105:38 et effuderunt sanguinem innocentem
sanguinem filiorum suorum et filiarum suarum *

quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaan

et interfecta est terra in sanguinibus
105:39 et contaminata est in operibus eorum *
et fornicati sunt in adinventionibus suis

105:40 et iratus est furore Dominus in populo suo *
et abominatus est hereditatem suam

105:41 et tradidit eos in manus gentium *
et dominati sunt eorum qui oderant eos

105:42 et tribulaverunt eos inimici eorum *
et humiliati sunt sub manibus eorum
105:43 saepe liberavit eos

ipsi autem exacerbaverunt eum in consilio suo *
et humiliati sunt in iniquitatibus suis

105:44 et vidit cum tribularentur *
et audiret orationem eorum

105:45 et memor fuit testamenti sui *
et paenituit eum secundum multitudinem misericordiae suae

105:46 et dedit eos in misericordias *
in conspectu omnium qui ceperant eos

105:47 salvos fac nos Domine Deus noster *
et congrega nos de nationibus

ut confiteamur nomini tuo sancto *
et gloriemur in laude tua.

105:48 Benedictus Dominus Deus Israhel
a saeculo et usque in saeculum *
et dicet omnis populus, fiat, fiat!
106:1 Alleluia!

Liber Quintus

Dies XXII: Ad Matutinas

Psalmus CVII

Pars I

Confitemini Domino quoniam bonus *
quoniam in saeculum misericordia eius

106:2 dicant qui redempti sunt a Domino *
quos redemit de manu inimici
de regionibus congregavit eos

106:3 a solis ortu et occasu *
et ab aquilone et mari

106:4 erraverunt in solitudine in inaquoso *
viam civitatis habitaculi non invenerunt

106:5 esurientes et sitientes *
anima eorum in ipsis defecit

106:6 et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur *
et de necessitatibus eorum eripuit eos

106:7 et deduxit eos in viam rectam *
ut irent in civitatem habitationis

106:8 confiteantur Domino misericordiae eius *
et mirabilia eius filiis hominum

106:9 quia satiavit animam inanem *
et animam esurientem satiavit bonis

106:10 sedentes in tenebris et umbra mortis *
vinctos in mendicitate et ferro

106:11 quia exacerbaverunt eloquia Dei *
et consilium Altissimi inritaverunt

106:12 et humiliatum est in laboribus cor eorum *
infirmati sunt nec fuit qui adiuvaret

106:13 et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur *
et de necessitatibus eorum liberavit eos

106:14 et eduxit eos de tenebris et umbra mortis *
et vincula eorum disrupit

106:15 confiteantur Domino misericordiae eius *
et mirabilia eius filiis hominum

106:16 quia contrivit portas aereas *
et vectes ferreos confregit

106:17 suscepit eos de via iniquitatis eorum *
propter iniustitias enim suas humiliati sunt

106:18 omnem escam abominata est anima eorum *
et adpropinquaverunt usque ad portas mortis

106:19 et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur *

et de necessitatibus eorum liberavit eos

106:20 misit verbum suum et sanavit eos *
et eripuit eos de interitionibus eorum

106:21 confiteantur Domino misericordiae eius *
et mirabilia eius filiis hominum

106:22 et sacrificent sacrificium laudis *
et adnuntient opera eius in exultatione

106:23 qui descendunt mare in navibus *
facientes operationem in aquis multis

106:24 ipsi viderunt opera Domini *
et mirabilia eius in profundo

106:25 dixit et stetit spiritus procellae *
et exaltati sunt fluctus eius

106:26 ascendunt usque ad caelos
et descendunt usque ad abyssos *
anima eorum in malis tabescebat

106:27 turbati sunt et moti sunt sicut ebrius *
et omnis sapientia eorum devorata est

106:28 et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur *
et de necessitatibus eorum eduxit eos

106:29 et statuit procellam eius in auram *
et siluerunt fluctus eius

106:30 et laetati sunt quia siluerunt *
et deduxit eos in portum voluntatis eorum

106:31 confiteantur Domino misericordiae eius *
et mirabilia eius filiis hominum

106:32 exaltent eum in ecclesia plebis *
et in cathedra seniorum laudent eum.

Psalmus CVII: Pars II

106:33 Posuit flumina in desertum *
et exitus aquarum in sitim

106:34 terram fructiferam in salsuginem *
a malitia inhabitantium in ea

106:35 posuit desertum in stagna aquarum *
et terram sine aqua in exitus aquarum

106:36 et conlocavit illic esurientes *
et constituerunt civitatem habitationis

106:37 et seminaverunt agros et plantaverunt vineas *
et fecerunt fructum nativitatis

106:38 et benedixit eis et multiplicati sunt nimis *
et iumenta eorum non minoravit

106:39 et pauci facti sunt *
et vexati sunt a tribulatione malorum et dolore

106:40 (effusa est contemptio super principes *
et errare fecit eos in invio et non in via)

106:41 et adiuvit pauperem de inopia *
et posuit sicut oves familias

106:42 videbunt recti et laetabuntur *
et omnis iniquitas oppilabit os suum

106:43 quis sapiens et custodiet haec *
et intellegent misericordias Domini?

Dies XXII: Ad Vesperas

Psalmus CVIII

107:2 Paratum cor meum Deus
paratum cor meum *
cantabo et psallam in gloria mea

107:3 exsurge psalterium et cithara *
exsurgam diluculo

107:4 confitebor tibi in populis Domine *
et psallam tibi in nationibus

107:5 quia magna super caelos misericordia tua *
et usque ad nubes veritas tua

107:6 exaltare super caelos Deus
et super omnem terram gloria tua *
107:7 ut liberentur dilecti tui

salvum fac dextera tua et exaudi me *
107:8 Deus locutus est in sancto suo

exaltabor et dividam Sicima *
et convallem tabernaculorum dimetiar

107:9 meus est Galaad et meus est Manasse *
et Effraim susceptio capitis mei

Iuda rex meus *

107:10 Moab lebes spei meae

in Idumeam extendam calciamentum meum *
mihi alienigenae amici facti sunt

107:11 quis deducet me in civitatem munitam *
quis deducet me usque in Idumeam?

107:12 nonne tu Deus qui reppulisti nos *
et non exibis Deus in virtutibus nostris?

107:13 da nobis auxilium de tribulatione *
quia vana salus hominis

107:14 in Deo faciemus virtutem *
et ipse ad nihilum deducet inimicos nostros.

Psalmus CIX

108:2 Deus laudem meam ne tacueris *
quia os peccatoris
et os dolosi super me apertum est

108:3 locuti sunt adversum me lingua dolosa *
et sermonibus odii circuierunt me
et expugnaverunt me gratis

108:4 pro eo ut me diligerent detrahebant mihi *
ego autem orabam

108:5 et posuerunt adversus me mala pro bonis *
et odium pro dilectione mea

108:6 constitue super eum peccatorem *
et diabolus stet a dextris eius

108:7 cum iudicatur exeat condemnatus *
et oratio eius fiat in peccatum

108:8 fiant dies eius pauci *
et episcopatum eius accipiat alter

108:9 fiant filii eius orfani *
et uxor eius vidua

108:10 nutantes transferantur filii eius et mendicent *
eiciantur de habitationibus suis

108:11 scrutetur fenerator omnem substantiam eius *
et diripiant alieni labores eius

108:12 non sit illi adiutor *
nec sit qui misereatur pupillis eius

108:13 fiant nati eius in interitum *
in generatione una deleatur nomen eius

108:14 in memoriam redeat iniquitas patrum eius in conspectu Domini *
et peccatum matris eius non deleatur

108:15 fiant contra Dominum semper
et dispereat de terra memoria eorum *
108:16 pro eo quod non est recordatus facere misericordiam

108:17 et persecutus est hominem inopem et mendicum *
et conpunctum corde mortificare

108:18 et dilexit maledictionem et veniet ei *
et noluit benedictionem et elongabitur ab eo

et induit maledictionem sicut vestimentum *
et intravit sicut aqua in interiora eius
et sicut oleum in ossibus eius

108:19 fiat ei sicut vestimentum quo operitur *
et sicut zona qua semper praecingitur

108:20 hoc opus eorum qui detrahunt mihi apud Dominum *
et qui loquuntur mala adversus animam meam

108:21 et tu Domine Domine
fac mecum propter nomen tuum *
quia suavis misericordia tua

libera me
108:22 quia egenus et pauper ego sum *
et cor meum turbatum est intra me

108:23 sicut umbra cum declinat ablatus sum *
excussus sum sicut lucustae

108:24 genua mea infirmata sunt a ieiunio *
et caro mea inmutata est propter oleum

108:25 et ego factus sum obprobrium illis *
viderunt me moverunt capita sua

108:26 adiuva me Domine Deus meus *
salvum fac me secundum misericordiam tuam

108:27 et sciant quia manus tua haec *
tu Domine fecisti eam

108:28 maledicent illi et tu benedices *
qui insurgunt in me confundantur
servus autem tuus laetabitur

108:29 induantur qui detrahunt mihi pudore *

et operiantur sicut deploide confusione sua

108:30 confitebor Domino nimis in ore meo *
et in medio multorum laudabo eum

108:31 quia adstetit a dextris pauperis *
ut salvam faceret a persequentibus animam meam.

Dies XXIII: Ad Matutinas

Psalmus CX

109:1 Dixit Dominus Domino meo *
sede a dextris meis

donec ponam inimicos tuos *
scabillum pedum tuorum

109:2 virgam virtutis tuae emittet Dominus ex Sion *
dominare in medio inimicorum tuorum

109:3 tecum principium in die virtutis tuae
in splendoribus sanctorum *
ex utero ante luciferum genui te

109:4 iuravit Dominus et non paenitebit eum *
tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech

109:5 Dominus a dextris tuis *
confregit in die irae suae reges

109:6 iudicabit in nationibus
implebit cadavera *
conquassabit capita in terra multorum

109:7 de torrente in via bibet *
propterea exaltabit caput.

Psalmus CXI

110:1 Alleluia!
Confitebor tibi Domine in toto corde meo *
in consilio iustorum et congregatione

110:2 magna opera Domini *
exquisita in omnes voluntates eius

110:3 confessio et magnificentia opus eius *
et iustitia eius manet in saeculum saeculi

110:4 memoriam fecit mirabilium suorum
misericors et miserator Dominus *

110:5 escam dedit timentibus se

memor erit in saeculum testamenti sui *
110:6 virtutem operum suorum adnuntiabit populo suo

110:7 ut det illis hereditatem gentium *
opera manuum eius veritas et iudicium

110:8 fidelia omnia mandata eius *
confirmata in saeculum saeculi
facta in veritate et aequitate

110:9 redemptionem misit populo suo *
mandavit in aeternum testamentum suum

sanctum et terribile nomen eius *
110:10 initium sapientiae timor Domini

intellectus bonus omnibus facientibus eum *
laudatio eius manet in saeculum saeculi.

Psalmus XXII

111:1 Alleluia!
Beatus vir qui timet Dominum *
in mandatis eius volet nimis

111:2 potens in terra erit semen eius *
generatio rectorum benedicetur

111:3 gloria et divitiae in domo eius *
et iustitia eius manet in saeculum saeculi

111:4 exortum est in tenebris lumen rectis *
misericors et miserator et iustus

111:5 iucundus homo qui miseretur et commodat
disponet sermones suos in iudicio *
111:6 quia in aeternum non commovebitur

111:7 in memoria aeterna erit iustus *
ab auditione mala non timebit

paratum cor eius sperare in Domino
111:8 confirmatum est cor eius non commovebitur *
donec dispiciat inimicos suos

111:9 dispersit dedit pauperibus
iustitia eius manet in saeculum saeculi *
cornu eius exaltabitur in gloria

111:10 peccator videbit et irascetur
dentibus suis fremet et tabescet *
desiderium peccatorum peribit.

Psalmus CXIII

112:1 Alleluia!
Laudate pueri Dominum *
laudate nomen Domini

112:2 sit nomen Domini benedictum *
ex hoc nunc et usque in saeculum

112:3 a solis ortu usque ad occasum *
laudabile nomen Domini

112:4 excelsus super omnes gentes Dominus *
super caelos gloria eius

112:5 quis sicut Dominus Deus noster qui in altis habitat *
112:6 et humilia respicit in caelo et in terra

112:7 suscitans a terra inopem *
et de stercore erigens pauperem

112:8 ut conlocet eum cum principibus *
cum principibus populi sui

112:9 qui habitare facit sterilem in domo *
matrem filiorum laetantem.

Dies XXIII: Ad Vesperas

Psalmus CXIV

113:1 Alleluia!
In exitu Israhel de Aegypto *
domus Iacob de populo barbaro

113:2 facta est Iudaea sanctificatio eius *
Israhel potestas eius

113:3 mare vidit et fugit *
Iordanis conversus est retrorsum

113:4 montes exultaverunt ut arietes *
colles sicut agni ovium

113:5 quid est tibi mare quod fugisti *
et tu Iordanis quia conversus es retrorsum

113:6 montes exultastis sicut arietes *
et colles sicut agni ovium?

113:7 a facie Domini mota est terra *

a facie Dei Iacob

113:8 qui convertit petram in stagna aquarum *
et rupem in fontes aquarum.

Psalmus CXV

113:9 Non nobis Domine non nobis *
sed nomini tuo da gloriam

113:10 super misericordia tua et veritate tua *
nequando dicant gentes
ubi est Deus eorum?

113:11 Deus autem noster in caelo *
omnia quaecumque voluit fecit

113:12 simulacra gentium argentum et aurum *
opera manuum hominum

113:13 os habent et non loquentur *
oculos habent et non videbunt

113:14 aures habent et non audient *
nares habent et non odorabuntur

113:15 manus habent et non palpabunt
pedes habent et non ambulabunt *
non clamabunt in gutture suo

113:16 similes illis fiant qui faciunt ea *
et omnes qui confidunt in eis

113:17 domus Israhel speravit in Domino *
adiutor eorum et protector eorum est

113:18 domus Aaron speravit in Domino *
adiutor eorum et protector eorum est

113:19 qui timent Dominum speraverunt in Domino *
adiutor eorum et protector eorum est

113:20 Dominus memor fuit nostri *
et benedixit nobis

benedixit domui Israhel *
benedixit domui Aaron

113:21 benedixit omnibus qui timent Dominum *
pusillis cum maioribus

113:22 adiciat Dominus super vos *
super vos et super filios vestros

113:23 benedicti vos Domino *

qui fecit caelum et terram

113:24 caelum caeli Domino *
terram autem dedit filiis hominum

113:25 non mortui laudabunt te Domine *
neque omnes qui descendunt in infernum

113:26 sed nos qui vivimus benedicimus Domino *
ex hoc nunc et usque in saeculum.
114:1 Alleluia!

Dies XXIV: Ad Matutinas

Psalmus CXVI

Dilexi quoniam exaudiet Dominus *
vocem orationis meae

114:2 quia inclinavit aurem suam mihi
et in diebus meis invocabo te

114:3 circumdederunt me dolores mortis *
pericula inferni invenerunt me

tribulationem et dolorem inveni *
114:4 et nomen Domini invocavi

O Domine libera animam meam
114:5 misericors Dominus et iustus *
et Deus noster miseretur

114:6 custodiens parvulos Dominus *
humiliatus sum et liberavit me

114:7 convertere anima mea in requiem tuam *
quia Dominus benefecit tibi

114:8 quia eripuit animam meam de morte
oculos meos a lacrimis *
pedes meos a lapsu

114:9 placebo Domino *
in regione vivorum

115:10 credidi propter quod locutus sum *
ego autem humiliatus sum nimis

115:11 ego dixi in excessu meo *
omnis homo mendax

115:12 quid retribuam Domino *
pro omnibus quae retribuit mihi?

115:13 calicem salutaris accipiam *
et nomen Domini invocabo

115:14 vota mea Domino reddam coram omni populo eius *
115:15 pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius

115:16 O Domine quia ego servus tuus *
ego servus tuus et filius ancillae tuae

disrupisti vincula mea
115:17 tibi sacrificabo hostiam laudis *
et in nomine Domini invocabo

115:18 vota mea Domino reddam
in conspectu omnis populi eius *
115:19 in atriis domus Domini
in medio tui Hierusalem.
116:1 Alleluia!

Psalmus CXVII

Laudate Dominum omnes gentes *
laudate eum omnes populi

116:2 quoniam confirmata est super nos misericordia eius *
et veritas Domini manet in saeculum.
117:1 Alleluia!

Psalmus CXVIII

Confitemini Domino quoniam bonus *
quoniam in saeculum misericordia eius

117:2 dicat nunc Israhel quoniam bonus *
quoniam in saeculum misericordia eius

117:3 dicat nunc domus Aaron *
quoniam in saeculum misericordia eius

117:4 dicant nunc qui timent Dominum *
quoniam in saeculum misericordia eius

117:5 de tribulatione invocavi Dominum *
et exaudivit me in latitudinem Dominus

117:6 Dominus mihi adiutor *
non timebo quid faciat mihi homo

117:7 Dominus mihi adiutor *
et ego despiciam inimicos meos

117:8 bonum est confidere in Domino *

quam confidere in homine

117:9 bonum est sperare in Domino *
quam sperare in principibus

117:10 omnes gentes circumierunt me *
et in nomine Domini quia ultus sum in eos

117:11 circumdantes circumdederunt me *
in nomine autem Domini quia ultus sum in eos

117:12 circumdederunt me sicut apes
et exarserunt sicut ignis in spinis *
et in nomine Domini quia ultus sum in eos

117:13 inpulsus eversus sum ut caderem *
et Dominus suscepit me

117:14 fortitudo mea et laudatio mea Dominus *
et factus est mihi in salutem

117:15 vox exultationis et salutis *
in tabernaculis iustorum

117:16 dextera Domini fecit virtutem
dextera Domini exaltavit me *
dextera Domini fecit virtutem

117:17 non moriar sed vivam *
et narrabo opera Domini

117:18 castigans castigavit me Dominus *
et morti non tradidit me

117:19 aperite mihi portas iustitiae
ingressus in eas confitebor Domino *
117:20 haec porta Domini
iusti intrabunt in eam

117:21 confitebor tibi quoniam exaudisti me *
et factus es mihi in salutem

117:22 lapidem quem reprobaverunt aedificantes *
hic factus est in caput anguli

117:23 a Domino factum est istud *
hoc est mirabile in oculis nostris

117:24 haec est dies quam fecit Dominus *
exultemus et laetemur in ea

117:25 O Domine salvum fac
O Domine prosperare *
117:26 benedictus qui venturus est in nomine Domini

benediximus vobis de domo Domini *
117:27 Deus Dominus et inluxit nobis

constituite diem sollemnem in condensis *
usque ad cornua altaris

117:28 Deus meus es tu et confitebor tibi *
Deus meus es tu et exaltabo te

confitebor tibi quoniam exaudisti me *
et factus es mihi in salutem

117:29 confitemini Domino quoniam bonus *
quoniam in saeculum misericordia eius.

Dies XXIV: Ad Vesperas

Psalmus CXIX

Aleph

118:1 Beati inmaculati in via *
qui ambulant in lege Domini

118:2 beati qui scrutantur testimonia eius *
in toto corde exquirent eum

118:3 non enim qui operantur iniquitatem *
in viis eius ambulaverunt

118:4 tu mandasti *
mandata tua custodire nimis

118:5 utinam dirigantur viae meae *
ad custodiendas iustificationes tuas

118:6 tunc non confundar *
cum perspexero in omnibus mandatis tuis

118:7 confitebor tibi in directione cordis *
in eo quod didici iudicia iustitiae tuae

118:8 iustificationes tuas custodiam *
non me derelinquas usquequaque.

Beth

118:9 In quo corriget adulescentior viam suam? *

in custodiendo sermones tuos

118:10 in toto corde meo exquisivi te *
non repellas me a mandatis tuis

118:11 in corde meo abscondi eloquia tua *
ut non peccem tibi

118:12 benedictus es Domine *
doce me iustificationes tuas

118:13 in labiis meis pronuntiavi *
omnia iudicia oris tui

118:14 in via testimoniorum tuorum delectatus sum *
sicut in omnibus divitiis

118:15 in mandatis tuis exercebor *
et considerabo vias tuas

118:16 in iustificationibus tuis meditabor *
non obliviscar sermones tuos.

Gimel

118:17 Retribue servo tuo *
vivifica me et custodiam sermones tuos

118:18 revela oculos meos *
et considerabo mirabilia de lege tua

118:19 incola ego sum in terra *
non abscondas a me mandata tua

118:20 concupivit anima mea desiderare iustificationes tuas *
in omni tempore

118:21 increpasti superbos *
maledicti qui declinant a mandatis tuis

118:22 aufer a me obprobrium et contemptum *
quia testimonia tua exquisivi

118:23 etenim sederunt principes
et adversum me loquebantur *
servus autem tuus exercebatur
in iustificationibus tuis

118:24 nam et testimonia tua meditatio mea *
et consilium meum iustificationes tuae.

Deleth

118:25 Adhesit pavimento anima mea *
vivifica me secundum verbum tuum

118:26 vias meas enuntiavi et exaudisti me *
doce me iustificationes tuas

118:27 viam iustificationum tuarum instrue me *
et exercebor in mirabilibus tuis

118:28 dormitavit anima mea prae taedio *
confirma me in verbis tuis

118:29 viam iniquitatis amove a me *
et lege tua miserere mei

118:30 viam veritatis elegi *
iudicia tua non sum oblitus

118:31 adhesi testimoniis tuis Domine *
noli me confundere

118:32 viam mandatorum tuorum cucurri *
cum dilatasti cor meum.

Dies XXV: Ad Matutinas

He

118:33 Legem pone mihi Domine viam iustificationum tuarum *
et exquiram eam semper

118:34 da mihi intellectum et scrutabor legem tuam *
et custodiam illam in toto corde meo

118:35 deduc me in semita mandatorum tuorum *
quia ipsam volui

118:36 inclina cor meum in testimonia tua *
et non in avaritiam

118:37 averte oculos meos ne videant vanitatem *
in via tua vivifica me

118:38 statue servo tuo eloquium tuum *
in timore tuo

118:39 amputa obprobrium meum quod suspicatus sum *
quia iudicia tua iucunda

118:40 ecce concupivi mandata tua *
in aequitate tua vivifica me.

Vav

118:41 Et veniat super me misericordia tua Domine *
salutare tuum secundum eloquium tuum

118:42 et respondebo exprobrantibus mihi verbum *
quia speravi in sermonibus tuis

118:43 et ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque *
quia in iudiciis tuis supersperavi

118:44 et custodiam legem tuam semper *
in saeculum et in saeculum saeculi

118:45 et ambulabam in latitudine *
quia mandata tua exquisivi

118:46 et loquebar in testimoniis tuis in conspectu regum *
et non confundebar

118:47 et meditabar in mandatis tuis *
quae dilexi

118:48 et levavi manus meas ad mandata quae dilexi *
et exercebar in iustificationibus tuis.

Zai

118:49 Memor esto verbi tui servo tuo *
in quo mihi spem dedisti

118:50 haec me consolata est in humilitate mea *
quia eloquium tuum vivificavit me

118:51 superbi inique agebant usquequaque *
a lege autem tua non declinavi

118:52 memor fui iudiciorum tuorum a saeculo Domine *
et consolatus sum

118:53 defectio tenuit me *
prae peccatoribus derelinquentibus legem tuam

118:54 cantabiles mihi erant iustificationes tuae *
in loco peregrinationis meae

118:55 memor fui in nocte nominis tui Domine *
et custodivi legem tuam

118:56 haec facta est mihi *
quia iustificationes tuas exquisivi.

Heth

118:57 Portio mea Dominus *
dixi custodire legem tuam

118:58 deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo *
miserere mei secundum eloquium tuum

118:59 cogitavi vias meas et avertisti pedes meos *
in testimonia tua

118:60 paratus sum et non sum turbatus *
ut custodiam mandata tua

118:61 funes peccatorum circumplexi sunt me *
et legem tuam non sum oblitus

118:62 media nocte surgebam ad confitendum tibi *
super iudicia iustificationis tuae

118:63 particeps ego sum omnium timentium te *
et custodientium mandata tua

118:64 misericordia Domini plena est terra *
iustificationes tuas doce me.

Teth

118:65 Bonitatem fecisti cum servo tuo Domine *
secundum verbum tuum

118:66 bonitatem et disciplinam et scientiam doce me *
quia mandatis tuis credidi

118:67 priusquam humiliarer ego deliqui *
propterea eloquium tuum custodivi

118:68 bonus es tu *
et in bonitate tua doce me iustificationes tuas

118:69 multiplicata est super me iniquitas superborum *
ego autem in toto corde scrutabor mandata tua

118:70 coagulatum est sicut lac cor eorum *
ego vero legem tuam meditatus sum

118:71 bonum mihi quia humiliasti me *
ut discam iustificationes tuas

118:72 bonum mihi lex oris tui *
super milia auri et argenti.

Dies XXV: Ad Vesperas

Ioth

118:73 Manus tuae fecerunt me et plasmaverunt me *
da mihi intellectum et discam mandata tua

118:74 qui timent te videbunt me et laetabuntur *
quia in verba tua supersperavi

118:75 cognovi Domine quia aequitas iudicia tua *
et veritate humiliasti me

118:76 fiat misericordia tua ut consoletur me *
secundum eloquium tuum servo tuo

118:77 veniant mihi miserationes tuae et vivam *
quia lex tua meditatio mea est

118:78 confundantur superbi
quia iniuste iniquitatem fecerunt in me *
ego autem exercebor in mandatis tuis

118:79 convertantur mihi timentes te *
et qui noverunt testimonia tua

118:80 fiat cor meum inmaculatum in iustificationibus tuis *
ut non confundar.

Caf

118:81 Defecit in salutare tuum anima mea *
in verbum tuum supersperavi

118:82 defecerunt oculi mei in eloquium tuum *
dicentes quando consolaberis me?

118:83 quia factus sum sicut uter in pruina *
iustificationes tuas non sum oblitus

118:84 quot sunt dies servo tuo *
quando facies de persequentibus me iudicium?

118:85 narraverunt mihi iniqui fabulationes *
sed non ut lex tua

118:86 omnia mandata tua veritas *
inique persecuti sunt me adiuva me

118:87 paulo minus consummaverunt me in terra *
ego autem non dereliqui mandata tua

118:88 secundum misericordiam tuam vivifica me *
et custodiam testimonia oris tui.

Lamed

118:89 In aeternum Domine *
verbum tuum permanet in caelo

118:90 in generationem et generationem veritas tua *
fundasti terram et permanet

118:91 ordinatione tua perseverat dies *
quoniam omnia serviunt tibi

118:92 nisi quod lex tua meditatio mea est *
tunc forte perissem in humilitate mea

118:93 in aeternum non obliviscar iustificationes tuas *
quia in ipsis vivificasti me

118:94 tuus sum ego salvum me fac *
quoniam iustificationes tuas exquisivi

118:95 me expectaverunt peccatores ut perderent me *
testimonia tua intellexi

118:96 omni consummationi vidi finem *
latum mandatum tuum nimis.

Mem

118:97 Quomodo dilexi legem tuam *
tota die meditatio mea est

118:98 super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo *
quia in aeternum mihi est

118:99 super omnes docentes me intellexi *
quia testimonia tua meditatio mea est

118:100 super senes intellexi *
quia mandata tua quaesivi

118:101 ab omni via mala prohibui pedes meos *
ut custodiam verba tua

118:102 a iudiciis tuis non declinavi *
quia tu legem posuisti mihi

118:103 quam dulcia faucibus meis eloquia tua *
super mel ori meo

118:104 a mandatis tuis intellexi *
propterea odivi omnem viam iniquitatis.

Nun

118:105 Lucerna pedibus meis verbum tuum *
et lumen semitis meis

118:106 iuravi et statui *
custodire iudicia iustitiae tuae

118:107 humiliatus sum usquequaque Domine *
vivifica me secundum verbum tuum

118:108 voluntaria oris mei beneplacita fac Domine *
et iudicia tua doce me

118:109 anima mea in manibus meis semper *
et legem tuam non sum oblitus

118:110 posuerunt peccatores laqueum mihi *
et de mandatis tuis non erravi

118:111 hereditate adquisivi testimonia tua in aeternum *
quia exultatio cordis mei sunt

118:112 inclinavi cor meum ad faciendas iustificationes tuas in aeternum *
propter retributionem.

Samech

118:113 Iniquos odio habui *
et legem tuam dilexi

118:114 adiutor meus et susceptor meus es tu *
in verbum tuum supersperavi

118:115 declinate a me maligni *
et scrutabor mandata Dei mei

118:116 suscipe me secundum eloquium tuum et vivam *
et non confundas me ab expectatione mea

118:117 adiuva me et salvus ero *
et meditabor in iustificationibus tuis semper

118:118 sprevisti omnes discedentes a iustitiis tuis *
quia iniusta cogitatio eorum

118:119 praevaricantes reputavi omnes peccatores terrae *
ideo dilexi testimonia tua

118:120 confige timore tuo carnes meas *
a iudiciis enim tuis timui.

Ain

118:121 Feci iudicium et iustitiam *
non tradas me calumniantibus me

118:122 suscipe servum tuum in bonum *
non calumnientur me superbi

118:123 oculi mei defecerunt in salutare tuum *
et in eloquium iustitiae tuae

118:124 fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam *
et iustificationes tuas doce me

118:125 servus tuus sum ego
da mihi intellectum *
et sciam testimonia tua

118:126 tempus faciendi Domino *
dissipaverunt legem tuam

118:127 ideo dilexi mandata tua *
super aurum et topazion

118:128 propterea ad omnia mandata tua dirigebar *
omnem viam iniquam odio habui.

Fe

118:129 Mirabilia testimonia tua *
ideo scrutata est ea anima mea

118:130 declaratio sermonum tuorum inluminat *
et intellectum dat parvulis

118:131 os meum aperui et adtraxi spiritum *
quia mandata tua desiderabam

118:132 aspice in me et miserere mei *
secundum iudicium diligentium nomen tuum

118:133 gressus meos dirige secundum eloquium tuum *
et non dominetur mei omnis iniustitia

118:134 redime me a calumniis hominum *
et custodiam mandata tua

118:135 faciem tuam inlumina super servum tuum *
et doce me iustificationes tuas

118:136 exitus aquarum deduxerunt oculi mei *
quia non custodierunt legem tuam.

Sade

118:137 Iustus es Domine *
et rectum iudicium tuum

118:138 mandasti iustitiam testimonia tua *
et veritatem tuam nimis

118:139 tabescere me fecit zelus meus *
quia obliti sunt verba tua inimici mei

118:140 ignitum eloquium tuum vehementer *
et servus tuus dilexit illud

118:141 adulescentulus sum ego et contemptus *
iustificationes tuas non sum oblitus

118:142 iustitia tua iustitia in aeternum *
et lex tua veritas

118:143 tribulatio et angustia invenerunt me *
mandata tua meditatio mea

118:144 aequitas testimonia tua in aeternum *
intellectum da mihi et vivam.

Dies XXVI: Ad Vesperas

Cof

118:145 Clamavi in toto corde
exaudi me Domine *
iustificationes tuas requiram

118:146 clamavi te
salvum me fac *
et custodiam mandata tua

118:147 praeveni in maturitate et clamavi *
in verba tua supersperavi

118:148 praevenerunt oculi mei ad diluculum *
ut meditarer eloquia tua

118:149 vocem meam audi
secundum misericordiam tuam Domine *
secundum iudicium tuum vivifica me

118:150 adpropinquaverunt persequentes me iniquitate *
a lege autem tua longe facti sunt

118:151 prope es tu Domine *
et omnes viae tuae veritas

118:152 initio cognovi de testimoniis tuis *
quia in aeternum fundasti ea.

Res

118:153 Vide humilitatem meam et eripe me *
quia legem tuam non sum oblitus

118:154 iudica iudicium meum et redime me *
propter eloquium tuum vivifica me

118:155 longe a peccatoribus salus *
quia iustificationes tuas non exquisierunt

118:156 misericordiae tuae multae Domine *
secundum iudicia tua vivifica me

118:157 multi qui persequuntur me et tribulant me *
a testimoniis tuis non declinavi

118:158 vidi praevaricantes et tabescebam *
quia eloquia tua non custodierunt

118:159 vide quoniam mandata tua dilexi Domine *
in misericordia tua vivifica me

118:160 principium verborum tuorum veritas *
et in aeternum omnia iudicia iustitiae tuae.

Sen

118:161 Principes persecuti sunt me gratis *
et a verbis tuis formidavit cor meum

118:162 laetabor ego super eloquia tua *
sicut qui invenit spolia multa

118:163 iniquitatem odio habui et abominatus sum *
legem autem tuam dilexi

118:164 septies in die laudem dixi tibi *
super iudicia iustitiae tuae

118:165 pax multa diligentibus legem tuam *
et non est illis scandalum

118:166 expectabam salutare tuum Domine *
et mandata tua dilexi

118:167 custodivit anima mea testimonia tua *
et dilexi ea vehementer

118:168 servavi mandata tua et testimonia tua *
quia omnes viae meae in conspectu tuo.

Thau

118:169 Adpropinquet deprecatio mea in conspectu tuo Domine *
iuxta eloquium tuum da mihi intellectum

118:170 intret postulatio mea in conspectu tuo *
secundum eloquium tuum eripe me

118:171 eructabunt labia mea hymnum *
cum docueris me iustificationes tuas

118:172 pronuntiabit lingua mea eloquium tuum *
quia omnia mandata tua aequitas

118:173 fiat manus tua ut salvet me *
quoniam mandata tua elegi

118:174 concupivi salutare tuum Domine *
et lex tua meditatio mea

118:175 vivet anima mea et laudabit te *
et iudicia tua adiuvabunt me

118:176 erravi sicut ovis quae periit *
quaere servum tuum
quia mandata tua non sum oblitus.

Dies XXVII: Ad Matutinas

Psalmus CXX

119:1 Ad Dominum cum tribularer clamavi *
et exaudivit me

119:2 Domine libera animam meam a labiis iniquis *
a lingua dolosa

119:3 quid detur tibi et quid adponatur tibi *
ad linguam dolosam?

119:4 sagittae potentis acutae *
cum carbonibus desolatoriis

119:5 heu mihi quia incolatus meus prolongatus est
habitavi cum habitationibus Cedar *
119:6 multum incola fuit anima mea

119:7 cum his qui oderant pacem eram pacificus *
cum loquebar illis inpugnabant me gratis.

Psalmus CXXI

120:1 Levavi oculos meos in montes *
unde veniet auxilium mihi

120:2 auxilium meum a Domino *
qui fecit caelum et terram

120:3 non det in commotionem pedem tuum *
neque dormitet qui custodit te

120:4 ecce non dormitabit neque dormiet *
qui custodit Israhel

120:5 Dominus custodit te
Dominus protectio tua *
super manum dexteram tuam

120:6 per diem sol non uret te *
neque luna per noctem

120:7 Dominus custodit te ab omni malo *
custodiat animam tuam Dominus

120:8 Dominus custodiat introitum tuum et exitum tuum *
ex hoc nunc et usque in saeculum.

Psalmus CXXII

121:1 Laetatus sum in his quae dicta sunt mihi *
in domum Domini ibimus

121:2 stantes erant pedes nostri *
in atriis tuis Hierusalem

121:3 Hierusalem quae aedificatur ut civitas *
cuius participatio eius in id ipsum

121:4 illic enim ascenderunt tribus
tribus Domini *
testimonium Israhel
ad confitendum nomini Domini

121:5 quia illic sederunt sedes in iudicium *
sedes super domum David

121:6 rogate quae ad pacem sunt Hierusalem *
et abundantia diligentibus te

121:7 fiat pax in virtute tua *
et abundantia in turribus tuis

121:8 propter fratres meos et proximos meos *
loquebar pacem de te

121:9 propter domum Domini Dei nostri *
quaesivi bona tibi.

Psalmus CXXIII

122:1 Ad te levavi oculos meos *
qui habitas in caelo

122:2 ecce sicut oculi servorum *
in manibus dominorum suorum

sicut oculi ancillae in manibus dominae eius *
ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum
donec misereatur nostri

122:3 miserere nostri Domine miserere nostri *
quia multum repleti sumus despectione

122:4 quia multum repleta est anima nostra *
obprobrium abundantibus
et despectio superbis.

Psalmus CXXIV

123:1 Nisi quia Dominus erat in nobis
dicat nunc Israhel *
123:2 nisi quia Dominus erat in nobis

cum exsurgerent in nos homines *
123:3 forte vivos degluttissent nos

cum irasceretur furor eorum in nos *
123:4 forsitan aqua absorbuisset nos

123:5 torrentem pertransivit anima nostra *
forsitan pertransisset anima nostra
aquam intolerabilem

123:6 benedictus Dominus
qui non dedit nos *
in captionem dentibus eorum

123:7 anima nostra sicut passer erepta est *
de laqueo venantium

laqueus contritus est *
et nos liberati sumus

123:8 adiutorium nostrum in nomine Domini *
qui fecit caelum et terram.

Psalmus CXXV

124:1 Qui confidunt in Domino sicut mons Sion *
non commovebitur in aeternum qui habitat

124:2 in Hierusalem montes in circuitu eius
et Dominus in circuitu populi sui *
ex hoc nunc et usque in saeculum

124:3 quia non relinquet virgam peccatorum super sortem iustorum *
ut non extendant iusti ad iniquitatem manus suas

124:4 benefac Domine *
bonis et rectis corde

124:5 declinantes autem in obligationes
adducet Dominus cum operantibus iniquitatem *
pax super Israhel.

Dies XXVII: Ad Vesperas

Psalmus CXXVI

125:1 In convertendo Dominum captivitatem Sion *
facti sumus sicut consolati

125:2 tunc repletum est gaudio os nostrum *
et lingua nostra exultatione

tunc dicent inter gentes *
magnificavit Dominus facere cum eis

125:3 magnificavit Dominus facere nobiscum *
facti sumus laetantes

125:4 converte Domine captivitatem nostram *
sicut torrens in austro

125:5 qui seminant in lacrimis *
in exultatione metent

125:6 euntes ibant et flebant *
portantes semina sua

venientes autem venient in exultatione *
portantes manipulos suos.

Psalmus CXXVII

126:1 Nisi Dominus aedificaverit domum *

in vanum laboraverunt qui aedificant eam

nisi Dominus custodierit civitatem *
frustra vigilavit qui custodit

126:2 vanum est vobis ante lucem surgere *
surgere postquam sederitis
qui manducatis panem doloris

cum dederit dilectis suis somnum *
126:3 ecce hereditas Domini
filii mercis fructus ventris

126:4 sicut sagittae in manu potentis *
ita filii excussorum

126:5 beatus vir qui implebit desiderium suum ex ipsis *
non confundentur
cum loquentur inimicis suis in porta.

Psalmus CXXVIII

127:1 Beati omnes qui timent Dominum *
qui ambulant in viis eius

127:2 labores manuum tuarum quia manducabis *
beatus es et bene tibi erit

127:3 uxor tua sicut vitis abundans *
in lateribus domus tuae

filii tui sicut novella olivarum *
in circuitu mensae tuae

127:4 ecce sic benedicetur homo *
qui timet Dominum

127:5 benedicat te Dominus ex Sion *
et videas bona Hierusalem
omnibus diebus vitae tuae

127:6 et videas filios filiorum tuorum *
pax super Israhel.

Psalmus CXXVIII

128:1 Saepe expugnaverunt me a iuventute mea *
dicat nunc Israhel

128:2 saepe expugnaverunt me a iuventute mea *
etenim non potuerunt mihi

128:3 supra dorsum meum fabricabantur peccatores *
prolongaverunt iniquitatem suam

128:4 Dominus iustus concidet cervices peccatorum *
128:5 confundantur et convertantur retrorsum
omnes qui oderunt Sion

128:6 fiant sicut faenum tectorum *
quod priusquam evellatur exaruit

128:7 de quo non implevit manum suam qui metit *
et sinum suum qui manipulos colligit

128:8 et non dixerunt qui praeteribant
benedictio Domini super vos *
benediximus vobis in nomine Domini.

Psalmus CXXX

129:1 De profundis clamavi ad te Domine *
129:2 Domine exaudi vocem meam

fiant aures tuae intendentes *
in vocem deprecationis meae

129:3 si iniquitates observabis Domine *
Domine quis sustinebit?

129:4 quia apud te propitiatio est *
propter legem tuam sustinui te Domine

sustinuit anima mea in verbum eius *
129:5 speravit anima mea in Domino

129:6 a custodia matutina usque ad noctem *
speret Israhel in Domino

129:7 quia apud Dominum misericordia *
et copiosa apud eum redemptio

129:8 et ipse redimet Israhel *
ex omnibus iniquitatibus eius.

Psalmus CXXXI

130:1 Domine non est exaltatum cor meum *
neque elati sunt oculi mei

neque ambulavi in magnis *
neque in mirabilibus super me

130:2 si non humiliter sentiebam *

sed exaltavi animam meam

sicut ablactatum super matrem suam *
ita retributio in anima mea

130:3 speret Israhel in Domino *
ex hoc nunc et usque in saeculum.

Dies XXVIII: Ad Matutinas

Psalmus CXXXII

131:1 Memento Domine David *
et omnis mansuetudinis eius

131:2 sicut iuravit Domino *
votum vovit Deo Iacob

131:3 si introiero in tabernaculum domus meae *
si ascendero in lectum strati mei

131:4 si dedero somnum oculis meis *
et palpebris meis dormitationem

131:5 et requiem temporibus meis
donec inveniam locum Domino *
tabernaculum Deo Iacob

131:6 ecce audivimus eam in Efrata *
invenimus eam in campis silvae

131:7 introibimus in tabernacula eius *
adorabimus in loco ubi steterunt pedes eius

131:8 surge Domine in requiem tuam *
tu et arca sanctificationis tuae

131:9 sacerdotes tui induentur iustitia *
et sancti tui exultabunt

131:10 propter David servum tuum *
non avertas faciem christi tui

131:11 iuravit Dominus David veritatem
et non frustrabit eum *
de fructu ventris tui ponam super sedem tuam

131:12 si custodierint filii tui testamentum meum *
et testimonia mea haec quae docebo eos

et filii eorum usque in saeculum *
sedebunt super sedem tuam

131:13 quoniam elegit Dominus Sion *

elegit eam in habitationem sibi

131:14 haec requies mea in saeculum saeculi *
hic habitabo quoniam elegi eam

131:15 viduam eius benedicens benedicam *
pauperes eius saturabo panibus

131:16 sacerdotes eius induam salutari et sancti eius
exultatione exultabunt

131:17 illic producam cornu David *
paravi lucernam christo meo

131:18 inimicos eius induam confusione *
super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea.

Psalmus CXXXIII

132:1 Ecce quam bonum et quam iucundum *
habitare fratres in unum

132:2 sicut unguentum in capite *
quod descendit in barbam barbam Aaron

quod descendit in ora vestimenti eius *
132:3 sicut ros Hermon
qui descendit in montes Sion

quoniam illic mandavit Dominus benedictionem *
et vitam usque in saeculum.

Psalmus CXXXIV

133:1 Ecce nunc benedicite Dominum *
omnes servi Domini

qui statis in domo Domini *
in atriis domus Dei nostri

133:2 in noctibus extollite manus vestras in sancta *
et benedicite Domino

133:3 benedicat te Dominus ex Sion *
qui fecit caelum et terram.

Psalmus CXXXV

134:1 Alleluia!
Laudate nomen Domini *

laudate servi Dominum

134:2 qui statis in domo Domini *
in atriis domus Dei nostri

134:3 laudate Dominum quia bonus Dominus *
psallite nomini eius quoniam suave

134:4 quoniam Iacob elegit sibi Dominus *
Israhel in possessionem sibi

134:5 quia ego cognovi quod magnus est Dominus *
et Deus noster prae omnibus diis

134:6 omnia quae voluit Dominus fecit in caelo et in terra *
in mare et in omnibus abyssis

134:7 educens nubes ab extremo terrae *
fulgora in pluviam fecit

qui producit ventos de thesauris suis *
134:8 qui percussit primogenita Aegypti
ab homine usque ad pecus

134:9 emisit signa et prodigia in medio tui Aegypte *
in Pharaonem et in omnes servos eius

134:10 qui percussit gentes multas *
et occidit reges fortes

134:11 Seon regem Amorreorum
et Og regem Basan *
et omnia regna Chanaan

134:12 et dedit terram eorum hereditatem *
hereditatem Israhel populo suo

134:13 Domine nomen tuum in aeternum *
Domine memoriale tuum in generationem et generationem

134:14 quia iudicabit Dominus populum suum *
et in servis suis deprecabitur

134:15 simulacra gentium argentum et aurum *
opera manuum hominum

134:16 os habent et non loquentur *
oculos habent et non videbunt

134:17 aures habent et non audient *
neque enim est spiritus in ore eorum

134:18 similes illis fiant qui faciunt ea *
et omnes qui sperant in eis

134:19 domus Israhel benedicite Domino *
domus Aaron benedicite Domino

134:20 domus Levi benedicite Domino *
qui timetis Dominum benedicite Domino

134:21 benedictus Dominus ex Sion *
qui habitat in Hierusalem.
135:1 Alleluia!

Dies XXVIII: Ad Vesperas

Psalmus CXXXVI

Confitemini Domino quoniam bonus *
quoniam in aeternum misericordia eius

135:2 confitemini Deo deorum *
quoniam in aeternum misericordia eius

135:3 confitemini Domino dominorum *
quoniam in aeternum misericordia eius

135:4 qui facit mirabilia magna solus *
quoniam in aeternum misericordia eius

135:5 qui fecit caelos in intellectu *
quoniam in aeternum misericordia eius

135:6 qui firmavit terram super aquas *
quoniam in aeternum misericordia eius

135:7 qui fecit luminaria magna *
quoniam in aeternum misericordia eius

135:8 solem in potestatem diei *
quoniam in aeternum misericordia eius

135:9 lunam et stellas in potestatem noctis *
quoniam in aeternum misericordia eius

135:10 qui percussit Aegyptum cum primogenitis eorum *
quoniam in aeternum misericordia eius

135:11 qui eduxit Israhel de medio eorum *
quoniam in aeternum misericordia eius

135:12 in manu potenti et brachio excelso *
quoniam in aeternum misericordia eius

135:13 qui divisit Rubrum mare in divisiones *
quoniam in aeternum misericordia eius

135:14 et duxit Israhel per medium eius *
quoniam in aeternum misericordia eius

135:15 et excussit Pharaonem et virtutem eius in mari Rubro *
quoniam in aeternum misericordia eius

135:16 qui transduxit populum suum in deserto *
quoniam in aeternum misericordia eius

135:17 qui percussit reges magnos *
quoniam in aeternum misericordia eius

135:18 et occidit reges fortes *
quoniam in aeternum misericordia eius

135:19 Seon regem Amorreorum *
quoniam in aeternum misericordia eius

135:20 et Og regem Basan *
quoniam in aeternum misericordia eius

135:21 et dedit terram eorum hereditatem *
quoniam in aeternum misericordia eius

135:22 hereditatem Israhel servo suo *
quoniam in aeternum misericordia eius

135:23 quia in humilitate nostra memor fuit nostri *
quoniam in aeternum misericordia eius

135:24 et redemit nos ab inimicis nostris *
quoniam in aeternum misericordia eius

135:25 qui dat escam omni carni *
quoniam in aeternum misericordia eius

135:26 confitemini Deo caeli *
quoniam in aeternum misericordia eius

confitemini Domino dominorum *
quoniam in aeternum misericordia eius.

Psalmus CXXXVII

136:1 Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus *
cum recordaremur Sion

136:2 in salicibus in medio eius *
suspendimus organa nostra

136:3 quia illic interrogaverunt nos *

qui captivos duxerunt nos verba cantionum

et qui abduxerunt nos *
hymnum cantate nobis de canticis Sion

136:4 quomodo cantabimus canticum Domini *
in terra aliena?

136:5 si oblitus fuero tui Hierusalem *
oblivioni detur dextera mea

136:6 adhereat lingua mea faucibus meis *
si non meminero tui

si non praeposuero Hierusalem *
in principio laetitiae meae

136:7 memor esto Domine filiorum Edom *
diem Hierusalem

qui dicunt exinanite exinanite *
usque ad fundamentum in ea

136:8 filia Babylonis misera *
beatus qui retribuet tibi retributionem tuam
quam retribuisti nobis

136:9 beatus qui tenebit *
et adlidet parvulos tuos ad petram.

Psalmus CXXVIII

137:1 Confitebor tibi Domine in toto corde meo *
quoniam audisti verba oris mei

in conspectu angelorum psallam tibi *
137:2 adorabo ad templum sanctum tuum
et confitebor nomini tuo

super misericordia tua et veritate tua *
quoniam magnificasti super omne
nomen sanctum tuum

137:3 in quacumque die invocavero te exaudi me *
multiplicabis me in anima mea virtute

137:4 confiteantur tibi Domine omnes reges terrae *
quia audierunt omnia verba oris tui

137:5 et cantent in viis Domini *
quoniam magna gloria Domini

137:6 quoniam excelsus Dominus et humilia respicit *

et alta a longe cognoscit

137:7 si ambulavero in medio tribulationis vivificabis me *
super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam
et salvum me fecit dextera tua

137:8 Dominus retribuet propter me
Domine misericordia tua in saeculum *
opera manuum tuarum ne dispicias.

Dies XXIX: Ad Matutinas

Psalmus CXXXIX

138:2 Domine probasti me et cognovisti me *
tu cognovisti sessionem meam et surrectionem meam

138:3 intellexisti cogitationes meas de longe *
semitam meam et funiculum meum investigasti

138:4 et omnes vias meas praevidisti *
quia non est sermo in lingua mea

138:5 ecce Domine tu cognovisti omnia novissima et antiqua *
tu formasti me et posuisti super me manum tuam

138:6 mirabilis facta est scientia tua ex me *
confortata est non potero ad eam

138:7 quo ibo ab spiritu tuo? *
et quo a facie tua fugiam?

138:8 si ascendero in caelum tu illic es *
si descendero ad infernum ades

138:9 si sumpsero pinnas meas diluculo *
et habitavero in extremis maris

138:10 etenim illuc manus tua deducet me *
et tenebit me dextera tua

138:11 et dixi forsitan tenebrae conculcabunt me *
et nox inluminatio in deliciis meis

138:12 quia tenebrae non obscurabuntur a te
et nox sicut dies inluminabitur *
sicut tenebrae eius ita et lumen eius

138:13 quia tu possedisti renes meos *
suscepisti me de utero matris meae

138:14 confitebor tibi quia terribiliter magnificatus es *
mirabilia opera tua et anima mea cognoscit nimis

138:15 non est occultatum os meum a te
quod fecisti in occulto *
et substantia mea in inferioribus terrae

138:16 inperfectum meum viderunt oculi tui
et in libro tuo omnes scribentur *
die formabuntur et nemo in eis

138:17 mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus *
nimis confirmati sunt principatus eorum

138:18 dinumerabo eos et super harenam multiplicabuntur *
exsurrexi et adhuc sum tecum.

138:19 si occideris Deus peccatores *
et viri sanguinum declinate a me

138:20 quia dices in cogitatione *
accipient in vanitate civitates tuas

138:21 nonne qui oderunt te Domine oderam *
et super inimicos tuos tabescebam?

138:22 perfecto odio oderam illos *
inimici facti sunt mihi

138:23 proba me Deus et scito cor meum *
interroga me et cognosce semitas meas

138:24 et vide si via iniquitatis in me est *
et deduc me in via aeterna.

Psalmus CXL

139:2 Eripe me Domine ab homine malo *
a viro iniquo eripe me

139:3 qui cogitaverunt iniquitates in corde *
tota die constituebant proelia

139:4 acuerunt linguam suam sicut serpentis *
venenum aspidum sub labiis eorum

139:5 custodi me Domine de manu peccatoris *
ab hominibus iniquis eripe me

qui cogitaverunt subplantare gressus meos *
139:6 absconderunt superbi laqueum mihi

et funes extenderunt in laqueum *
iuxta iter scandalum posuerunt mihi

139:7 dixi Domino Deus meus es tu *

exaudi Domine vocem deprecationis meae

139:8 Domine Domine virtus salutis meae *
obumbrasti super caput meum in die belli

139:9 non tradas Domine desiderio meo peccatori *
cogitaverunt contra me ne derelinquas me
ne forte exaltentur

139:10 caput circuitus eorum *
labor labiorum ipsorum operiet eos

139:11 cadent super eos carbones
in igne deicies eos *
in miseriis non subsistent

139:12 vir linguosus non dirigetur in terra *
virum iniustum mala capient in interitu

139:13 cognovi quia faciet Dominus iudicium inopis *
et vindictam pauperum

139:14 verumtamen iusti confitebuntur nomini tuo *
habitabunt recti cum vultu tuo.

Dies XXIX: Ad Vesperas

Psalmus CXLI

140:1 Domine clamavi ad te exaudi me *
intende voci meae cum clamavero ad te

140:2 dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo *
elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum

140:3 pone Domine custodiam ori meo *
et ostium circumstantiae labiis meis

140:4 non declines cor meum in verba malitiae *
ad excusandas excusationes in peccatis

cum hominibus operantibus iniquitatem *
et non communicabo cum electis eorum

140:5 corripiet me iustus in misericordia et increpabit me *
oleum autem peccatoris non inpinguet caput meum

quoniam adhuc et oratio mea in beneplacitis eorum *
140:6 absorti sunt iuncti petrae iudices eorum

audient verba mea quoniam potuerunt *
140:7 sicut crassitudo terrae erupta est super terram

dissipata sunt ossa nostra secus infernum *

140:8 quia ad te Domine Domine oculi mei
in te speravi non auferas animam meam

140:9 custodi me a laqueo quem statuerunt mihi *
et ab scandalis operantium iniquitatem

140:10 cadent in retiaculo eius peccatores *
singulariter sum ego donec transeam.

Psalmus CXLII

141:2 Voce mea ad Dominum clamavi *
voce mea ad Dominum deprecatus sum

141:3 effundo in conspectu eius deprecationem meam *
tribulationem meam ante ipsum pronuntio

141:4 in deficiendo ex me spiritum meum *
et tu cognovisti semitas meas

in via hac qua ambulabam *
absconderunt laqueum mihi

141:5 considerabam ad dexteram et videbam *
et non erat qui cognosceret me

periit fuga a me *
et non est qui requirit animam meam

141:6 clamavi ad te Domine
dixi tu es spes mea *
portio mea in terra viventium

141:7 intende ad deprecationem meam *
quia humiliatus sum nimis

libera me a persequentibus me *
quia confortati sunt super me

141:8 educ de custodia animam meam
ad confitendum nomini tuo *
me expectant iusti donec retribuas mihi.

Psalmus CXLIII

142:1 Domine exaudi orationem meam
auribus percipe obsecrationem meam *
in veritate tua exaudi me in tua iustitia

142:2 et non intres in iudicio cum servo tuo *
quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens

142:3 quia persecutus est inimicus animam meam *
humiliavit in terra vitam meam

conlocavit me in obscuris sicut mortuos saeculi *
142:4 et anxiatus est super me spiritus meus
in me turbatum est cor meum

142:5 memor fui dierum antiquorum
meditatus sum in omnibus operibus tuis *
in factis manuum tuarum meditabar

142:6 expandi manus meas ad te *
anima mea sicut terra sine aqua tibi

142:7 velociter exaudi me Domine *
defecit spiritus meus

non avertas faciem tuam a me *
et similis ero descendentibus in lacum

142:8 auditam mihi fac mane misericordiam tuam *
quia in te speravi

notam fac mihi viam in qua ambulem *
quia ad te levavi animam meam

142:9 eripe me de inimicis meis Domine
ad te confugi *
142:10 doce me facere voluntatem tuam
quia Deus meus es tu

spiritus tuus bonus deducet me in terra recta
142:11 propter nomen tuum Domine vivificabis me *
in aequitate tua

educes de tribulatione animam meam *
142:12 et in misericordia tua disperdes inimicos meos

et perdes omnes qui tribulant animam meam *
quoniam ego servus tuus sum.

Dies XXX: Ad Matutinas

Psalmus CXLIV

143:1 Benedictus Dominus Deus meus
qui docet manus meas ad proelium *
digitos meos ad bellum

143:2 misericordia mea et refugium meum *
susceptor meus et liberator meus

protector meus et in eo speravi *

qui subdis populum meum sub me

143:3 Domine quid est homo quia innotuisti ei? *
aut filius hominis quia reputas eum?

143:4 homo vanitati similis factus est *
dies eius sicut umbra praetereunt

143:5 Domine inclina caelos tuos et descende *
tange montes et fumigabunt

143:6 fulgora coruscationem et dissipabis eos *
emitte sagittas tuas et conturbabis eos

143:7 emitte manum tuam de alto
eripe me et libera me de aquis multis *
de manu filiorum alienorum

143:8 quorum os locutum est vanitatem *
et dextera eorum dextera iniquitatis

143:9 Deus canticum novum cantabo tibi *
in psalterio decacordo psallam tibi

143:10 qui das salutem regibus *
qui redimit David servum suum de gladio maligno
143:11 eripe me

et eripe me de manu filiorum alienigenarum
quorum os locutum est vanitatem *
et dextera eorum dextera iniquitatis

143:12 quorum filii sicut novella plantationis *
in iuventute sua

filiae eorum conpositae *
circumornatae ut similitudo templi

143:13 promptuaria eorum plena *
eructantia ex hoc in illud

oves eorum fetosae abundantes in egressibus suis *
143:14 boves eorum crassi

non est ruina maceriae neque transitus *
neque clamor in plateis eorum

143:15 beatum dixerunt populum cui haec sunt *
beatus populus cuius Dominus Deus eius.

Psalmus CXLV

144:1 Exaltabo te Deus meus rex *
et benedicam nomini tuo

in saeculum et in saeculum saeculi

144:2 per singulos dies benedicam tibi *
et laudabo nomen tuum
in saeculum et in saeculum saeculi

144:3 magnus Dominus et laudabilis nimis *
et magnitudinis eius non est finis

144:4 generatio et generatio laudabit opera tua *
et potentiam tuam pronuntiabunt

144:5 magnificentiam gloriae sanctitatis tuae loquentur *
et mirabilia tua narrabunt

144:6 et virtutem terribilium tuorum dicent *
et magnitudinem tuam narrabunt

144:7 memoriam abundantiae suavitatis tuae eructabunt *
et iustitia tua exultabunt

144:8 miserator et misericors Dominus *
patiens et multum misericors

144:9 suavis Dominus universis *
et miserationes eius super omnia opera eius

144:10 confiteantur tibi Domine omnia opera tua *
et sancti tui confiteantur tibi

144:11 gloriam regni tui dicent *
et potentiam tuam loquentur

144:12 ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam *
et gloriam magnificentiae regni tui

144:13 regnum tuum regnum omnium saeculorum *
et dominatio tua in omni generatione et progenie

fidelis Dominus in omnibus verbis suis *
et sanctus in omnibus operibus suis

144:14 adlevat Dominus omnes qui corruunt *
et erigit omnes elisos

144:15 oculi omnium in te sperant *
et tu das escam illorum in tempore oportuno

144:16 aperis tu manum tuam *
et imples omne animal benedictione

144:17 iustus Dominus in omnibus viis suis *
et sanctus in omnibus operibus suis

144:18 prope est Dominus omnibus invocantibus eum *
omnibus invocantibus eum in veritate

144:19 voluntatem timentium se faciet *
et deprecationem eorum exaudiet et salvos faciet eos

144:20 custodit Dominus omnes diligentes se *
et omnes peccatores disperdet

144:21 laudationem Domini loquetur os meum *
et benedicat omnis caro nomini sancto eius
in saeculum et in saeculum saeculi.

Psalmus CXLVI

145:1 Alleluia!
145:2 Lauda anima mea Dominum
laudabo Dominum in vita mea *
psallam Deo meo quamdiu fuero

nolite confidere in principibus *
145:3 in filiis hominum
quibus non est salus

145:4 exibit spiritus eius et revertetur in terram suam *
in illa die peribunt omnes cogitationes eorum

145:5 beatus cuius Deus Iacob adiutor eius
spes eius in Domino Deo ipsius
145:6 qui fecit caelum et terram *
mare et omnia quae in eis

145:7 qui custodit veritatem in saeculum
facit iudicium iniuriam patientibus *
dat escam esurientibus

Dominus solvit conpeditos *
145:8 Dominus inluminat caecos

Dominus erigit adlisos *
Dominus diligit iustos

145:9 Dominus custodit advenas
pupillum et viduam suscipiet *
et viam peccatorum disperdet

145:10 regnabit Dominus in saecula
Deus tuus Sion *
in generationem et generationem.
Alleluia!

Dies XXX: Ad Vesperas

Psalmus CXLVII

146:1 Alleluia!
Laudate Dominum quoniam bonum psalmus *
Deo nostro sit iucunda decoraque laudatio

146:2 aedificans Hierusalem Dominus *
dispersiones Israhel congregabit

146:3 qui sanat contritos corde *
et alligat contritiones illorum

146:4 qui numerat multitudinem stellarum *
et omnibus eis nomina vocans

146:5 magnus Dominus noster et magna virtus eius *
et sapientiae eius non est numerus

146:6 suscipiens mansuetos Dominus *
humilians autem peccatores usque ad terram

146:7 praecinite Domino in confessione *
psallite Deo nostro in cithara

146:8 qui operit caelum nubibus *
et parat terrae pluviam

qui producit in montibus faenum *
et herbam servituti hominum

146:9 et dat iumentis escam ipsorum *
et pullis corvorum invocantibus eum

146:10 non in fortitudine equi voluntatem habebit *
nec in tibiis viri beneplacitum erit ei

146:11 beneplacitum est Domino super timentes eum *
et in eis qui sperant super misericordia eius

147:12 lauda Hierusalem Dominum *
lauda Deum tuum Sion

147:13 quoniam confortavit seras portarum tuarum *
benedixit filiis tuis in te

147:14 qui posuit fines tuos pacem *
et adipe frumenti satiat te

147:15 qui emittit eloquium suum terrae *
velociter currit sermo eius

147:16 qui dat nivem sicut lanam *
nebulam sicut cinerem spargit

147:17 mittit cristallum suum sicut buccellas *
ante faciem frigoris eius quis sustinebit?

147:18 emittet verbum suum et liquefaciet ea *

flabit spiritus eius et fluent aquae

147:19 qui adnuntiat verbum suum Iacob *
iustitias et iudicia sua Israhel

147:20 non fecit taliter omni nationi *
et iudicia sua non manifestavit eis.
Alleluia!

Psalmus CXLVIII

148:1 Alleluia!
Laudate Dominum de caelis *
laudate eum in excelsis

148:2 laudate eum omnes angeli eius *
laudate eum omnes virtutes eius

148:3 laudate eum sol et luna *
laudate eum omnes stellae et lumen

148:4 laudate eum caeli caelorum *
et aqua quae super caelum est
148:5 laudent nomen Domini

quia ipse dixit et facta sunt *
ipse mandavit et creata sunt

148:6 statuit ea in saeculum et in saeculum saeculi *
praeceptum posuit et non praeteribit

148:7 laudate Dominum de terra *
dracones et omnes abyssi

148:8 ignis grando nix glacies spiritus procellarum *
quae faciunt verbum eius

148:9 montes et omnes colles *
ligna fructifera et omnes cedri

148:10 bestiae et universa pecora *
serpentes et volucres pinnatae

148:11 reges terrae et omnes populi *
principes et omnes iudices terrae

148:12 iuvenes et virgines senes cum iunioribus
laudent nomen Domini *
148:13 quia exaltatum est nomen eius solius

148:14 confessio eius super caelum et terram *
et exaltabit cornu populi sui

hymnus omnibus sanctis eius *
filiis Israhel populo adpropinquanti sibi.
Alleluia!

Psalmus CXLIX

149:1 Alleluia!
Cantate Domino canticum novum *
laus eius in ecclesia sanctorum

149:2 laetetur Israhel in eo qui fecit eum *
et filii Sion exultent in rege suo

149:3 laudent nomen eius in choro *
in tympano et psalterio psallant ei

149:4 quia beneplacitum est Domino in populo suo *
et exaltabit mansuetos in salute

149:5 exultabunt sancti in gloria *
laetabuntur in cubilibus suis

149:6 exaltationes Dei in gutture eorum *
et gladii ancipites in manibus eorum

149:7 ad faciendam vindictam in nationibus *
increpationes in populis

149:8 ad alligandos reges eorum in conpedibus *
et nobiles eorum in manicis ferreis

149:9 ut faciant in eis iudicium conscriptum *
gloria haec est omnibus sanctis eius.
Alleluia!

Psalmus CL

150:1 Alleluia!
Laudate Dominum in sanctis eius *
laudate eum in firmamento virtutis eius

150:2 laudate eum in virtutibus eius *
laudate eum secundum multitudinem magnitudinis eius

150:3 laudate eum in sono tubae *
laudate eum in psalterio et cithara

150:4 laudate eum in tympano et choro *
laudate eum in cordis et organo

150:5 laudate eum in cymbalis bene sonantibus
laudate eum in cymbalis iubilationis *

150:6 omnis spiritus laudet Dominum.
Alleluia!

Orationes et Gratiarum Actiones

Orationes

Ad usum post Collectas Precum Matutinarum vel Vespertinarum, vel separatim.

Orationes pro Mundo

1. Pro Gaudio in Creatione Dei

Pater coelestis, qui amoenitate mundum implevisti: Aperi oculos nostros ut benignam actionem tuam in omnibus operibus tuis conspiciamus; et, gaudentes tota creatione tua, tibi cum laetitia servire discamus; propter illum per quem omnia facta sunt, Filium tuum Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

2. Pro Omnibus Hominibus Cuiuscunque Conditionis

Deus, humani generis Creator et Conservator, supplices te rogamus pro omnibus hominibus cuiuscunque conditionis, ut iis vias tuas, et omnibus gentibus salutare tuum, ostendere digneris. Et praecipue pro bono statu Ecclesiae Catholicae; quam bono Spiritu tuo, quaesumus, ita dirigas et gubernes, ut omnes qui se Christianos profitentur, in viam veritatis ducti, in unitate spiritus, in vinculo pacis, et in iustitia vitae fidem teneant. Postremo paternae bonitati tuae omnes illos commendamus qui quovis modo, in mente, corpore, aut rebus, anguntur aut laborant; [eos praesertim pro quibus orationes nostrae poscuntur,] ut eos, prout variae eorum requirunt necessitates, consolari et relevare digneris, et fortitudinem in patiendo, et felicem e pressuris exitum concedens. Quid propter Iesum Christum te rogamus. *Amen.*

3. Pro Humano Genere

Deus qui nos in imagine tua fecisti et per Iesum Christum Filium tuum redemisti; totum genus humanum misericorditer respice; superbiam odiumque cordibus nostris aufer; muros nos disiungentes demoli; vinculis caritatis nos coniunge; et in media luctatione nostra perturbationeque agens, proposita tua in mundo perfice; ut in bono tempore tuo omnes gentes nationesque circum thronum caelestem tuum concordes tibi serviant; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

4. Pro Pace

Vide etiam collectam # 18 de Occasionibus Diversis

Sempiterne Deus, in cuius regno perfecto nullus gladius destringitur nisi iustitiae, nullae vires cognitae sunt nisi caritatis; sic Spiritum tuum valde diffunde ut omnes gentes sub vexillo Principis Pacis coniungantur sicut filii unius Patris; cui sit regnum et gloria, nunc et in saecula. *Amen*.

5. Pro Pace inter Gentes

Omnipotens Deus, Pater noster caelestis, gentes totius orbis terrarum in viam iustitiae veritatisque inducere dignare, et in eis illam pacem quae fructus iustitiae est confirmare, ut regnum fiant Domini nostri Salvatorisque Iesu Christi. *Amen*.

6. Pro Inimicis nostris

Deus Pater omnium, cuius Filius nos praecepit ut inimicos nostros diligamus, eos nosque ab invidiosa opinione ad veritatem adducere; odio, crudelitate, ultioneque eos nosque liberare; et in bono tempore tuo nos omnes reconciliatos coram te dignos astare habere dignare; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen*.

Orationes pro Ecclesia

7. Pro Ecclesia

Clementissime Pater, oramus pro Ecclesia sancta catholica tua. Eam omni veritate implere dignare, in omni veritate cum omni pace. Ubi corrupta est, ibi eam purifica; ubi errans, ibi eam dirige; ubi quoquomodo deformata, ibi eam reforma. Ubi recta est, ibi eam confirma; ubi inops, ibi ei provide; ubi divisa, ibi eam reconcilia; per Iesum Christum Filium tuum Salvatorem nostrum. *Amen*.

8. Pro Missione Ecclesiae

Vide etiam orationes pro missione Ecclesiae in paginis 58, 100, et 101 [Libri Precum Publicarum] et collectam # 16 de Occasionibus Diversis.

Deus aeterne, qui vis ut omnes ad te per Iesum Christum Filium tuum adveniant, testimonium illi nostrum inspira, ut omnes virtutem veniae eius et spem resurrectionis cognoscant; qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen*.

9. Pro Clero et Populo

Omnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna solus, praetende super famulos tuos Pontifices et Ministros, et super cunctas congregationes illis commissas, Spiritum gratiae salutaris, et ut in veritate tibi complaceant, perpetuum eis rorem tuae benedictionis infunde, per Advocatum et Mediatorem nostrum Iesum Christum. *Amen*.

10. Pro Dioecese

Deus, qui nos huius Dioecesis ad communionem fidei amplam gratia tua convocasti, benedic *N*. Episcopum nostrum (*vel NN*. Episcopos nostros), totum clerum, et omnes laicos nostros. Nobis praesta ut verbum tuum vere praedicetur vereque audiatur, et sacramenta tua fideliter ministrentur fideliterque accipiantur. Per Spiritum tuum ad exemplum Filii tui vitas nostras accommoda et concede ut virtutem caritatis ad omnes in quibus inhabitamus manifestemus; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen*.

11. Pro Parochia

Omnipotens sempiterne Deus, rector omnium in caelo et in terra, suscipe orationes nostras pro hac familia parochiali. Confirma fideles, excita negligentes, et penitentes reconcilia. Da nobis omnia de vita communi necessaria, et concede nobis in sancta Ecclesia tua cor unum et animum unum; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen*.

12. Pro Conventu vel Congressione Ecclesiastico

Vide etiam collectam # 13 de Occasionibus Diversis

Omnipotens sempiterne Deus, fons omnis sapientiae scientiaeque, adesto eis qui pro renovatione missioneque Ecclesiae tuae deliberant. Doce nos in omnibus imprimis honorem tuum gloriamque tuam quaerere. Duc nos ad iustitiam percipiendum, et concede nobis virtutem ad illam persequendum et gratiam ad illam perficiendum; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen*.

13. Pro Electione Episcopi vel alii Ministri

Omnipotens Deus, omnis doni perfecti dator, clementer respice Ecclesiam tuam, et sic dirige mentes eorum qui episcopum pro hoc Dioecese (*vel* rectorem pro hac parochia) eligent, ut pastorem fidelem accipiamus qui populum tuum curabit ad consummationem nostram in opus ministeriorum nostrorum; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen*.

14. Pro Unitate Ecclesiae

O Deus, Pater Domini nostri Iesu Christi, qui unicus est Salvator noster, pacisque Princeps; eam nobis gratiam largiri digneris, ut serio cogitemus, quantis in periculis, ob misera nostra dissidia, versemur. Odia omnia et animi offensiones a nobis procul amove, et quidquid aliud obstare possit, quominus in pia unitate et concordia consentiamus; ut, quomodo unum duntaxat Corpus est, unusque Spiritus, et una nostrae vocationis spes, unus item Dominus, una Fides, unus Baptismus, unusque noster omnium Deus et Pater; ita nos posthac omnes, unanimi et concordes, unoquoque veritatis, pacis, fidei, caritatisque sancto vinculo connexi, vivamus; unaque mente et una voce te glorificemus; per Iesum Christum, Dominum nostrum. *Amen*.

15. Pro Baptizandis vel eis Testamentum Baptismale renovaturis

Deus, qui discipulos tuos ad adventum Spiritus praeparasti per doctrinam Filii tui Iesu Christi, corda mentesque famulorum tuorum parare dignare ad benedictionem accipiendam

Spiritus sancti, ut virtute praesentiae eiusdem impleantur; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

16. Pro Ordinibus Religiosis et Vocationibus

Domine Iesu Christe, qui propter nos egenus factus es ut nos inopia tua divites fiamus, regere et sanctificare dignare, quaesumus, illos quos sub votis paupertatis, castitatis odedientiaeque ad te sequendum vocas, ut per orationes eorum ministeriumque Ecclesiam tuam ditent, et per vitam eorum liturgiamque nomen tuum glorificent; qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

17. Pro Musicis Ecclesiasticis et Artificibus

Deus, quem adorare in caelo sanctis et angelis placet, semper adesto famulis tuis qui per artem musicamque perficere laudes a populo tuo in terra oblatas quaerunt, et concede eis ut formam tuam etiamnunc conspiciant, et eos fac dignos ut denique eam patefactam semper contemplentur; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Orationes pro Vita Patria

18. Pro Patria

Vide etiam collectam # 17 de Occasionibus Diversis.

Omnipotens Deus, qui hanc terram pro hereditate nobis donasti, supplices te rogamus ut semper nosipsos praebeamus populum memorem favoris tuae et secundum voluntatem tuam agere delectemur. Benedic terram nostram cum industria honesta, doctrina vera, et moribus castis. Libera nos a violentia, discordia et perturbatione; a superbia arrogantiaque et ab omni usu pravo. Libertates nostras conserva, et in unam plebem consociatam coniunge multitudines ex gentibus multis linguisque huc congregatas. Spiritu sapientiae imple eos quibus in nomine tuo auctoritatem administrationis commisimus ut iustitiam domesticam pacemque habeamus, et per obedientiam legi tuae laudem tuam in nationibus orbis terrarum annuntiemus. In tempore prosperitatis gratibus imple corda nostra, et die tribulationis patere ne fiducia nostra in te deficiat; quae omnia petimus per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

19. Pro Praesidente Civitatum Foederatorum Americae et omnibus Magistratis

Domine Dominus noster, cuius gloria est in universa terra, hanc nationem ad tuam curam clementem commendamus ut sub providentia tua securi in pace maneamus. Concede Praesidenti Civitatum Foederatorum Americae, Gubernatori huius civitatis (*vel* reipublicae), et omnibus magistratibus, sapientiam virtutemque ut cognoscant voluntatem tuam et secundum eam agant. Dilectione veritatis iustitiaeque imple eos, et fac eos memores vocationis suae ad semper serviendum huic populo in timore tui; per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

20. Pro Congressu vel Legum Latoribus Civitatis

Deus fons sapientiae, cuius voluntas bona clemensque est atque lex est veritas, sic dirige benedicque, quaesumus, Senatores et Legatos in Congressu (*vel* in congressu huius civitatis *vel* in congressu huius reipublicae) congregatos ut tales leges statuant quales tibi placeant ad gloriam tui nominis et ad bonum huius populi; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

21. Pro Iudiciis

Omnipotens Deus qui in throno iustitiam iudicans sedes: supplices te rogamus ut iudicia iudicesque in universa hac terra benedicere digneris; et concede eis Spiritum sapientiae intellectusque ut veritatem discernant et legem severe ministrent in timore tui solius; per illum qui venturus est Iudex noster, Filium tuum Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

22. Pro Administratione Valida

Responsiones licet omitti.

Domine Dominus noster, benedicere digneris ductores patriae nostrae, ut nos populus concors simus et nationibus aliis orbis terrarum benedictio.
Hanc nationem, Domine, sub tuo praesidio conserva.

Praesidenti et consiliariis eius, Gubernatoribus Civitatum, Praefectis urbium, et omnibus magistratibus, concede sapientiam gratiamque ad exercendum officia eorum.
Famulis tuis da gratiam, Domine.

Senatoribus et Legatis, et omnibus legum latoribus in Civitatibus et Urbibus, da fortitudinem, sapientiam, prudentiamque ad providendum necessariis cunctae plebi nostrae, et ad solvendum debita nostra in societate nationum.
Famulis tuis da gratiam, Domine.

Iudicibus et magistratibus iudiciorum da intellectum probitatemque, ut iura humana serventur et iustitia recte ministretur.
Famulis tuis da gratiam, Domine.

Postremo, doce populum nostrum virtuti tuae fidere et officia ad cives consociatos accipere, ut ductores fidos eligant et sapienter decernant pro bono publico societatis nostrae.
Quia tuum, Domine, est regnum, et tu es super omnes principes. Amen.

23. Pro Administratione Regionis

Omnipotens Deus, Pater noster caelestis, in eos qui serviunt in hac civitate (*vel* republica *vel* urbe *vel* regione) spiritum sapientiae, caritatis, iustitiaeque mittere dignare ut in officiis suis constanter fideliterque in bonum omnium consulant; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

24. Pro Electione

Omnipotens Deus, cui rationem reddemus omnium auctoritatum nostrarum privilegiarumque: dirige populum Civitatum Foederatorum (*vel* huius civitatis) in eligendis magistratibus et legatis ut, per fidelem administrationem et leges sapientes, iura omnium serventur et patriae nostrae facultas fiat ad proposita tua perficienda; per Iseum Christum Dominum nostrum. *Amen*.

25. Pro Militibus Patriae nostrae

Omnipotens Deus, curae clementi tuae tutelaeque omnes milites nostros hic et per totam orbem terrarum diffusos commendamus. Gratia caelesti tua eos defende in dies; in tribulationibus eorum tentationibusque robora; concede ut occurrant cum virtute periculis quae eos circumdant, et concede ut ubique constantem praesentiam tuam cognoscant; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen*.

26. Pro Patientibus propter Conscientiam

Deus Pater noster, cuius Filius ignominiam mortemque patiens inimicos suos condonavit: Confirma illos patientes propter conscientiam; cum accusati sint, libera eos ab odiose loquendo; cum repudiati sint, libera eos ab amaro animo; cum incarcerati sint, libera eos a desperando; et nobis famulis tuis, da gratiam ad testimonium eorum verendum et veritatem discernendum, ut societas nostra mundetur et corroboretur; quod petimus propter Iesum Christum, Iudicem nostrum clementem et iustum. *Amen*.

Orationes pro Societate

27. Pro Iustitia Publica

Vide etiam collectam # 21 de Occasionibus Diversis

Concede, Deus, ut Spiritus tuus sanctus et vivificans omne cor humanum sic dirigat [praecipue corda populi huius nationis] ut claustra nos disiungentia frientur, suspiciones diffugiant, et odia desinant; ut nostris divisionibus sanatis in iustitia paceque vivamus; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen*.

28. In Tempore Contentionis

Deus, qui in vita communi nos coniunxisti, adiuva nos cum contendimus pro iustitia veritateque, ut invicem adversentur sine odio et amaro animo, et cum indulgentia honoreque invicem agamus; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen*.

29. Pro Agricultura

Vide etiam collectam # 19 de Occasionibus Diversis.

Omnipotens Deus, tibi gratias agimus quoniam terram fecisti fertilem ut necessaria pro vita ferat: Benedic operantes in agribus; da nobis tempestas opportunas; et concede ut laetentes in largitate tua omnes frugum participes simus; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Vide etiam collectas pro Industriis et Laboribus # 19, 24, et 25 de Occasionibus Diversis.

30. Pro Laboris Privatis

Pater caelestis, respice illos qui laboris privati egestatem anxietatemque patiuntur. Sic dirige populum huius terrae ad usum divitiarum publicarum atque propriarum ut omnis opus aptum habeat, quod vitam suam ornet, et pro labore suo remunerationem iustam accipiat; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

31. Pro Scholis et Collegiis

Sempiterne Deus, omnes scholas, collegia, et universitates benedic [praecipue _____], ut seminaria sint doctrinae verae, inventionis novae, studiique sapientiae, et concede docentibus discentibusque ut te inveniant fontem omnis veritatis; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Vide etiam collectam pro educatione # 23 de Occasionibus Diversis.

32. Pro Bono Usu Temporum Otii

Deus, in cursu huius vitae occupatae da nobis renovationis pacisque tempora; quae gratia tua sic adhibeamus tempora otii ad corpora reaedificanda et mentes renovandas ut animae nostrae bonitatem creatorum tuorum cognoscant; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

33. Pro Urbibus

Pater caelestis, in cuius verbo concessisti nobis ut illam urbem sanctam ad quam gentes mundi gloriam suam adferunt videamus: respice visitaque, quaesumus, urbes totius orbis terrarum. Renova vincula respectus mutui formantia vitam publicam nostram. Mitte nobis ductores probos peritosque. Potestatem da nobis ad amovendum paupertatem, invidiosum praeiudicium, et oppressionem, ut pax cum iustitia vincat, et iustitia cum bono ordine, et homines ex nationibus diversis talenta diversa habentes invicem inveniant completionem naturae humanae suae; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

34. Pro Oppidis et Regionibus Rusticis

Domine Christe, qui in nobis venisti regum Dei annuntians in vicis, oppidis et solitariis locis: Praesta ut praesentia tua potestasque in tota hac terra cognoscantur. Miserere nostri qui in regionibus rusticis [praecipue _____] laboramus et concede ut omnes incolae patriae nostrae tibi gratias agant pro cibo potuque et omnibus necessariis corporeis, et illos ea proferentes reverentur, et terram aquamque ex quo haec bona veniunt honorent. Quae omnia petimus in sancto nomine tuo. *Amen.*

35. Pro Pauperibus et Neglectis

Omnipotens clementissime Deus, respice omnes pauperes et neglectos quorum facile est nobis oblivisci: tecto carentes egentesque, seniores aegrosque et omnes curatorum privatos. Adiuva nos ad sanadum illos corpore menteque saucios et ad mutandum dolorem eorum in laetitiam. Concede hoc, Pater, pro caritate Filii tui, qui propter nos egenus factus est, Iesu Christi Domini nostri. *Amen.*

36. Pro Oppressis

Misericorditer respice, Pater caelestis, illos in hac terra qui cum iniustitia, terrore, morbo, morteque sicut comitibus constantibus vivunt. Miserere nostri. Adiuva nos ut crudelitatem nostram his proximis nostris inflictam tollamus. Confirma eos qui se dedunt ad constituendum omnibus aequum praesidium legum et opportunitates aequas. Et concede ut nos omnes parte iusta divitiarum huius terrae fruamur; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

37. Pro Carceribus

Domine Iesu, qui pro nobis sicut sceleratus condemnatus es, visita carceres nostros misericordia tua iudicioque. Recordare omnes incarceratos, et adfer nocentes secundum voluntatem tuam ad paenitentiam et emendationem vitae, et da eis spem pro futuris. Si quis iniuste incarceratus est, libera eum; condona nos et doce nos ut nostram ministrationem iustitiae corrigamus. Recordare operantes in carceribus; eos serva humanos misericordesque; et libera eos ab atrocitate duritateque. Et quoniam quod pro incarceratis facimus, idem facimus, Domine, pro te, moderare nos ut sortem eorum meliorem faciamus. Quae omnia rogamus pro misericordia tua. *Amen.*

38. Pro Usu Iusto Donorum Dei

Omnipotens Deus, cuius manus caritatis omnes possessiones nostras nobis donavit: da nobis gratiam ut de substantia nostra te honoremus et, memores rationis quam ultimo die reddemus, largitatis tuae fideles procuratores nos praebeamus; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

39. Pro Eis qui Opinionem Publicam Afficiunt

Omnipotens Deus, qui in omni saeculo veritatem tuam per multas voces annuntias; dirige, quaesumus, in nostro tempore, eos loquentes ubi multi audiunt et scribentes quod multi legunt; ut facere adiuvent huius plebis cor sapiens, mentem sanam, et voluntatem iustam; ad honorem Iesu Christi Domini nostri. *Amen.*

Vide collectam pro ministerio publico # 22 de Occasionibus Diversis.

Orationes Pro Ordine Naturali

40. Pro Scientia Creatorum Dei

Omnipotens sempiterne Deus, qui universum mundum in ordine mirabili fecisti, atomos, planetas, orbes lacteos, et multiplices naturas creatorum viventium: Concede ut cum mysteria tui operis creati perscrutemur, te verius cognoscamus, et officium nostrum in tuis propositis aeternis perficiamus; in nomine Iesu Christi Domini nostri. *Amen.*

41. Pro Conservatione Copiarum Naturalium Terrae

Vide etiam collectam # 19 de Occasionibus Diversis.

Omnipotens Deus, qui tam nobis imperium super terrestria donasti, quam nos cooperantes fecisti in creatione tua: Da nobis sapientiam reverentiamque ad sic adhibendum naturales copias terrae, ut nemo per abusum nostrum patiatur, et generationes futurae te pro largitate tua semper laudent; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

42. Pro Messibus Terrarum Aquarumque

Clementissime Pater, qui aperis manum tuam et imples omne animal benedictione: benedic terras et aquas, et messes mundi multiplica; emitte Spiritum tuum, ut faciem terrae renovet; misericordiam tuam manifesta, ut terra nostra gignat germen suum; et libera nos ab avaro usu donorum tuorum, ut homines tibi gratias ubique agant; per Christum Dominum nostrum. *Amen.*

43. Pro Pluvia Petenda

Deus Pater coelestis, qui per Filium tuum unigenitum promisisti universis tuum regnum et eius iustitiam quaerentibus omnia huic vitae necessaria: Da nobis quaesumus in hac nostra necessitate pluviam et imbres tempestivos, ut terrae fructus, ad corporis nostri consolationem, tui nominis honorem, recipere possimus; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

44. Pro Posteritate Humani Generis

Deus Pater caelestis, qui nos benedixisti et nobis imperium super universa terra donasti: reverentiam de vitae mysterio nostram auge; dona nobis cognitionem novam de propositis pro genere humano tuis, et sapientiam novam fortitudinemque ut posteritati eius ex voluntate tua consulamus; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Orationes Pro Vita Domestica et Privata

45. Pro Familiis

Omnipotens Deus, Pater noster caelestis, qui solitarios in familias ponis: tibi semper benevolenti domicilia plebis tuae commendamus. Eradica ex eis, quaesumus, omnem amaritudinem, cupiditatem inanis gloriae, et superbiam vitae. Imple eos fide, virtute, scientia,

abstinentia, patientia et pietate. In amore constanti liga eos qui sancto matrimonio carnis una facti sunt. Converte cor patrum ad filios, et cor filorum ad patres; et in nobis omnibus sic incita caritatem ardentem, ut semper invicem diligamus; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen*.

Oratio pro parentibus in pagina 444 [Libri Precum Publicarum] datur.

46. Pro Curanda Prole

Omnipotens Deus, Pater caelestis, qui nos laetitia curaque prolis benedixisti: Da nobis virtutem serenam et patientem sapientiam filios filiasque educantibus, ut eos diligere quaecumque sunt iusta, vera, et bonae famae doceamus, sequentes exemplum Iesu Christi Domini nostri. *Amen*.

47. Pro Iuvenibus

Deus Pater noster, qui filios suos filiasque vides in mundo instabili perturbantique adolescentes: Manifesta illis ut viae tuae magis vivificent quam viae saeculi, et te sequi melius sit quam lucrum turpe. Eos adiuva ut defectum habeant, non mensuram dignitatis, sed occasionem novae inceptionis. Robora eos ut fidem in te teneant, et creatione continuo laetentur; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen*.

48. Pro Solitariis

Omnipotens Deus, cuius Filius non habuit ubi caput reclinet: Concede ut singularii in solitudine sua non desolati sint, sed vestigia eius sequentes, in dilectione tui proximorumque consummationem vitae inveniant; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen*.

49. Pro Senioribus

Deus Pater noster, misericorditer respice omnes quibus multi anni infirmitatem, afflictionem vel solitudinem afferunt. Concede eis domos dignitatis pacisque; da eis adiutores misericordes, et voluntatem auxilii accipiendi; et, si eis vis deficiat, fidem eorum et fiduciam caritatis tuae augere digneris; quae petimus in nomine Iesu Christi Domini nostri. *Amen*.

50. Die Natali

Deus, in cuius manu sunt tempora nostra: Clementer respice, quaesumus, *N*. famulum tuum (*vel* famulam tuam) annum novum incipientem. Concede ei ut in sapientia gratiaque crescat, et omnibus diebus vitae fiduciam eius confirma in bonitate tua; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen*.

51. Die Natali

Custodi, Domine, filium tuum (*vel* filiam tuam) annis transeuntibus; quem (*vel* quam) benedic dirigeque quocumque eat; quem (*vel* quam) stantem confirma; quem (*vel* quam) animum dimittentem vel lugentem consolare; quem (*vel* quam) si cadat subleva; cuius in corde pax tua

quae superat omnem intellectum maneat omnibus diebus vitae; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

52. Pro Absentibus

Deus, cuius cura paterna ad fines orbis terrarum extendit: Supplices te rogamus ut respicias eos nunc absentes a nobis quos diligimus, et benedicas. Defende eos ab omni periculo animae corporisque, et concede ut nos cum eis, tibi appropinquentes, invicem coniungamur per caritatem tuam in communione Spiritus Sancti, et in societate sanctorum tuorum; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

53. Pro Viatoribus

Deus, Pater noster caelestis, cuius gloria totum mundum implet, et cuius praesentiam ubique invenimus: Servare digneris eos iter facientes [praecipue _____]; eos circumda misericordi cura tua; eos defende ab omni periculo; et eos adfer ad itineris finem tutos; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

54. Pro Dilectis

Omnipotens Deus, omnes quos diligimus curae tuae indeficienti caritatique commendamus, in vita hac et venturi saeculi, cognoscentes te meliora pro illis facere quam velle vel orare possimus; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

55. Pro Afflicto vel Maerente

Misericors Pater, qui in sancto Verbo tuo nos docuisti ut non humilies ex corde tuo et abiicias filios hominis: respice cum misericordia tua dolores famuli tui (*vel* famulae tuae) pro quo (*vel* qua) oramus. In misericordia, Domine, recordare eum (*vel* eam), animam eius patientia nutri, eum (*vel* eam) cognitione bonitatis tuae consolare, converta vultum tuum ad eum (*vel* eam), et dona ei pacem; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

Orationes pro aegris in paginis 458-461 [Libri Precum Publicarum] dantur. Vide etiam collectam # 20 de Occasionibus Diversis.

56. Pro Addictis

Benedicte Domine, qui omnibus tibi appropinquantibus ministrasti: Misericorditer respice omnes qui addicti valetudinem libertatemque perdiderunt. Renova in eis fiduciam in misericordia tua indeficienti; dispelle timores eos circumdantes; confirma eos in opere recreationis, et illis eos curantibus, dona patientiam et caritatem constantem. *Amen.*

57. Pro Moderatione

Actiones nostras, quaesumus, Domine, aspirando praeveni, et adiuvando prosequere, ut cuncta nostra operatio a te semper incipiat, et per te coepta finiatur; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

58. Pro Moderatione

Deus, per quem mansueti in iudicio diriguntur et rectis exortum est in tenebris lumen: Concede nobis mediis in dubiis incertisque gratiam ut rogemus quae nos facere vis, et spiritus sapientiae ab omnibus optionibus falsis liberet, et in lumine tuo lumen videamus, et in via recta tua non offendamus; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

59. Pro Spe Serena

Deus pacis, qui nos docuisti ut si revertamur et quiescamus salvi simus, in silentio et in spe sit fortitudo nostra: Virtute spiritus tui nos eleva, quaesumus, in praesentiam tuam, ubi vacemus et videamus quoniam tu es Deus; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

60. Pro Praesidio

Adesto supplicationibus nostris, misericors Deus, et viam famulorum tuorum in salutis tuae prosperitate dispone, ut inter omnes huius vitae varietates et casus tuo semper protegamur auxilio; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

61. Oratio Sui Consecrandi

Omnipotens sempiterne Deus, sic trahe corda nostra ad te, sic dirige mentes nostras, sic imple cogitationes nostras, sic modera voluntates nostras, ut, absolute tibi dedicati, nos tui in toto simus; deinde nobis uti digneris, quaesumus, secundum voluntatem tuam, semper ad gloriam tuam salutemque plebis tuae; per Iesum Christum Dominum nostrum et Salvatorem. *Amen.*

62. Oratio Sancto Francisco attributa

Fac nos, Domine, instrumenta pacis tuae. Ubi odium, ibi caritatem seramus; ubi iniuria, ibi veniam; ubi dissensio, ibi concordiam; ubi dubium, ibi fidem; ubi desperatio, ibi spem; ubi tenebrae, ibi lucem; ubi tristitia, ibi laetitiam. Concede nobis ut non tantum consolationem quaeramus quam adhibeamus; non tantum comprehendi quaeramus quam comprehendamus; non tantum diligi quaeramus quam diligamus. Quoniam in donando accipiamus; in condonando condonamur; et in moriendo nascimur ad vitam aeternam. *Amen.*

Aliae Orationes

Orationes pro Feria sexta, Sabbato, et Dominica, et pro matutino vespertinoque, in paginis 56, 69, 98, et 123 dantur.

63. Vespertino Tempore

Domine, nos sustinere digneris tota die, dum tenebrae extendantur, et advesperascat, et tumultus tranquilletur, et febris vitae finiatur, et opus nostrum perficiatur. Tunc in misericordia tua, concede nobis hospitium tutum, et requiem sanctam et pacem ad finem. *Amen.*

64. Ante Liturgiam

Omnipotens Deus, qui super omnes sic volentes effundis spiritum gratiae et supplicationis: Libera nos tibi appropinquantes a frigido corde et mente erranti, ut cogitationibus constantibus et animis excitatis te adoremus in spiritu et veritate; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

65. Pro Respondendo Orationi

Omnipotens Deus, qui promisisti te auditurum preces eorum, qui in nomine Filii tui postulant: aures tuas clementer precibus nostris accomoda, et praesta, ut quae fideliter a te petimus, efficaciter consequamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum. *Amen.*

66. Ante Communionem Accipiendam

Vide etiam Orationem Accessionis Humilis in pagina 337 [Libri Precum Publicarum]

Adesto, adesto, O Iesu, Pontifex Maxime noster, sicut discipulis tuis adfuisti, ut te in fractione panis agnoscamus; qui vivis et regnas cum Deo Patre, in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

67. Post Communionem Accipiendam

Domine Iesu Christe, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuae memoriam reliquisti: Tribue, quaesumus, ita nos Corporis et Sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuae fructum in nobis iugiter sentiamus; qui vivis et regnas, cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *Amen.*

68. Post Liturgiam

Largire quaesumus, omnipotens Deus, ut tua sacrosancta verba, quae externis auribus hodie percepimus, ita cordibus nostris per tuam gratiam intus inserantur, ut fructum bonae vitae semper in nobis proferant, ad laudem et gloriam tui Nominis; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

69. In Dominica

Deus Rex noster, qui primo die hebdomadis per resurrectionem Filii tui Iesu Christi peccatum vicisti, mortem fugasti, et nobis spem vitae sempiternae dedisti: Redime per hanc victoriam omnes dies nostros, dimitte peccata nostra, deporta timores nostros, fac ut te laudare et voluntatem tuam facere audeamus; et robora nos ut consummationem regni tui ultimo die magno attendamus; per eundem Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

70. Benedictio super cibum

Pater noster, da nobis corda grata pro omnibus beneficiis tuis, et fac nos memores aliorum necessitatumque eorum; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen.*

vel

Benedic, Domine, haec tua dona ad usum nostrum, et nos ad ministerium tuum; pro Christo. *Amen*.

vel

Benedictus es, Domine Deus, Rex universi, quia nobis cibum donas ut vitas nostras sustineat et corda nostra laeta faciat; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen*.

vel

Propter haec et omnia beneficia eius, sit nomen sanctum Dei benedictum et laudatum; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen*.

Gratiarum Actiones

Gratiarum Actiones Generales

1. Gratiarum Actio Generalis

Accipe, Domine, gratias laudesque pro omnibus quae pro nobis egisti; pro splendore omnium creatorum, pro forma huius mundi, pro mirabilibus vitae et mysterio caritatis;

Pro benedictione familiarum nostrarum amicorumque, et pro cura misericordi nos undique circumvenienti;

Pro eo quod opera nobis delegas quae labores optimos nostros requirunt, et nos adducas ad exsecutiones quae nobis satisfaciunt et nos delectant;

Pro ipsis frustrationibus et defectionibus quae ita nos adducant ut fiduciam nostram in te solo confiteamur;

Maxime pro Filio tuo Iesu Christo; pro veritate verbi eius et exemplo vitae eius; pro obedientia constanti eius, per quam tentationem vicit; pro morte eius per quam mortem vicit; et pro resurrectione eius, qua ad vitam regni tui surrecti sumus.

Concede nobis donum Spiritus tui, ut Christum cognoscamus et annuntiamus; per quem semper et ubique in omnibus tibi gratias agamus. *Amen*.

2. Litania Gratiarum Actionis

Ad usum licitum Die Gratiarum Actionis pro Orationibus Populi ad Eucharistiam, vel tempore quolibet post Collectas Matutinarum Precum vel Vespertinarum Precum, vel separatim.

Gratias agamus Deo Patri nostro pro omnibus donis eius nobis tam libenter datis:

Pro forma mirabilibusque creatorum tuorum in terra et mari et caelo,
Gratias agimus tibi, Domine.

Pro omnibus benignis in vitis virorum mulierumque, imaginem Christi manifestantium,
Gratias agimus tibi, Domine.

Pro cibo quotidiano et potu, domibus et familiis nostris, et amicis,
Gratias agimus tibi, Domine.

Pro mentibus ad cogitandum, cordibus ad diligendum, et manibus ad ministrandum,
Gratias agimus tibi, Domine.

Pro salute virtuteque ad operandum, atque otio ad quiescendum et ludendum,
Gratias agimus tibi, Domine.

Pro fortibus et animosis, patientibus in dolore et fidelibus in calamitate,
Gratias agimus tibi, Domine.

Pro omnibus veritatem, libertatem, iustiamque fortiter quaerentibus,
Gratias agimus tibi, Domine.

Pro communione sanctorum, sempiterna et universa,
Gratias agimus tibi, Domine.

Maxime tibi gratias agimus pro gratiis et promissionibus nobis datis in Iesu Christo Domine nostro;
Cui tecum, O Pater, et cum Spiritu Sancto sit laus et gloria per omnia saecula saeculorum. Amen.

3. Pro Missione Ecclesiae

Omnipotens Deus, qui Filium tuum Iesum Christum misisti ut tibi mundum reconciliet: Laudamus et benedicimus te propter illos a te missos in virtute Spiritus ad Evangelium praedicandum ad omnes gentes. Tibi gratias agimus quoniam in omnibus partibus orbis terrarum societas caritatis per orationes eorum laboresque congregata est, et in omni loco famuli tui nomen tuum invocant; quia tuum est regnum, et potestas, et gloria in saecula. *Amen.*

4. Pro Sanctis et Fidelibus Defunctis

Vide etiam orationem, "Deus, Rex sanctorum", in paginis 489 et 504 [Libri Precum Publicarum].

Domine Deus noster, tibi gratias agimus pro omnibus famulis testibusque in aetatibus prioribus: pro Abraham patre fidelium et pro Sarra uxore eius; pro Moyse legum latore et Aaron sacerdote; pro Maria Iosueque, Debbora Gedeoneque, et Samuhele et Anna matre eius; pro Isaia omnibusque prophetis; pro Maria matre Domini nostri; pro Petro et Paulo omnibusque apostolis; pro Maria et Martha, et Maria Magdalene; pro Stephano protomartyre et omnibus martyribus sanctisque in omni saeculo terraque. In misericordia tua, Domine Deus noster, dona nobis, sicut eis, spem salutis et promissionem vitae sempiternae; per Iesum Christum, primogenitum multorum ex morte, Dominum nostrum. *Amen.*

Gratiarum Actiones pro Vita Patria

5. Pro Natione

Omnipotens Deus, omnium bonorum donator:
Tibi gratias agimus pro maiestate naturali formaque huius terrae, quae nos recreant, etiamsi illas saepe vastamus;
Quare, sana nos.

Tibi gratias agimus pro copiis magnis huius nationis, quae nos ditant, etiamsi illis saepe abutimur;
Quare, condona nos.

Tibi gratias agimus pro viris et mulieribus qui hanc nationem potentem fecerunt, et pro nobis exempla sunt, etiamsi illos illasque saepe non imitamur;
Quare, inspira nos.

Tibi gratias agimus pro face libertatis in hac terra incensa, quae homines ex omni natione attraxit, etiamsi lucem eius saepe occultavimus;
Quare, illumina nos.

Tibi gratias agimus pro fide quam in varietatibus opimis excepimus, quae vitam nostram sustinet, etiamsi identidem infideles fuimus.
Quare, renova nos.

Adiuva nos, Domine, ad perficiendum opus bonum hic inceptum. Confirmare igitur digneris labores nostros ad exterminandum ignorantiam et invidiosum praeiudicium, et abolendum paupertatem et scelera. Mox efficere digneris illum diem in quo populus totus noster, cum multis vocibus in uno choro consociatus, sanctum nomen tuum glorificet. *Amen.*

6. Pro Ministerio Heroico

O Iudex gentium, coram te cum cordibus gratis recordamur viros mulieresque patriae nostrae qui in die discriminis pro libertatibus quibus nunc fruimur multum periclitati sunt.

Concede ut non requiescamus donec omnes gentes huius terrae participes sint beneficiorum libertatis verae et disciplinas eius libenter accipiant; quae petimus in nomine Iesu Christi Domini nostri. *Amen*.

Gratiarum Actiones pro Concordia

7. Pro Diversitate Gentium Morumque

Deus, qui omnes gentes in imagine tua creasti, tibi gratias agimus pro diversitate mirabili gentium et morum in hoc mundo. Locupletare digneris orbibus amicitiae semper patescentibus vitas nostras, et praesentiam tuam in eis dissimillimis nobis manifestare, donec scientia nostra caritatis tuae perficiatur in caritate nostra omnium filiorum tuorum; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen*.

Gratiarum Actiones pro Ordine Naturali

8. Pro Forma Terrae

Tibi gratias agimus, clementissime Deus, pro forma terrae, caeli et maris; pro divitiis montium, camporum, fluminumque; pro cantibus avium et delectatione florum. Te laudamus pro his donis bonis, et oramus ut illa pro posteritate servemus. Concede nobis ut gratiam habentes magis atque magis copiosa creatione tua fruamur, ad honorem gloriamque nominis tui, nunc et in saecula. *Amen*.

9. Pro Messe

Clementissime Deus, cuius sapientia eruperunt abyssi et nubes rore concrescunt: Tibi gratias laudesque ex animo agimus pro reditu sementis et messis, pro germine terrae et collectione fructuum, et pro omnibus aliis benedictionibus providentiae misericordis tuae super hanc nationem populumque collatis. Et concede, quaesumus, ut tantorum beneficiorum memoria mentibus nostris adeo infixa haereat, ut id testatum faciamus vita et moribus, humiliter, sancte, et obsequenter in conspectu tuo ambulando omnibus diebus nostris; per Iesum Christum Dominum nostrum, cui, tecum et cum Spiritu Sancto, sit omnis gloria et honor, per omnia saecula saeculorum. *Amen*.

Gratiarum Actiones Pro Vita Domestica et Privata

10. Pro Dono Parvuli vel Parvulae

Vide etiam Gratiarum Actionem pro Parvulo in pagina 439 [Libri Precum Publicarum].

Pater Caelestis, qui Filium tuum in mundum misisti, tibi gratias agimus pro vita huius parvuli (parvulae) *N*., nostrae curae commissi (commissae). Adiuva nos recordare ut nos omnes filii tui simus, et eum (eam) sic diligere et educare ut occurrat in mensuram illius aetatis

plenitudinis in regno aeterno tuo ei destinatae; propter dilectum Filium tuum Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen*.

11. Pro Refectione

Omnipotens Deus, Pater caelestis, demisse tibi gratias agimus, quia *N*. famulum tuum (famulam tuam), pro quo (qua) nomen tuum benedicimus laudamusque, a morbo liberare dignatus es. Concede, quaesumus, clementissime Pater, ut, te adiuvante, tum iuxta voluntatem tuam in hac vita praesenti vivat, tum particeps quoque fiat aeternae gloriae in futura; per Iesum Christum Dominum nostrum. *Amen*.

Gratiarum Actiones pro defunctis in paginis 487-489 et 503-504 [Libri Precum publicarum] dantur.

Schema Fidei

De Catechismo

Constitutum est imprimis ut hic catechismus a parochis, diaconis et catechistis laicis pro forma ad docendum adhibeatur.

Commentarius est de symbolis, sed non explicatio fidei morisque absoluta; hoc autem, ut solet, in forma quaestionum responsionumque ad facile adhibendum ordinatum est exordium ex quo doctor instruat.

Deinde ut summam doctrinae ecclesiasticae praebeat advenae exquirenti qui Librum Precum tollat.

Adhibeatur quoque ut officium simplex: officians quaelibet sub capitibus hic disposita eligere potest, orationes hymnosque, ut convenit, inducens.

Schema Fidei

vulgo nominata Catechismus

De Natura Humana

Q. Quid naturâ sumus?
R. Pars creationis Dei sumus, in imagine Dei facti.

Q. Quid significat in imagine Dei fieri?
R. Significat nos arbitrium liberum habere eligendi, diligendi, creandi, ratiocinandi, et vivendi cum creatione Dei concordes.

Q. Cur vivimus separati a Deo et creationi discordes?
R. Ab initio homines libertate abusi sumus et inique elegimus.

Q. Cur libertatem nostram non recte adhibemus?
R. Quia in seditione nosmetipsos Deo praeponimus.

Q. Quid nobis adiutorium?
R. Adiutorium nostrum in Deo est.

Q. Quomodo Deus nos primo adiuvit?
R. Deus nos primo adiuvit quod in natura historiaque, per multos vates sanctosque, et praecipue per prophetas Israelis, seipsum voluntatemque suam manifestavit.

De Deo Patre

Q. Quid cognovimus de Deo creatore in revelatione Israeli?
R. Cognovimus unum Deum esse, Patrem omnipotentem, factorem caeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium.

Q. Quid significat?
R. Significat mundum bonum esse; opus unici Dei misericordis qui eum creat, sustinet et dirigit.

Q. Quid significat de loco nostro in mundo?
R. Significat mundum esse Dei nos vocantis qui secundum proposita sua mundo fruamur et eundem curemus.

Q. Quid significat de vita humana?

R. Significat omnes homines dignos esse observantiam honoremque accipere, quoniam omnes, in imagine Dei creati, caritati Dei respondere possunt.

Q. Quomodo haec revelatio nobis tradita est?
R. Haec revelatio nobis tradita est per plebem quae foedere cum Deo creata est.

De Foedere Veteri

Q. Quid significat foedus cum Deo?
R. Foedus est amicitia a Deo instituta, cui corpus hominum fide respondet.

Q. Quid est Foedus Vetus?
R. Foedus Vetus est illud a Deo Hebraeis datum.

Q. Quid eis promisit Deus?
R. Deus promisit ut illi populus suus fierent ad sibi trahendas omnes gentes orbis terrarum.

Q. Quam responsionem ab electis quaerit Deus?
R. Deus quaerit ab electis fideles esse; facere iudicium et diligere misericordiam et sollicitos ambulare cum Deo suo.

Q. Ubi invenitur hoc Foedus Vetus?
R. Foedus cum Hebraeis invenitur in libris sacris eorum, quos Testamentum Vetus appellamus.

Q. Ubi in Testamento Veteri voluntas Dei pro nobis clarissime annuntiatur?
R. Voluntas Dei pro nobis clarissime annuntiatur in Decem Praeceptis.

De Decem Praeceptis

Vide paginas 317 et 350 [Libri Precum Publicarum]

Q. Quae sunt Decem Praecepta?
R. Decem Praecepta leges sunt Moysi plebique Israeli datae.

Q. Quid ex his legibus discimus?
R. Discimus dupliciter: scilicet officium nostrum erga Deum, et erga proximos.

Q. Quid est officium nostrum erga Deum?
R. Officium nostrum est in Deum credere et confidere;

I Deum diligere et illi oboedire et alios ad illum cognoscendum trahere;
II Deo nihil praeponere;
III Deum cogitatione, verbo, et opere venerari;
IV Tempora assidua ad adorandum, precandum, et viis Dei studendum, dedicare.

Q. Quid est officium nostrum erga proximos?
R. Officium nostrum est diligere proximos nostros sicut nosipsos, et facere aliis prout volumus faciant nobis;

V Parentes familiamque diligere, venerari, et adiuvare; magistratus venerari, et mandatis iustis eorum oboedire;

VI Vitam nobis a Deo datam venerari; pro pace agere et orare; nullam malitiam, invidiosum praeiudicium, nec odium in corde tenere; et propitios esse omnibus creaturis Dei;

VII Omnes appetitiones corporeas nostras secundum voluntatem Dei adhibere;

VIII Cum omnibus probe iusteque agere; pro omnibus iustitiam, libertatem et necessaria quaerere; et ingenia et bona nostra adhibere memores rationis quam Deo reddere debemus;

IX Veritatem loqui, et non alios silentio nostro decipere;

X Tentationibus invidiae et avaritiae repugnare; ingeniis gratiisque alienis delectari; et officium nostrum pro caritate Dei facere, qui nos in commmunionem secum vocavit.

Q. Quid est finis Decem Praeceptorum?
R. Decem Praecepta donata sunt ad ordinandam amicitiam nostram cum Deo et proximis nostris.

Q. Quoniam eis non in toto oboedimus, sunt ullo modo utilia?
R. Quoniam eis non in toto oboedimus, peccatum nostrum clarius cognovimus et necessitatem redemptionis.

De Peccato et Redemptione

Q. Quid est peccatum?
R. Peccatum est quaerere voluntatem nostram loco voluntatis Dei, sic nocentes amicitiae nostrae cum Deo, et aliis hominibus, et cuncta creatione.

Q. Quomodo peccatum nobis dominatur?
R. Peccatum nobis dominatur quoniam libertatem nostram perdimus, hac amicitia cum Deo deformata.

Q. Quid est redemptio?
R. Redemptio est actus Dei nos liberans a dominatione mali, peccati, mortisque.

Q. Quomodo nos paravit ad redemptionem Deus?
R. Deus prophetas misit quo nos sibi ipsi revocarent, necessitatem nostram redemptionis manifestarent, et adventum Christi annuntiarent.

Q. Quid significat Christus?
R. Christus est ille a Deo missus ad nos liberandum a dominatione peccati, ut Deo adiuvante concordes vivamus cum Deo, in nobismetipsis, cum proximis nostris creationeque cuncta.

Q. Quem credimus Christum esse?
R. Christus Iesus Nazarenus est, unicus Dei Filius.

De Deo Filio

Q. Quid significamus cum declaremus Iesum esse unicum Filium Dei?
R. Significamus Iesum esse unicam imaginem Patris perfectam, qui nobis naturam Dei revelet.

Q. Quid est natura Dei in Iesu revelata?
R. Deus caritas est.

Q. Quid significamus cum declaremus Iesum conceptum esse de Spiritu Sancto, et incarnatum ex Maria Virgine?
R. Significamus actu Dei ipsius Filium divinum eius naturam humanam nostram accepisse ex Maria Virgine matre sua.

Q. Cur accepit naturam humanam nostram?
R. Filius divinus humanus factus est ut in illo homines adoptarentur sicut filii Dei, et heredes regni Dei fierent.

Q. Quid est tantum momentum passionis mortisque Iesu?
R. Per oboedientiam suam, usque ad passionem mortemque, Iesus oblationem fecit quam non possumus; in quo nos liberati sumus ex dominatione peccati et Deo reconciliati.

Q. Quid significat resurrectio Iesu?
R. Per resurrectionem suam, Iesus mortem vicit et viam nobis aperuit vitae aeternae.

Q. Quid significamus cum declaremus illum descendisse ad inferos?
R. Significamus ad defunctos adiisse et illis quoque beneficia redemptionis obtulisse.

Q. Quid significamus cum declaremus illum ascendisse in caelum et sedisse ad dexteram Patris?
R. Significamus Iesum naturam humanam nostram in caelum sustulisse ubi cum Patre regnat et pro nobis intercedit.

Q. Quomodo participes fimus victoriae eius super peccatum, dolorem, mortemque?
R. Participes fimus victoriae eius si in Foedus Novum baptizati membra viventia Christi fimus.

De Foedere Novo

Q. Quid est Foedus Novum?
R. Foedus Novum est amicitia nova cum Deo a Iesu Christo data apostolis et per illos omnibus in eum credentibus.

Q. Quid promisit Christus in Novo Foedere?
R. Christus promisit ut nos in regnum Dei adferat et nobis vitae abundantiam donet.

Q. Quam responsionem quaerit Christus?
R. Christus praecepit nos in se credere et praecepta sua servare.

Q. Quae sunt praecepta a Christo docta?
R. Christus nos docuit Summam Legis et Mandatum Novum nobis donavit.

Q. Quid est Summa Legis?
R. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. Hoc est maximum et primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut te ipsum.

Q. Quid est Mandatum Novum?
R. Mandatum novum est diligere invicem sicut Christus dilexit nos.

Q. Ubi inveniamus quae Christiani de Christo credunt?
R. Quae Christiani de Christo credunt inveniuntur in sacris Scripturis et summatim describuntur in symbolis.

De Symbolis

Vide paginas 3, 96, 326, 327, et 864 [Libri Precum Publicarum].

Q. Quae sunt symbola?
R. Symbola sunt affirmationes credendorum primorum nostrorum de Deo.

Q. Quot symbola adhibentur a hac Ecclesia in liturgia eius?
R. Haec Ecclesia duo symbola adhibet: scilicet Symbolum Apostolorum et Symbolum Nicaenum.

Q. Quid est Symbolum Apostolorum?
R. Symbolum Apostolorum est symbolum antiquum Baptismatis; quod in cultu quotidiano Ecclesiae dicitur ad memorandum Testamentum Baptismale.

Q. Quid est Symbolum Nicaenum?
R. Symbolum Nicaenum est symbolum Ecclesiae catholicae, et in Eucharistia dicitur.

Q. Quid autem est Symbolum Athanasii?
R. Symbolum Athanasii est documentum antiquum naturam Incarnationis annuntians et Dei ut Trinitatis.

Q. Quid est Trinitas?
R. Trinitas unus Deus est: scilicet Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus.

De Spiritu Sancto

Q. Quis est Spiritus Sanctus?
R. Spiritus Sanctus est Persona Tertia Trinitatis, id est Deus in mundo Ecclesiaque iam agens.

Q. Quomodo revelatur Spiritus Sanctus in Testamento Veteri?
R. Spiritus Sanctus in Testamento Veteri revelatur ut vivificans, qui locutus est per prophetas.

Q. Quomodo revelatur Spiritus Sanctus in Testamento Novo?
R. Spiritus Sanctus in Testamento Novo revelatur ut Dominus qui nos in omnem veritatem inducit et nobis potestatem crescendi in imaginem Christi donat.

Q. Quomodo praesentiam Spiritus Sancti in vitis nostris agnoscimus?
R. Praesentiam Spiritus Sancti agnoscimus cum Iesum Christum ut Dominum confiteamur et in caritatem concordiamque cum Deo, nobismetipsis, proximis nostris, et cuncta creatione inducamur.

Q. Quomodo agnoscimus veritates a Spiritu Sancto doctas?
R. Agnoscimus veritates a Spiritu Sancto doctas esse si concordes cum Scripturis sunt.

De Sacris Scripturis

Q. Quae sunt Sacrae Scripturae?
R. Sacrae Scripturae, quae vulgo Biblia appellantur, sunt Libri Testamenti Veteris et Novi; aliis libris, qui Apocrypha appellantur, saepe in Biblia inclusis.

Q. Quid est Testamentum Vetus?
R. Testamentum Vetus constituitur libris a plebe Foederis Veteris scriptis, Spiritu Sancto inspirante, ad opera Dei manifestandum in natura historiaque.

Q. Quid est Testamentum Novum?
R. Testamentum Novum constituitur libris a plebe Foederis Novi scriptis, Spiritu Sancto eodem inspirante, ad perscribendum vitam doctrinasque Iesu et ad omnibus annuntiandum Evangelium Regni.

Q. Quid est Apocrypha?
R. Apocrypha est congeries librorum adiunctorum a plebe Foderis Veteris scriptorum qui in Ecclesia Christiana recitantur.

Q. Cur Sacras Scripturas appellamus Verbum Dei?
R. Eas appellamus Verbum Dei quoniam Deus auctores humanos eorum inspiravit et Deus adhuc nobis per Bibliam loquitur.

Q. Quomodo significationem Bibliae cognoscimus?

R. Cognoscimus significationem Bibliae, Spiritu Sancto adiuvante, qui Ecclesiam in veram interpretationem Scripturarum moderatur.

De Ecclesia

Q. Quid est Ecclesia?
R. Ecclesia est societas Foederis Novi.

Q. Quomodo in Biblia describitur Ecclesia?
R. Ecclesia describitur ut Corpus cuius Iesu Christo capite baptizati omnes sunt membra. Appellatur autem Plebs Dei, Israel Novus, gens sancta, regale sacerdotium, columna et firmamentum veritatis.

Q. Quomodo in symbolis describitur Ecclesia?
R. Ecclesia describitur ut una, sancta, catholica, et apostolica.

Q. Cur Ecclesia describitur una?
R. Ecclesia una, quoniam unum Corpus est, sub uno capite Domino nostro Iesu Christo.

Q. Cur Ecclesia describitur sancta?
R. Ecclesia sancta, quoniam Spiritus Sanctus eam inhabitat, membra eius consecrat, et eos ad agenda opera Dei dirigit.

Q. Cur Ecclesia describitur catholica?
R. Ecclesia catholica, quoniam Fidem integram omnibus declarat, usque ad consummationem saeculi.

Q. Cur Ecclesia describitur apostolica?
R. Ecclesia apostolica, quoniam perseverat in doctrina apostolorum et communione, et mittitur ad peragendum omnibus hominibus missionem Christi.

Q. Quid est missio Ecclesiae?
R. Missio Ecclesiae est opus restituendorum omnium hominum communioni cum Deo et invicem in Christo.

Q. Quomodo peragit Ecclesia missionem suam?
R. Ecclesia missionem suam peragit dum precans adoransque, Evangelium annuntians, et iustitiae, paci, caritatique favens.

Q. Per quos peragit Ecclesia missionem suam?
R. Ecclesia missionem suam peragit per ministerium omnium membrorum.

De Ministerio

Q. Qui sunt ministri Ecclesiae?
R. Ministri Ecclesiae sunt laici, episcopi, presbyteri, et diaconi.

Q. Quid est ministerium laicorum?
R. Ministerium laici est Christum et Ecclesiam eius exprimere; ei ubique testificare; et secundum ingenia propria sua data, opus reconciliationis Christi in mundo peragere; et locum proprium suum in vita, liturgia, et moderatione Ecclesiae accipere.

Q. Quid est ministerium episcopi?
R. Ministerium episcopi est Christum et Ecclesiam eius exprimere; praecipue ut apostolus, pontifex, et pastor dioecesis; fidem, unitatem, et disciplinam totius Ecclesiae conservare; Verbum Dei annuntiare; in nomine Christi agere ad mundum reconciliandum et Ecclesiam aedificandum; et alios ordinare ut ministerium Christi peragant.

Q. Quid est ministerium sacerdotis vel presbyteri?
R. Ministerium presbyteri est Christum et Ecclesiam eius exprimere, praecipue ut pastor plebis; particeps ministerii episcopi esse in ecclesia procuranda; Evangelium annuntiare; sacramenta ministrare; et in nomine Dei benedicere et veniam pronuntiare.

Q. Quid est ministerium diaconi?
R. Ministerium diaconi est Christum et Ecclesiam eius exprimere, praecipue ut minister egentium; et episcopos presbyterosque adiuvare in Evangelio proclamando et sacramentis ministrandis.

Q. Quid est opus omnium Christianorum?
R. Debent omnes Christiani Christum sequi; omni hebdomade ad liturgiam convenire; et laborare, orare, et donare ad regni Dei profectum.

De Oratione Cultuque

Q. Quid est oratio?
R. Oratio est Deo responsum, cogitatione et opere, verbis vel sine verbis.

Q. Quid est oratio Christiana?
R. Oratio Christiana est Deo Patri responsum per Iesum Christum virtute Spiritus Sancti.

Q. Quam orationem nos docuit Christus?
R. Dominus noster nobis donavit exemplum orationis quod Oratio Dominica apellatur.

Vide paginam 364 [Libri Precum Publicarum].

Q. Quae sunt genera principalia orationis?
R. Genera principalia orationis sequentes sunt, scilicet adoratio, laudatio, gratiarum actio, paenitentia, oblatio, intercessio, et petitio.

Q. Quid est adoratio?
R. Adoratio fit cum cor mentemque ad Deum sublevemus, nihil petentes praeter quod praesentia Dei fruamur.

Q. Cur Deum laudamus?
R. Deum laudamus, non ut quidquam obtineamus, sed quia Substantia Dei a nobis laudes attrahit.

Q. Pro quo gratias agimus?
R. Gratias Deo agimus pro omnibus huius vitae beneficiis, redemptione nostra, et quocumque quod ad Deum nos propius inducit.

Q. Quid est paenitentia?
R. In paenitentia, peccata nostra confitemur et, si possit, damnum restituimus, in animo habentes vitam nostram emendare.

Q. Quid est oblationis oratio?
R. In oblatione, nosmetipsos offerimus, et vitas et labores, in communione Christi ad proposita Dei.

Q. Quae sunt intercessio petitioque?
R. In intercessione, ad Deum necessaria aliena adferimus; in petitione, nostra, ut voluntas Dei fiat.

Q. Quid est cultus publicus?
R. In cultu publico, nos aliis coniungimus ad agnoscendum Dei sanctitatem, Verbum Dei audiendum, orationes offerandum, et sacramenta celebrandum.

De Sacramentis

Q. Quae sunt sacramenta vel mysteria?
R. Sacramenta sunt signa externa et visibilia gratiae internae et spiritualis a Christo data, tanquam instrumenta firma et certa per quae illam gratiam accipimus.

Q. Quid est gratia?
R. Gratia est favor Dei erga nos, non meritus; per quam Deus peccata nostra dimittit, mentes nostras illuminat, corda nostra excitat, et voluntates nostras roborat.

Q. Quae sunt duo sacramenta magna Evangelii?
R. Duo sacramenta magna a Christo Ecclesiae suae data sunt Sanctum Baptisma et Sancta Eucharistia.

De Sancto Baptismate

Q. Quid est Sanctum Baptisma?
R. Sanctum Baptisma est sacramentum per quod Deus nos adoptat ut filios suos et nos membra Corporis Christi Ecclesiae facit, et heredes regni Dei.

Q. Quid est in Baptismate externum et visibile signum?

R. Signum externum et visibile in Baptismate est aqua, qua quis baptizatur in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Q. Quae est in Baptismate gratia interna et spiritualis?
R. Gratia interna et spiritualis in Baptismate est cum Christo coniungi in morte eius resurrectioneque, in familiam Dei Ecclesiam nasci, remissionem peccatorum accipere vitamque novam in Spiritu Sancto.

Q. Quid a nobis in Baptismate exigitur?
R. Exigitur ut Satanam abrenuntiemus, peccata nostra derelinquamus, et Iesum accipiamus ut Dominum nostrum Salvatoremque.

Q. Quare ergo baptizantur infantes?
R. Infantes baptizantur ut participes Foederis et Christi et redemptionis Dei fiant.

Q. Quomodo promissiones pro infantibus faciuntur et peraguntur?
R. Promissiones pro eis a parentibus sponsoribusque faciuntur, qui ex promisso illos infantes in Ecclesia educaturi sunt ut Christum cognoscant et eum sequi possint.

De Sancta Eucharistia

Q. Quid est sancta Eucharistia?
R. Sancta Eucharistia est sacramentum a Christo mandatum ad semper commemorandam vitam eius, et mortem resurrectionemque, donec veniat.

Q. Cur Eucharistia appellatur sacrificium?
R. Quoniam Eucharistia, sacrificium Ecclesiae laudis et gratiarum actionis, est modus per quem sacrificium Christi praesens fit, et quo unicae oblationi sui ipsius nos iungit.

Q. Quibus aliis nominibus appellatur hoc officium?
R. Sancta Eucharistia appellatur Cena Domini, et Sacra Communio; alias Divina Liturgia, Missa, et Oblatio Magna.

Q. Quid est in Eucharistia externum et visibile signum?
R. Signum externum et visibile in Eucharistia est Panis et Vinum, quae secundum mandatum Christi dantur et accipiuntur.

Q. Quae est in Eucharistia gratia interna et spiritualis data?
R. Gratia interna et spiritualis in Sacra Communione est Corpus et Sanguis Christi quae plebi eius dantur, et fide accipiuntur.

Q. Quae sunt beneficia in Cena Domini a nobis accepta?
R. Beneficia quae accipimus sunt remissio peccatorum nostrorum, incrementum cum Christo et invicem communionis nostrae, et praegustatum illius convivii caelestis quo in aeterna vita nos epulabimus.

Q. Quid a nobis, qui ad Eucharistiam accedimus, exigitur?

R. Exigitur ut vitas nostras probemus, peccata nostra derelinquamus, et ad omnes habeamus caritatem.

De Aliis Ritibus Sacramentalibus

Q. Qui alii ritus sacramentales in Ecclesia, Spiritu Sancto moderante, evoluti sunt?
R. Alii ritus sacramentales evoluti in Ecclesia sunt confirmatio, ordinatio, sacrum matrimonium, reconciliatio paenitentis, et unctio.

Q. Quomodo differunt a duobus sacramentis Evangelii?
R. Quamquam instrumenta gratiae sunt, non omnibus necessaria eodem modo sunt quo Baptisma et Eucharistia.

Q. Quid est Confirmatio?
R. Confirmatio ritus est quo fidem maturam in Christo declaramus, et a Spiritu Sancto corroboramur per orandum et manus ab episcopo imponendas.

Q. Quid a confirmandis requiritur?
R. A confirmandis requiritur ut baptizati sint, in fide Christiana satis docti sint, paenitentiam pro peccatis egerint, et ad confitendum Iesum ut Salvatorem Dominumque parati sint.

Q. Quid est Ordinatio?
R. Ordinatio ritus est quo Deus auctoritatem gratiamque Spiritus Sancti illis committit qui episcopi, presbyteri vel diaconi per orandum et manus episcopales imponendas fiunt.

Q. Quid est Sacrum Matrimonium?
R. Sacrum Matrimonium est nuptiae Christianae quo mulier et vir in perpetuum iunguntur, vota sua coram Deo Ecclesiaque faciunt, et gratiam benedictionemque Dei accipiunt ad eos adiuvandos ut vota sua teneant.

Q. Quid est Unctio Aegrotorum?
R. Unctio ritus est in quo aegroti oleo unguuntur, vel manuum impositionem accipiunt, per quem gratia Dei ad sanandum spiritum, mentem, corpusque datur.

Q. Circumscribiturne actio Dei in his ritibus?
R. Deus non se retinet ad hos ritus; quae exempla sunt modorum innumerabilium quibus Deus rebus corporeis ad nos advenit.

Q. Quomodo sacramenta ad spem nostram Christianam pertinent?
R. Sacramenta spem nostram praesentem sustinent, et consummatam spem venturam exspectant.

De Spe Christiana

Q. Quid est spes Christiana?

R. Spes Christiana est cum fiducia vivere in novitate et plenitudine vitae, et Christum cum gloria adventurum exspectare, consummationemque propositorum Dei pro mundo.

Q. Quid significat "Christum cum gloria adventurum"?
R. "Christum cum gloria adventurum" significat Christum adventurum esse, non cum infirmitate sed potentia, et omnia renovaturum.

Q. Quid significant "caelum" et "inferi"?
R. "Caelum" significat vitam aeternam in Deo fruendo; et "inferi" significat mortem perpetuam in Deo repudiando.

Q. Cur pro defunctis oramus?
R. Oramus pro eis, quoniam in caritate nostra adhuc eos tenemus, et credimus coram Deo eos qui ei servire optaverunt in caritate eius crescere, donec eum sicut ipse vere est videant.

Q. Quid significat Iudicium Ultimum?
R. Credimus Christum cum gloria adventurum esse iudicare vivos et mortuos.

Q. Quid significat resurrectio carnis?
R. Significat Deum nos ex morte suscitaturum esse in plenitudine substantiae nostrae, ut cum Christo in communione sanctorum vivamus.

Q. Quid est communio sanctorum?
R. Communio sanctorum est cuncta familia Dei, scilicet et viventes et defuncti, et illi quos diligimus necnon quos laedimus, in Christo coniuncta sacramento, oratione, et laudatione.

Q. Quid significat vita aeterna?
R. Vita aeterna significat novam creationem, in qua cuncta cum plebe Dei coniuncti in Deum invicemque plene cognoscendo et diligendo gaudemus.

Q. Quid ergo est fiducia nostra Christiana?
R. Fiducia nostra Christiana est nihil, ne mortem quidem, nos separare posse a caritate Dei quae est in Christo Iesu Domino nostro. Amen.

Documenta Historica Ecclesiae

Definitio Unitionis Divinae Naturae et Humanae Naturae in Persona Christi

Concilium Chalcedonense, 451 A.D., Act. V

Sequentes igitur sanctos patres unum eundemque confiteri Filium Dominum nostrum Iesum Christum consonanter omnes docemus eundem perfectum in Deitate, eundem perfectum in humanitate, Deum vere et hominem vere eundem ex anima rationali et corpore, consubstantialem (*homoousios*) Patri secundem Deitatem et consubstantialem nobis secundum humanitatem, per omnia nobis similem absque peccato, ante saecula quidem de Patre genitum secundum Deitatem, in novissimis autem diebus eundem propter nos et propter salutem nostram ex Maria Virgine Dei genetrice (*Theotokos*) secundum humanitatem, unum eundemque Christum Filium Dominum Unigenitum, in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseperabiliter agnoscendum, nusquam sublata differentia naturarum propter unitionem magisque salva proprietate utriusque naturae et in unam personam atque subsistentiam concurrente, non in duas personas partitium sive divisum, sed unum et eundem Filium Unigenitum Deum Verbum Dominum Iesum Christum, sicut ante prophetae de eo et ipse nos Iesus Christus erudivit et patrum nobis symbolum tradidit.

Quicunque Vult

vulgo nominatum

Symbolum Sancti Athanasii

Quicunque vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat Catholicam Fidem:
Quam nisi quisque integram inviolatamque servaverit, absque dubio in aeternam peribit.
Fides autem Catholica haec est: ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in unitate veneremur, neque confundentes personas, neque substantiam seperantes.
Alia est enim persona Patris alia Filii, alia Spiritus Sancti:
Sed Patris, et Fili, et Spiritus Sancti una est divinitas, aequalis gloria, coeterna maiestas.
Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus Sanctus.
Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus Sanctus.
Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus Sanctus.
Aeternus Pater, aeternus Filius, aeternus Spiritus Sanctus.
Et tamen non tres aeterni, sed unus aeternus.
Sicut non tres increati, nec tres immensi, sed unus increatus, et unus immensus.
Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus Sanctus.
Et tamen non tres omnipotentes, sed unus omnipotens.
Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus.
Et tamen non tres dii, sed unus est Deus.
Ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus Sanctus.
Et tamen non tres Domini, sed unus est Dominus.
Quia, sicut singillatim unamquamque personam Deum ac Dominum confiteri christiana veritate compelimur:
Ita tres Deos aut Dominos dicere catholica religione prohibemur.
Pater a nullo est factus: nec creatus, nec genitus.

Filius a Patre solo est: non factus, nec creatus, sed genitus.
Spiritus Sanctus a Patre et Filio: non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.
Unus ergo Pater, non tres Patres: unus Filius, non tres Filii: unus Spiritus Sanctus, non tres Spiritus Sancti.
Et in hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil maius aut minus:
Sed totae tres personae coaeternae sibi sunt et coaequales.
Ita ut per omnia, sicut iam supra dictum est, et unitas in Trinitate, et Trinitas in unitate veneranda sit.
Qui vult ergo salvus esse, ita de Trinitate sentiat.

Sed necessarium est ad aeternam salutem, ut incarnationem quoque Domini nostri Iesu Christi fideliter credat.
Est ergo fides recta ut credamus et confiteamur, quia Dominus noster Iesus Christus, Dei Filius, Deus et homo est.
Deus est ex substantia Patris ante saecula genitus: et homo est ex substantia matris in saeculo natus.
Perfectus Deus, perfectus homo: ex anima rationali et humana carne subsistens.
Aequalis Patri secundum divinitatem: minor Patre secundum humanitatem.
Qui licet Deus sit et homo, non duo tamen, sed unus est Christus.
Unus autem non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum.
Unus omnino, non confusione substantiae, sed unitate personae.
Nam sicut anima rationalis et caro unus est homo: ita Deus et homo unus est Christus.
Qui passus est pro salute nostra: descendit ad inferos: tertia die resurrexit a mortuis.
Ascendit ad caelos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis: inde venturus est iudicare vivos et mortuos.
Ad cuius adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis: et reddituri sunt de factis propriis rationem.
Et qui bona egerunt, ibunt in vitam aeternam: qui vero mala, in ignem aeternum.
Haec est Fides Catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.

Praefatio

Primus Liber Precum Publicarum (A.D. 1549)

Nihil unquam fuit humana sapientia tam bene constitutum, aut constabilitum firmiter, quod processu temporis non labefactaretur, et corrumperetur. Et ut de aliis exemplis taceam, hoc manifestum est de forma publicarum precum in Ecclesia, quas vulgus cultum Dei vocare consuevit. De harum origine si quis consulat Autenticos scriptores, inveniet non alia ratione institutas esse, quam ut fides, pietasque ac religio Christiana cresceret, et doctrina latius propagaretur. Nam sancti Patres ita rem instituerunt, ut tota Biblia, aut maior horum pars, semel in anno praelegeretur, hoc consilio, ut Clerici, et praesertim Ministri Ecclesiae frequenti lectione et meditatione Scripturae seipsos excitarent ad pietatem, et instructiores redderentur ad docendam Ecclesiam verbo Dei, et refutandos adversarios verae doctrinae. Deinde, ut populus ex quotidiana lectione sacrorum librorum in templis, cresceret subinde magis ac magis in vera cognitione Dei, et Domini nostri Iesu Christi, et per id accenderetur ad studium et amorem verae Religionis.

Sed multis retro ab hinc annis, haec pia et salutaris Patrum constitutio ita neglecta, mutata, et corrupta fuit additione incertarum Historiarum (ut nihil durius dicam) Responsoriorum, Versuum, et inutilium repetitionum, commemorationum, et aliarum Synodalium constitutionum, ut semper fere cum inciperetur liber aliquis sacer, priusquam tria, aut quatuor capita absolverentur, nihil temporis superesset pro reliqua parte scripti, ut exempli gratia, visio Esaiae Prophetae incipiebatur prima Dominica Adventus, Ita liber Geneseos Dominica Septuagesimae incipiebatur, Sed incipiebatur tantum, quia nunquam finiebatur. Et ad hunc modum fiebat de aliis. Praeterea, etiamsi Paulus iubeat sacram lectionem fieri lingua populari, ut inde aedificetur Ecclesia, tamen aliquot seculis Sacri libri praelegebantur ad Anglos Latine, ut is qui legeret plerumque daret sine mente sonum, ut vox tantum aerem et aures feriret, corda, spiritus, et, mentes fructu vacarent. Ad haec, etsi sancti Patres diviserunt Psalmos in septem partes, quas nocturnas preces vocant, ut Psalterium integrum singulis septimanis absolveretur, raro tamen his postremis temporibus huic ordinationi fuit satisfactum, Sed omnibus diebus iidem psalmi repetebantur, aliis interim omnino omissis. Postremo tantus fuit numerus, tanta varietas regularum, picae ut vocabant, tot mutationes in officio Ecclesiastico, quod revolutio libri, ad inveniendum quid legeretur plus negotii, et difficultatis haberet, quam lectio huius, quod fuerat inventum.

Horum, et similium incommodorum consideratione revocavimus officium Ecclesiasticum ad primam institutionem, iuxta consilium sanctorum Patrum, et ut omnia sint in promptu, praefixum est Calendarium facile intellectu, et in quo, quantum fieri potuit, totius scripturae continua lectio proponitur ordine, ita ut nulla sit interruptio, aut separatio locorum in sacris Bibliis coniunctorum. Hoc ut commode fieret, necesse fuit omittere Antiphonas, Responsoria, Invitatoria, et alia quaedam similia, quae disiungebant perpetuum contextum, et continuam lectionem scripturae.

Et quia conducit ad huius ordinis et perpetui contextus Sacrorum librorum intellectum, praefigere quosdam Canones. Ideo aliquos huic operi praefiximus, qui ut numero pauci, ita intellectione sunt facilimi. Sic enim ordo precationum (quantum ad scripturam attinet) dispositus est, ut multo magis conveniat cum consilio institutionis sanctorum Patrum, et multo commodior atque utilior sit, quam fuerit illa, qua antea sumus usi. Quod autem maiorem habeat utilitatem, vel ex eo facile intellegi potest, quod in eo multa sint omissa de illis rebus, quae sunt incertae, quaedam etiam confictae, nonnullae superstitiosae. Et quod in hac ordinatione nihil contineatur, praeter purum verbum Dei, et sacras literas, vel quod in evidente et necessaria consecutione ex istis deducitur, idque hoc ordine, illo idiomate, ut et a lectoribus et auditoribus haud difficile percipi, et retineri possit. Est praeterea haec ordinatio commodior, propter brevitatem, et manifestum ordinem, et paucas regulas apertas. Et quia ministris Ecclesiae nihil opus est aliis libris in publico ministerio, si hunc et Sacra Biblia teneant, quo fit etiam ut plebecula facilius ferre possit sumptus in coemendis libris in unaquaque Parochia, quam unquam antea.

Est et illud in hac ordinatione illustre, et quod omnes ad decorum non solum, sed ευταξιαν et ευσχημοσυνην utile et necessarium iudicant, quod in omnibus huius regni Ecclesiis, eaedem lectiones et cantiones, idem in his ordo posthac observabitur, cum antea singulae Diocaeses suam habuerint ordinationem, ut alii Salisbariensem, alii Erfordensem, alii Eboracensem, aut Linconiensem etc. sequerentur. Si autem quispiam queratur, difficiliorem esse hanc ordinationem, propterea quod oporteat iam omnia ex libro recitare, cum antea ex solo auditu propter crebram repetitionem multa addisci possent, is si conferet utilitatem intelligentiae, quam ex quotidiana lectione sacrorum librorum consequetur cum labore, facile hanc molestiam devorabit.

Quia vero nulla ordinatio tam perspicue proponi potest, de quo non oriantur interdum disputationes in quotidiano usu, constitutum est, ut quoties dubia occurrunt aut incidunt inter ministros, deferatur

res ad Episcopum Dioceseos, cuius iudicio in hac re acquiescent, modo ut nihil constituat, quod palam cum hac ordinatione pugnet.

Etsi autem ante dictum sit, omnia in publico ministerio populari lingua debere pronunciari ad aedificationem Ecclesiae, tamen per hoc praeceptum non prohibetur, quin quilibet ea lingua, quam intelligit, extra publicum ministerium possit preces Matutinas et Vespertinas orare. Neque etiam volumus quenquam obligari ad harum precationum recitationem, nisi qui fuerit minister publicus in Ecclesia, Cathedrali, collegio, aut Parrochia aliqua, vel Capella huic annexa.

Latine redditus ab Alexandro Alesio Scoto, A.D. 1551

Articuli Religionis

Sicut constituti ab Episcopis, Clero, et Laicis
Ecclesiae Protestantis Episcopalis in Civitatibus Foederatis
Americae, in Conventu, die xii
Septembris, Anno Domini, MDCCCI.

I. De Fide in Sacrosanctam Trinitatem.

Unus est vivus et verus Deus, aeternus, incorporeus, impartibilis, impassibilis, immensae potentiae, sapientiae, ac bonitatis, creator et conservator omnium, tum visibilium tum invisibilium. Et in unitate huius divinae naturae tres sunt Personae eiusdem essentiae, potentiae, ac aeternitatis, Pater, Filius, et Spiritus Sanctus.

II. De Verbo, sive Filio Dei, qui verus homo factus est.

Filius, qui est Verbum Patris, ab aeterno a Patre genitus, verus et aeternus Deus, ac Patri consubstantialis in utero beate Virginis ex illius substantia naturam humanam assumpsit: ita ut duae naturae, divina et humana, integre atque perfecte in unitate personae, fuerint inseparabiliter coniunctae: ex quibus est unus Christus, verus Deus et verus homo: qui vere passus est, crucifixus, mortuus, et sepultus, ut Patrem nobis reconciliaret, essetque hostia non tantum pro culpa originis verum etiam pro omnibus actualibus hominum peccatis.

III. De descensu Christi ad Inferos.

Quemadmodum Christus pro nobis mortuus est, et sepultus, ita est etiam credendus ad inferos descendisse.

IV. De Resurrectione Christi.

Christus vere a mortuis resurrexit, suumque corpus cum carne, ossibus, omnibusque ad integritatem humanae naturae pertinentibus, recepit, cum quibus in coelum ascendit, ibique residet, quoad extremo die ad iudicandos homines reversurus sit.

V. De Spiritu Sancto.

Spiritus sanctus, a Patre et Filio procedens, eiusdem est cum Patre et Filio essentiae, maiestatis, et gloriae, verus ac aeternus Deus.

VI. De Divinis Scripturis, quod sufficiant ad Salutem.

Scriptura sacra continet omnia, quae ad salutem sunt necessaria, ita, ut quicquid in ea nec legitur, neque inde probari potest, non sit a quoquam exigendum, ut tanquam articulus fidei credatur, aut ad salutis necessitatem requiri putetur.

Sacrae Scripturae nomine, eos Canonicos libros Veteris et Novi Testamenti intelligimus, de quorum authoritate in Ecclesia nunquam dubitatum est.

De nominibus et numero librorum sacrae Canonicae Scripturae veteris Testamenti.

Genesis.
Exodus.
Leviticus.
Numeri.
Deuteronomium.
Iosuae.
Iudicum.
Ruth.
Prior liber Samuelis.
Secundus liber Samuelis.
Prior liber Regum.
Secundus liber Regum.
Prior liber Paralipomenon.
Secundus liber Paralipomenon.
Primus liber Esdrae.
Secundus liber Esdrae.
Liber Hester.
Liber Iob.
Psalmi.
Proverbia.
Ecclesiastes vel Concionator.
Cantica Solomonis.
Quatuor Prophetae Maiores.
Duodecim Prophetae Minores.

Alios autem libros (ut ait Hieronymus) legit quidem Ecclesia ad exempla vitae et formandos mores; illos tamen ad dogmata confirmanda non adhibet: ut sunt:

Tertius liber Esdrae.
Quartus liber Esdrae.
Liber Tobiae.
Liber Iudith.
Reliquum libri Hester.
Liber Sapientiae.

Liber Iesu filii Sirach.
Baruch Propheta. Canticum trium puerorum.
Historia Susannae.
De Bel et Dracone.
Oratio Manassis.
Prior liber Machabaeorum.
Secundus liber Machabaeorum.

Novi Testamenti omnes libros (ut vulgo recepti sunt) recipimus, et habemus pro Canonicis.

VII. De Veteri Testamento.

Testamentum Vetus Novo contrarium non est, quandoquidem tam in Veteri quam in Novo per Christum, qui unicus est Mediator Dei et hominum, Deus et Homo, aeterna vita humano generi est proposita. Quare male sentiunt, qui veteres tantum in promissiones temporarias sperasse confingunt. Quanquam lex a Deo data per Mosen, quoad ceremonias et ritus, Christianos non astringat, neque civilia eius praecepta in aliqua republica necessario recipi debeant: nihilominus tamen ab obendientia mandatorum quae moralia vocantur nullus quantumvis Christianus est solutus.

VIII. De Symbolis.

Symbolum Nicaenum, et quod vulgo Apostolorum appellatur, omnino recipienda sunt et credenda; nam firmissimis Scriptuarum testimoniis probari possunt.

Articulus primitivus cui assensus Regalis in MDLXXI datus est, et qui in MDCLXII reaffirmatus est, appellatus est "De Tribus Symbolis"; et sic inceptus est, "Symbola tria, Nicaenum, Athanasii, et quod vulgo Apostolorum appellatur . . ."

IX. De Peccato Originali.

Peccatum originis non est (ut fabulantur Pelagiani) in imitatione Adami situm, sed est vitium et depravatio naturae eiuslibet hominis ex Adamo naturaliter propagati, qua fit ut ab originali iustitia quam longissime distet, ad malum sua natura propendeat, et caro semper adversus spiritum concupiscat; unde in unoquoque nascentium iram Dei atque damnationem meretur. Manet etiam in renatis haec naturae depravatio, qua fit ut affectus carnis, Graece *phrónema sarcós* (quod alii sapientiam, alii sensum, alii affectum, alii studium carnis interpretantur), legi Dei non subiiciatur. Et quanquam renatis et credentibus, nulla propter Christum est condemnatio, peccati tamen in sese rationem habere concupiscentiam fatetur Apostolus.

X. De Libero Arbitrio.

Ea est hominis post lapsum Adae conditio, ut sese, naturalibus suis viribus et bonis operibus, ad fidem et invocationem Dei convertere ac praeparare non possit. Quare absque gratia Dei, quae per Christum est, nos praeveniente ut velimus, et cooperante dum volumus, ad pietatis opera facienda, quae Deo grata sint et accepta, nihil valemus.

XI. De Hominis Iustificatione.

Tantum propter meritum Domini ac Servatoris nostri Iesu Christi, per fidem, non propter opera et merita nostra, iusti coram Deo reputamur. Quare sola fide nos iustificari, doctrina est saluberrima, ac consolationis plenissima; ut in Homilia de Iustificatione hominis fusius explicatur.

XII. De Bonis Operibus.

Bona opera, quae sunt fructus fidei et iustificatos sequuntur, quanquam peccata nostra expiare et divini iudicii severitatem ferre non possunt, Deo tamen grata sunt et accepta in Christo, atque ex vera et viva fide necessario profluunt, ut plane ex illis aeque fides viva cognosci possit atque arbor ex fructu iudicari.

XIII. De Operibus ante Iustificationem.

Opera quae fiunt ante gratiam Christi et Spiritus eius afflatum, eum ex fide Iesu Christi non prodeant, minime Deo grata sunt, neque gratiam (ut multi vocant) de congruo merentur: imo cum non sint facta ut Deus illa fieri voluit et praecepit, peccati rationem habere non dubitamus.

XIV. De Operibus Supererogationis.

Opera quae supererogationis appellant non possunt sine arrogantia et impietate praedicari. Nam illis declarant homines non tantum se Deo reddere quae tenentur, sed plus in eius gratiam facere quam deberent: eum aperte Christus dicat: Cum feceritis omnia quaecunque praecepta sunt vobis, dicte, Servi inutiles sumus.

XV. De Christo, qui solus est sine Peccato.

Christus in nostrae naturae veritate per omnia similis factus est nobis, excepto peccato, a quo prorsus est immunis, tum in carne tum in spiritu. Venit ut agnus absque macula esset, qui mundi peccata per immolationem sui semel factam tolleret: et peccatum, ut inquit Iohannes, in eo non erat. Sed nos reliqui, etiam baptizati et in Christo regenerati, in multis tamen offendimus omnes: et, si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est.

XVI. De Peccato post Baptismum.

Non omne peccatum mortale post Baptismum voluntarie perpetratum, est peccatum in Spiritum Sanctum, et irremissibile. Proinde lapsis a Baptismo in peccata locus penetentiae non est negandus. Post acceptum Spiritum Sanctum possumus a gratia data recedere atque peccare, denuoque per gratiam Dei resurgere ac resipiscere. Ideoque illi damnandi sunt qui se quamdiu hic vivant, amplius non posse peccare affirmant, aut vere resipiscentibus veniae locum denegant.

XVII. De Praedestinatione et Electione.

Praedestinatio ad vitam est aeternum Dei propositum, quo, ante iacta mundi fundamenta, suo consilio, nobis quidem occulto, constanter decrevit eos, quos in Christo elegit ex hominum genere, a maledicto et exitio liberare, atque ut vasa in honorem efficta per Christum ad aeternam salutem adducere. Unde qui tam praeclaro Dei beneficio sunt donati, illi, Spiritu eius opportuno tempore operante, secundum propositum eius vocantur; iustificatur gratis; adoptantur in filios Dei; unigeniti eius Iesu Christi imagini efficiuntur conformes; in bonis operibus sancti ambulant; et demum ex Dei misericordia pertingunt ad sempiternam felicitatem.

Quemadmodum Praedestinationis et Electionis nostrae in Christo pia consideratio dulcis, suavis, et ineffabilis consolationis plena est vere piis et his qui sentiunt in se vim Spiritus Christi, facta carnis et membra quae adhuc sunt super terram mortificantem, animumque ad coelestia et superna rapientem, tum quia fidem nostram de aeterna salute consequenda per Christum plurimum stabilit atque confirmat, tum quia amorem nostrum in Deum vehementer accendit: ita hominibus, curiosis carnalibus et Spiritu Christi destitutis, ob oculos perpetuo versari Praedestinationis Dei sententiam perniciosissimum est praecipitium, unde illos diabolus protrudit vel in desperationem vel in aeque pernitiosam impurissimae vitae securitatem.

Deinde promissiones divinas sic amplecti oportet, ut nobis in sacris literis generaliter propositae sunt; et Dei voluntas in nostris actionibus ea sequenda est quam in verbo Dei habemus deserte revelatam.

XVIII. De speranda aeterna Salute tantum in Nomine Christi.

Sunt et illi anathematizandi qui dicere audent unumquemque in lege aut secta quam profitetur esse servandum, modo iuxta illam et lumen naturae accurate vixerit: eum sacrae literae tantum Iesu Christi nomen praedicent in quo salvos fieri homines oporteat.

XIX. De Ecclesia.

Ecclesia Christi visibilis est coetus fidelium, in quo verbum Dei purum praedicatur et sacramenta, quoad ea quae necessario exiguntur, iuxta Christi institutum recte administrantur. Sicut erravit Ecclesia Hierosolymitana, Alexandrina, et Antiochena: ita et erravit Ecclesia Romana, non solum quoad agenda et caeremoniarum ritus, verum in his etiam quae credenda sunt.

XX. De Ecclesiae Auctoritate.

Habet Ecclesia ritus sive caerimonias statuendi ius et in fidei controversiis auctoritatem; quamvis Ecclesiae non licet quicquam instituere quod verbo Dei scripto adversetur, neque unum Scripturae locum sic exponere potest, ut alteri contradicat. Quare licet Ecclesia sit divinorum librorum testis et conservatrix; attamen, ut adversus eos nihil decernere, ita praeter illos nihil credendum de necessitate salutis debet obtrudere.

XXI. De Auctoritate Conciliorum Generalium.

[Vicesimus primus Articulorum priorum omittitur; quoniam pars loci civitatisque cuiusdam est, et reliqua in Articulis aliis suppeditantur.]

Textus primitivus, an. MDLXXI et MDCLXII, huius Articuli, omissus in forma an. MDCCCI, sic legitur: "Generalia Concilia sine iussu et voluntate principum congregari non possunt. Et ubi convenerint, quia ex hominibus constant, qui non omnes Spiritu et verbo Dei reguntur, et errare possunt, et interdum errarunt, etiam in his quae ad normam pietatis pertinent. Ideoque quae ab illis constituuntur, ut ad salutem necessaria, neque robur habent neque auctoritatem nisi ostendi possint e sacris literis esse desumpta."

XXII. De Purgatorio.

Doctrina Romanensium de Purgatorio, de Indulgentiis, de Veneratione et Adoratione tum Imaginum tum Reliquiarum, nec non de Invocatione Sanctorum, res est futilis, inaniter conflicta, et nullis Scripturarum testimoniis innititur; imo verbo Dei contradicit.

XXIII. De Ministrando in Ecclesia.

Non licet cuiquam sumere sibi munus publice praedicandi aut administrandi Sacramenta in Ecclesia, nisi prius fuerit ad haec obeunda legitime vocatus et missus. Atque illos legitime vocatos et missos existimare debemus, qui per homines, quibus potestas vocandi ministros atque mittendi in vineam Domini publice concessa est in Ecclesia, co-optati fuerint et asciti in hoc opus.

XXIV. De loquendo in Ecclesia Lingua quam populus intelligit.

Lingua populo non intellecta publicas in Ecclesia preces peragere, aut Sacramenta administrare, verbo Dei et primitivae Ecclesiae consuetudini plane repugnat.

XXV. De Sacramentis.

Sacramenta a Christo instituta non tantum sunt notae professionis Christianorum, sed certa quaedam potius testimonia et efficacia signa gratiae atque bonae in nos voluntatis Dei, per quae invisibiliter ipse in nobis operatur, nostramque fidem in se, non solum excitat verum etiam confirmat.

Duo a Christo Domino nostro in Evangelio instituta sunt Sacramenta, scilicet, Baptismus et Coena Domini.

Quinque illa vulgo nominata Sacramenta, scilicet, Confirmatio, Poenitentia, Ordo, Matrimonium, et Extrema Unctio, pro Sacramentis Evangelicis habenda non sunt, ut quae partim a prava Apostolorum imitatione profluxerunt, partim vitae status sunt in Scripturis quidem probati, sed Sacramentorum eandem cum Baptismo et Coena Domini rationem non habentes, ut quae signum aliquod visibile seu ceremoniam a Deo institutam non habeant.

Sacramenta non in hoc instituta sunt a Christo ut spectarentur aut circumferrentur sed ut rite illis uteremur. Et in his duntaxat qui digne percipiunt, salutarem habent effectum: qui vero indigne perci piunt, damnationem, ut inquit Paulus, sibi ipsis acquirunt.

XXVI. De Vi Institutionum divinarum, quod eam non tollat Malitia Ministrorum.

Quamvis in Ecclesia visibili bonis mali semper sunt admixti, atque interdum ministerio verbi et sacramentorum administrationi praesint ; tamen cum non suo sed Christi nomine agant, eiusque mandato et auctoritate ministrent, illorum ministerio uti licet cum in verbo Dei audiendo tum in sacramentis percipiendis. Neque per illorum malitiam effectus institutorum Christi tollitur aut gratia donorum Dei minuitur quoad eos qui fide et rite sibi oblata percipiunt, quae propter institutionem Christi et promissionem efficacia sunt, licet per malos administrentur.

Ad Ecclesiae tamen disciplinam pertinet, ut in malos ministros inquiratur, accusenturque ab his qui eorum flagitia noverint; atque tandem, iusto convicti iudicio, deponantur.

XXVII. De Baptismo.

Baptismus non est tantum professionis signum ac discriminis nota qua Christiani a non Christianis discernantur, sed etiam est signum regenerationis, per quod, tanquam per instrumentum, recte baptismum suscipientes Ecclesiae inseruntur; promissiones de remissione peccatorum atque adoptione nostra in filios Dei per Spiritum Sanctum visibiliter obsignantur; fides confirmatur, et vi divinae invocationis gratia augetur. Baptismus parvulorum omnino in Ecclesia retinendus est, ut qui cum Christi institutione optime congruat.

XXVIII. De Coena Domini.

Coena Domini non est tantum signum mutae benevolentiae Christianorum inter sese; verum potius est Sacramentum nostrae per mortem Christi Redemptionis. Atque ideo rite digne et cum fide sumentibus, Panis quem frangimus est communicatio Corporis Christi: similiter Poculum Benedictionis est communicatio Sanguinis Christi.

Panis et Vini transubstantiatio in Eucharistia ex sacris literis probari non potest, sed apertis Scripturae verbis adversatur, Sacramenti naturam evertit, et multarum superstitionum dedit occasionem.

Corpus Christi datur, accipitur, et manducatur in Coena, tantum coelestis et spirituali ratione. Medium autem quo corpus Christi accipitur et manducatur in Coena, Fides est.

Sacramentum Eucharistiae ex institutione Christi non servabatur, circumferebatur, elevabatur, nec adorabatur.

XXIX. De manducatione Corporis Christi, et Impios illud non manducare.

Impii et viva fide destituti, licet carnaliter et visibiliter (ut Augustinus loquitur) Corporis et Sanguinis Christi Sacramentum dentibus premant, nullo tamen modo Christi participes efficiuntur; sed potius tantae rei Sacramentum seu symbolum ad iudicium sibi manducant et bibunt.

XXX. De utraque Specie.

Calix Domini laicis non est denegandus, utraque enim pars Dominici sacramenti, ex Christi institutione et praecepto, omnibus Christianis ex aequo administrari debet.

XXXI. De unica Christi oblatione in Cruce perfecta.

Oblatio Christi, semel facta, perfecta est redemptio, propitiatio, et satisfactio pro omnibus peccatis totius mundi, tam originalibus quam actualibus; neque praeter illam unicam est ulla alia prop peccatis expiatio. Unde missarum sacrificia, quibus vulgo dicebatur sacerdotem offerre Christum in remissionem poenae aut culpae pro vivis et defunctis, blasphema figmenta sunt et pernitiosae imposturae.

XXXII. De Coniugio Sacerdotum.

Episcopis, Prebyteris et Diaconis nullo mandato divino praeceptum est, ut aut coelibatum voveant aut a matrimonio absteneant. Licet igitur etiam illis, ut caeteris omnibus Christianis, ubi hoc ad pietatem magis facere iudicaverint, pro suo arbitratu matrimonium contrahere.

XXXIII. De Excommunicatis Vitandis.

Qui per publicam Ecclesiae denunciationem rite ab unitate Ecclesiae praecisus est et excommunicatus, is ab universa fidelium multitudine, donec per poenitentiam publice reconciliatus fuerit arbitrio iudicis competentis, habendus est tanquam ethnicus et publicanus.

XXXIV. De Traditionibus Ecclesiasticis.

Traditiones atque caeremonias easdem non omnino necessarium est esse ubique, aut prorsus consimiles; nam et variae semper fuerunt et mutari possunt, pro regionum temporum et morum diversitate, modo nihil contra verbum Dei instituatur.

Traditiones et caeremonias ecclesiasticas quae cum verbo Dei non pugnant et sunt autoritate publica institutae atque probatae, quisquis privato consilio volens et data opera publice violaverat, is ut qui peccat in publicum ordinem Ecclesiae, quique laedit autoritatem magistratus, et qui infirmorum fratrum conscientias vulnerat, publice, ut caeteri timeant, arguendus est.

Quaelibet Ecclesia particularis sive nationalis autoritatem habet instituendi mutandi aut abrogandi caeremonias aut ritus ecclesiasticos, humana tantum autoritate institutos, modo omnia ad aedificationem fiant.

XXXV. De Homiliis.

Tomus secundus Homiliarum, quarum singulos titulos huic Articulo subiunximus, continet piam et salutarem doctrinam et his temporibus necessarium, non minus quam prior tomus Homiliarum, quae editae sunt tempore Edwardi Sexti: itaque eas in Ecclesiis per ministros diligenter et clare, ut a populo intelligi possint, recitandas esse iudicamus.

De Nominibus Homiliarum

1 Of the right Use of the Church.
2 Against Peril of Idolatry.
3 Of repairing and keeping clean of Churches.
4 Of good Works: first of Fasting.
5 Against Gluttony and Drunkenness.
6 Against Excess of Apparel.
7 Of Prayer.
8 Of the Place and Time of Prayer.
9 That Common Prayers and Sacraments ought to be ministered in a known tongue.
10 Of the reverend Estimation of God's Word.
11 Of Alms-doing.
12 Of the Nativity of Christ.
13 Of the Passion of Christ.
14 Of the Resurrection of Christ.
15 Of the worthy receiving of the Sacrament of the Body and Blood of Christ.
16 Of the Gifts of the Holy Ghost.
17 For the Rogation- days.
18 Of the State of Matrimony.

19 Of Repentance.
20 Against Idleness.
21 Against Rebellion.

[Hic Articulus in hac Ecclesia accipitur, qua declarat Tomum Homiliarum explicationem esse doctrinae Christianae, et aptum ad docendum pietatem ac mores. Sed omnes loci attingentes civitatis statui et legibus Angliae aestimantur non valentes esse condicionibus huius Ecclesiae; quae etiam intermittit mandatum ad recitandum Homilia dicta in ecclesiis, donec nova recensio eorum faciatur, ad purgandum ea, tam a verbis antiquatis ac locutionibus, quam a rebus localibus.]

XXXVI. De Episcoporum et Ministrorum Consecratione.

Libellus de Consecratione Episcoporum et de ordinatione Presbyterorum et Diaconorum, ut editus A.D. MDCCXCII in Conventu Generali huius Ecclesiae, omnia ad eiusmodi consecrationem et ordinationem necessaria continet; et nihil habet quod ex se sit aut supersitiosum aut impium. Itaque quicunque iuxta Formam dictam consecrati aut ordinati sunt, rite, atque ordine, atque legitime statuimus esse et fore consecratos et ordinatos.

Textus primitivus, an. MDLXXI et MDCLXII, huius Articuli, sic legitur: "Libellus de Consecratione Archiepiscoporum et Episcoporum et de ordinatione Presbyterorum et Diaconorum, editus nuper temporibus Edwardi Sexti et auctoritate Parliamenti illis ipsis temporibus confirmatus, omnia ad eiusmodi consecrationem et ordinationem necessaria continet; et nihil habet quod ex se sit aut supersitiosum aut impium. Itaque quicunque iuxta ritus illius libri consecrati aut ordinati sunt, ab anno secundo praedicti Regis Edwardi usque ad hoc tempus aut in posterum iuxta eosdem ritus consecrabuntur aut ordinabuntur, rite, atque ordine, atque legitime statuimus esse et fore consecratos et ordinatos."

XXXVII. De Civilibus Magistratibus.

Potestas Civilis Magistratus pertinet ad omnes homines, tam Clericos quam Laicos, in omnibus temporalibus; sed nullam auctoritatem habet in solis spiritualibus. Et tenemus officium esse omnium hominum Evangelium confitentium, ut reverenter obediant Imperio Civili, si recte et legitime constitutum est.

Textus primitivus, an. MDLXXI et MDCLXII, huius Articuli, sic legitur: "Regia Maiestas in hoc Angliae regno ac caeteris eius dominiis summam habet potestatem, ad quam omnium statuum huius regni, sive illi ecclesiastici sive civiles, in omnibus causis suprema gubernatio pertinet, et nulli externae iurisdictioni est subiecta, necesse debet. Cum Regiae Maiestati summam gubernationem tribuimus, quibus titulis intelligimus animos quorundam calumniatorum offendi, non damus regibus nostris aut verbi Dei aut sacramentorum administrationem, quod etiam Iniunctiones ab Elizabetha Regina nostra nuper editae apertissime testantur: sed eam tantum prerogativam quam in Sacris Scripturis a Deo ipso omnibus piis principibus videmus semper fuisse attributam, hoc est, ut omnes status atque ordines fidei suae a Deo commissos, sive illi ecclesiastici sint sive civiles, in officio contineant, et contumaces ac delinquentes gladio civili coerceant.

Romanus Pontifex nullam habet iurisdictionem in hoc regno Angliae.

Leges regni possunt Christianos propter capitalia et gravia crimina morte punire.

Christianis licet ex mandato Magistratus arma portare et iusta bella administrare."

XXXVIII. De illicita Bonorum communicatione.

Facultates et Bona Christianorum non sunt communia quoad ius et possessionem, ut quidam Anabaptistae falso iactant; debet tamen quisque de his quae possidet, pro facultatum ratione, pauperibus eleemosynas benigne distribuere.

XXXIX. De Iureiurando.

Quemadmodum iuramentum vanum et temerarium a Domino nostro Iesu Christo et Apostolo eius Iacobo Christianis hominibus interdictum esse fatemur, ita Christianorum religionem minime prohibere censemus quin, iubente Magistratu in causa fidei et caritatis iurare liceat, modo id fiat iuxta Prophetae doctrinam in iustitia, in iudicio, et veritate.

Quadrilaterum Chicagoense-Lomithense (A.D. 1886, 1888)

a Domo Episcoporum acceptum
apud Chicago, A.D. 1886

Nos Pontifices Ecclesiae Protestantis Episcopalis in Civitatibus Foederatis Americae in Concilio congregati, Episcopi in Ecclesia Dei, hinc omnibus ad quos pertineat, et praecipue nostris con-Christianis Communionum diversarum in hac terra, qui in variis provinciis suis religionem Christi asseveraverunt, sollemniter confirmamus:

1. Optatum intentum nostrum ut oratio Salvatoris, "Ut unum simus," in significatione altissima verissimaque propere perficiatur;

2. Nos credere omnes rite aqua baptizatos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti membra esse Ecclesiae Sanctae Catholicae;

3. Hanc Ecclesiam in omnibus ex ordinatione humana vel delectu humano ad usus cultus vel disciplinae, vel ad consuetudines pertinentibus, in spiritu caritatis humilitatisque omnes suas proprias optiones dimittere paratam esse.

4. Hanc Ecclesiam alias Communiones absorbere non conari, sed cum eis super fundamento Fidei et Ordinis communis cooperantem schismam disapprobare, vulnera Corporis Christi sanare, et illam caritatem adiuvare quae gratiarum Christianarum est prima et patefactio Christi mundo revelati.

Sed insuper, hinc affirmamus unitatem Christianam ... restitui posse solum per reditum omnium Communionum Christianarum ad principia unitatis quae Ecclesia Catholica indivisa in aetatibus suis primitivis explicavit; quae credimus constituere depositum firmum Fidei Christianae Ordinisque a Christo et Apostolis eius commissum Ecclesiae ad finem saeculi, et ergo non posse compromitti vel cedi ab illis qui ordinati sunt eius procuratores pro beneficio communi aequalique omnium hominum.

Ergo, sicut partes in hoc deposito sacro inhaerentes, et necessaria ad restaurationem unitatis partium disiunctarum cunctorum Christianorum, sequentia aestimamus, scilicet:

1. Sacras Scripturas Veteris Testamenti et Novi Testamenti sicut Verbum Dei revelatum;

2. Symbolum Nicaenum sicut affirmationem sufficientem Fidei Christianae;

3. Sacramenta duo, -- scilicet Baptisma et Coenam Domini, -- ministrata cum usu perpetuo verborum Christi et elementorum ab illo ordinatorum;

4. Episcopatum Historicum, regionatim accommodatum in modis administrationis ad necessaria diversa nationum populorumque in unitatem Ecclesiae a Deo vocatorum.

Insuper, nos Ecclesiam in terra nostra miserabiliter divisam Christianam lugentes hinc declaramus optatum nostrum et facilitatem, simulac responsio mandata huic Declarationi faciatur, introeundi, cum omni vel quolibet Corpore Christiano quaerenti restaurationem organicae unitatis Ecclesiae, colloquium fraternum directum ad studium intentum condicionum sub quibus tantum inaestimabile bonum feliciter efficatur.

N.B. Etiamsi forma supra data Quadrilateri a Domo Episcoporum accepta est, tamen a Domo Legatorum non sancta est, sed incorporata in proposito generali pro studio actioneque Concilio Communi nuper creato pro Readunatione Christiana remisso.

Colloquium Lomithense A.D. 1888
Decretum 11

Ut, secundum hoc Colloquium, Articuli sequentes fundamentum ponunt super quo per benedictionem Dei ad Readunationem Domesticam accedatur, scilicet:

(a) Sacrae Scripturae Veteris Testamenti et Novi Testamenti, "continentes omnia ad salutem necessaria," sicut regula et norma ultima fidei;

(b) Symbolum Apostolorum, sicut Symbolum Baptismale, et Symbolum Nicaenum sicut affirmatio sufficiens fidei Christianae;

(c) Sacramenta duo a Christo ipso instituta – scilicet Baptisma et Coena Domini – ministrata cum usu perpetuo verborum Institutionis Christi, et elementorum ab illo ordinatorum;

(d) Episcopatum Historicum, regionatim accommodatum in modis administrationis ad necessaria diversa nationum populorumque in unitatem Ecclesiae a Deo vocatorum.

Latine redditum a Roderico Thompson, A.D. 2001

Tabula Festorum Mobilium

Tabula et Regulae de
Die Paschae Inveniendo

Regulae de Die Paschae Inveniendo

Dies Paschae est semper Dominica post plenilunium accidens in aequinoctio verno, die 21 Martii, vel postea, qui dies secundum rationem antiquam ecclesiasticam definitur, et qui aequinoctio astronomico non semper congruit. Hoc plenilunium accidere potest aliquo die a die 21 Martii usque ad diem 18 Aprilis inclusive. Si plenilunium in Dominica accidit, Dies Paschae Dominica sequens est. Sed Dies Paschae non potest accidere ante diem 22 Martii nec post diem 25 Aprilis.

Ad Diem Paschae inveniendum in quodam anno necesse est habere rationi duas notas – scilicet, Aureum Numerum et Litteram Dominicalem in illo anno.

1. **Aureus Numerus** diem indicat plenilunii in aequinoctio verno diei 21 Martii accidentis vel postea, secundum cyclum decennovennalem. Hi Numeri in Kalendario praepositi sunt ad dies mensis a die 22 Martii usque ad diem 18 Aprilis inclusive. In hoc Kalendario pertinent ad annos ab A.D. 1900 usque ad A.D. 2099, qui postea mutabunt.

2. **Littera Dominicalis** dies anni indicat in quibus Dominicae occurrunt. Post quemque diem Kalendarii littera videtur – a littera A usque ad litteram g. Itaque, si dies 1 Ianuarii Dominica est, Littera Dominicalis pro illo anno est A, et omnis dies littera A notatus Dominica est. Si dies 2 Ianuarii Dominica est, omnis dies littera b notatus Dominica est, et cetera per seriem septem litterarum.

